




ANTHROPOLOGIÆ PHILOSOPHICÆ
ELEMENTA.

EX TYPOGRAPHIA ICKX ET GEETS.


ANTHROPOLOGIÆ PHILOSOPHICÆ
ELEMENTA,

CURA

GERARDI CASIMIRI UBAGHS,

CAN. HON. ECCL. CATH. LEOD., S. THEOL. DOCT., IN UNIVERSITATE CATH. LOVAN. PROF. ORD., FAC. PHILOS. P. T. DECANI ET PRÆS. COLLEGII S. SPIR.

Creavit Deus hominem ad imaginem suam. GEN. I, 27.



LOVANII.

APUD VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHOS.

1848.

Opus quod inscribitur : *Anthropologiæ philosophicæ elementa*, *curâ Gerardi Casimiri Ubaghs*, *Can. hon. eccl. cath. Leod.*, *S. Theol. Doct.*, *in Universitate cath. Lovan. Prof. ord.*, *Fac. Philos. p. t. Decani et Præs. Collegii S. Spiritûs*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis, et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei ac bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii die 24 mensis Maji 1848.

P.-F.-X. De Ram, *Rect. Univ.*

ANTHROPOLOGIÆ PHILOSOPHICÆ

ELEMENTA.

INTRODUCTIO.

1. *Anthropologia*, si latissime sumitur, est *scientia de homine universa;* in quâ præcipue continentur : hominis *historia naturalis*, quæ hominem tractat sicut zoologia cætera animalia ; *anatomia*, quæ est analysis seu descriptio corporis humani organorum sive partium ; *physiologia*, quæ describit functiones vitales quæ per corporis humani organa exercentur ; *medicina*, cujus variæ partes in corporis humani sanitate conservandâ vel reparandâ versantur ; *psychologia*, quæ animi humani naturam præsertim, principium et finem investigat ; *disciplinæ morales*, quæ hominis jura et officia potissimum naturalia exponunt.

2. *Philosophica anthropologia* in iis tantum versatur quæ ex principiis philosophicis de homine sciri et probari possunt. Neque, si strictius accipitur ut hodie accipi solet, hæc complectitur omnia. Aliò enim remissis iis, quæ de hominis officiis philosophice probari possunt, illa tantum explicat quæ de utriusque humanæ substantiæ naturâ, commercio, origine et fine ex fontibus philosophicis possunt erui.

3. Hæc autem recte in tres dividi possunt partes, quibus etiam hujus tractatûs divisio constituitur, *somatologicam*, quæ solum corpus, *psychologicam*, quæ animum solum, et *syntheticam*, quæ utrumque simul considerat.

4. Priorem illam partem in hoc tractatu noluimus omittere, ut in *institutionibus psychologicis* plerumque fit, tum quod Belgii lege academicâ non solum psychologiæ sed anthropologiæ stu-

dium præscribitur, tum vero maxime quod propter mutuum commercium et affinitatem nonnullarum functionum animi et corporis, nisi utriusque natura saltem summatim cognoscitur, nec materialismus sat scite refutari in omnibus possit, nec apte distingui quæ ad animum ab iis quæ ad corpus pertinent, nec satis intelligi quid et quomodo alter agat in alterum, aut quî actio illa augeri vel minui possit.

Sed partem illam breviter tantum tractare volumus, quia pleraque quæ in eâ continentur non nisi indirecte ad philosophiam spectant. Propterea hic illa solum trademus quæ nobis prorsus necessaria videntur ad intelligendum tum vitam corporis tum illa quæ in aliis partibus fusius sunt exponenda, quia magis philosophica sunt.

5. Quod ad *principia* et *methodum* spectat, quæ in hoc tractatu sequenda nobis proponimus, non putamus abstracta et logica sola aut præcipua principia philosophica esse; at in philosophiâ potissimum valere censemus principia metaphysica, realia et naturalia, quæ observatione tum interiore tum exteriore deprehendimus et agnoscimus. Quare duplex principiorum genus potissimum invocabimus, nempe vere metaphysica illa quæ prima rationis principia objectiva vocari solent, et ea *facta*, sive interna sive externa, quæ attento naturæ nostræ studio in nobis et in aliis hominibus observamus.

His principiis et factis ita utemur, ut illa, quoad ejus fieri potest, primo breviter exponamus, tumque ex iis aperte inferamus quod ex ipsis sequi videbitur; quo fiet ut nunquam aliquid precario aut vane asseramus, sed ubique pede firmo a fixe stabilitis progredi possimus ad alia certo inde concludenda.

6. Hujus scientiæ *dignitatem* et *utilitatem* nemo inficiabitur qui illius materiam et finem concipit. Quid enim homini præstantius aut utilius quam illud γνῶθι σεαυτόν? « Cujus præcepti, ut recte monet Cicero, tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum pu-

tabit, tantoque munere Deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet; et, quum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a naturâ subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam; quoniam principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus, sapientiâ duce, bonum virum, et ob eam causam cernat se beatum fore (1). »

7. Quod pertinet ad relationem anthropologiæ ad cæteras philosophiæ partes, pars anthropologiæ, quæ solum describit facta empirica quæ experientiâ sive internâ sive externâ cognoscuntur, præparatio ad philosophiam est; pars autem', quæ continet principia metaphysica et quæ ex his principiis et factis illis probantur, proprie philosophica est, et ad metaphysicam specialem pertinet. Hoc probe notarunt ii qui *psychologiam* diviserunt in *empiricam*, quâ continentur quæ solâ observatione seu sensu intimo de animo probari possunt, et in *rationalem*, quâ concluduntur ea quæ de animo sequuntur ex factis illis et metaphysicis principiis quibusvis. Eam autem divisionem in hoc tractatu non sequemur, quia brevior nobis fore visus est, si illa omnia non tam longe separaverimus.

8. At jam nunc exponere juvat, quod ex postea disputandis apertius fiet, scilicet quem locum homo occupet inter entia terrestria.

Omnia entia terrestria communiter dividuntur in tres classes: corpora vitâ carentia, vegetalia et animalia, quæ omnia alia ab aliis distinguuntur 1° conformatione, 2° compositione, at præsertim 3° legibus seu viribus quibus reguntur. Nempe

1° Corpora anorganica seu vitâ carentia *a*) formæ angularis et *b*) voluminis non definiti sunt; at corpora organica, scilicet

(1) *De leg.* I, 22. — Hinc merito dixit Malebranche, *Recherche de la vérité*, préface, p. xv : « La plus belle, la plus agréable et la plus nécessaire de toutes nos connaissances est sans doute la connaissance de nous-mêmes. De toutes les sciences humaines la science de l'homme est la plus digne de l'homme. »

vegetalia et animalia, sunt formæ plus minus rotundatæ et voluminis pro quolibet genere certi et definiti.

2° Corpora anorganica composita sunt: *a*) nonnulla ex elementis chimicis omnino similaribus, *b*) pauca ex pluribus quam tribus elementorum generibus, *c*) omnia ex elementis constanter iisdem; *d*) omnium partes singulæ sine aliis eorum partibus existere possunt; *e*) ipsa denique dissolvi possunt et iterum componi. Sed corpora organica *a*) nunquam conflata sunt ex elementis similaribus; *b*) minimum ex quatuor elementorum generibus constant, sæpe ex octo vel decem; *c*) eorum elementa sine intermissione variantur, ut aliis succedant alia; *d*) singulæ eorum partes plus minusve a toto pendent corpore; *e*) eorum partes disjungi et resolvi quidem arte possunt, at non iterum componi.

Ex viventibus porro vegetalia *a*) præcipue composita sunt ex carbone, *b*) constant ex quatuor aut quinque elementorum generibus, *c*) humo affixa sunt, *d*) alimenta sua circum se parata reperiunt et ea tantum intus suscipiunt. Animalium corpora contrà *a*) maximâ ex parte constant ex azoto, et *b*) plura ex octo vel novem aliis etiam elementis; *c*) animalia se ad terræ superficiem movent, *d*) agunt in alimenta sua, ut hæc apta fiant ad nutricationem.

3° Maxime autem differunt hæc tria entium genera legibus seu potius viribus quibus reguntur. Corpora enim anorganica præsertim generali attractionis et repulsionis lege reguntur; vegetalia et hac lege et præcipue reguntur vi vegetativâ; animalia et his legibus subjacent et vi sensitivâ gubernantur. Ita quæcunque in entibus inferioribus reperiuntur, ea etiam suo modo in superioribus insunt, sed temperata aliis, quibus superiora differunt (1). Quod præsertim verum est de homine.

9. Unde colliges, hominem, si consideras quæ ipsi cum aliis entibus communia sunt, pertinere ad regnum animale, et esse

(1) Hæc post S. Augustinum, *De civ. Dei*, lib. 5, c. 11, celeber Linnæus, *Philos. Botan. intr.* hac conclusit definitione: *Lapides crescunt; vegetalia crescunt et vivunt; animalia crescunt, vivunt et sentiunt.*

præcipuum quoddam animal ex ordine mammiferorum; sin vero ea spectas quibus a cæteris distinguitur (rationem potissimum), ipsum magis differre ab animantibus quam animalia a vegetalibus et vegetalia a mineralibus (1). Hinc evidens est, hominem vitâ suâ corporali cæteris animalibus superioribus æquiparari, at vitâ spirituali illa superare omnia, et creationis regem esse salutandum.

10. De hominis vitâ corporali in 1â hujus tractatûs parte disseremus, de spirituali in 2â, de utrâque in 3â.

(1) P. J. C. Debreyne, *Précis de physiologie humaine*, prolégomènes, entia terrestria universa hinc dividit in *regnum mineralogicum*, quod crescit (per juxta-positionem anorganicam), in *regnum phytologicum*, quod crescit et vivit (per intus-susceptionem organicam), in *regnum zoologicum*, quod crescit, vivit et sentit, et in *regnum anthropologicum*, quod crescit, vivit, sentit et cogitat.



PARS SOMATOLOGICA.

DE HOMINIS VITA CORPORALI.

CAPUT I.

DE HOMINIS CORPORE ET VITA CORPORALI GENERATIM.

11. Hominis vita corporalis æque ac ejus vita spiritualis duobus modis valde diversis considerari potest, prout vel vitæ phænomena, seu actiones et functiones tantum spectas, vel horum omnium principium sive causam contemplaris. Illam priori modo in tribus primis capitibus, posteriori in quarto tandem perpendemus.

12. Vita hominis corporalis in suis phænomenis spectata consistit in executione functionum vitalium, ut vocant, quæ in organis et per organa corporis exercentur, et durat quamdiu functiones illæ exercentur.

13. Functiones illæ triplicis generis sunt; aliæ enim earum corpori nutriendo et individuo conservando inserviunt, aliæ corpori reproducendo et conservandæ speciei, aliæ denique corpori ad alia referendo et cum illis commercium ineundo. Pro instituto nostro de primis et de ultimis disseremus. Primæ illæ etiam functiones nutricationis, item vita nutricationis vocantur, et quia omnibus et solis corporibus organicis communes sunt, etiam vitæ organicæ nomine donantur. Postremæ similiter et functiones et vita relationis nuncupantur, et quia solis et omnibus animalibus propriæ sunt, vita animalis.

14. Porro corpus humanum, quoad sensibus percipi potest, duobus constat componentium generibus, solidis et fluidis; sed

fluidorum summa solidorum summam tantopere superat, ut hæc posteriora pro diversorum peritorum experimentis et calculis vix nonam aut duodecimam corporis partem constituant.

15. Fluida illa triplicis generis sunt : 1° sanguis, qui velut receptaculum et alimentum aliorum est; 2° fluida quæ ad sanguinem constituendum concurrunt, ut chylus et lympha; 3° fluida quorum materia e sanguine hauritur, et quæ iterum in tres discernuntur ordines : *a*) fluida alibilia, quæ ipsi nutricationi inserviunt seu organorum accretioni et restitutioni; *b*) fluida quæ vel in quibusdam cavitatibus et organorum interstitiis seponuntur, ut adeps, serum, synovia, vel ad corporis superficiem exhalantur, ut humores qui per cutem et pulmones exspirantur; *c*) fluida quæ materiam suam a sanguine quidem habent, sed glandularum elaboratione perficiuntur, ut mucus, lacrymæ, saliva, etc.

16. E solidis instrumenta functionum vitalium constant, quæ simul corpus humanum machinam tam mirâ arte elaboratam constituunt, ut et minimæ corporis partes fere singulæ organa singula et omnes simul organum unum et multiplex efficiant. Prius autem quam organorum usum exponamus, breviter dicemus, quid sit organum et unde componatur.

17. Jam vero, ut anatomici hodie loquuntur, ex organis apparatus (*appareils*) componuntur, organa autem ex telis (*tissus*), telæ e fibris varii generis et varie conjunctis, fibræ tandem ex elementis chimicis (1).

18. Tota telarum summa ejusdem speciei quæ in humano corpore reperiuntur, si seorsim considerantur ab organis quibus formandis inserviunt, *systemata* vocantur. Nimirum quodlibet organum e telis seu textis diversi generis constat, sed omnes telæ ejusdem generis quas corpus continet simul sumptæ

(1) Ex omnibus elementis chimicis cognitis præter imponderabilia solum sexdecim in corporum animalium compositionem veniunt : nempe phosphorus, sulphur, carbonium, ferrum, manganesium, silicium, magnesium, calcium, aluminium, potassium, sodium, iodium, quæ elementa solida sunt, item oxigenium, hydrogenium, azotum et chlorum, elementa aeriformia.

unum systema conficere censentur. Ita e. g. organum auditûs ex *telis* cellulosâ, fibrosâ, nervosâ, vasculari, etc. compositum est; omnes autem telæ cellulosæ quæ in toto corpore existunt *systema* cellulosum constituunt, omnes telæ nervosæ systema nervosum, etc. (1).

19. *Organum* stricte sumptum anatomici et physiologi vocant quodvis compositum ex telis organicis, quod inservit actioni cuidam peculiari exercendæ, et quod cum aliis organis concurrit ad exequendam unam fonctionem completam; *apparatum* vero (*appareil*) nuncupant compositum ex pluribus organis quæ simul eamdem functionem vitalem exequuntur. Ita auris tota simul unum apparatum constituit; at singulæ ejus partes, quæ munere peculiari in auditione funguntur, ut concha, tympanum, labyrinthus, organa dicuntur. Attamen voces apparatus et organum plerumque etiam a peritis promiscue usurpantur et a nobis deinceps usurpabuntur.

20. Ut organa finem sibi a naturâ præstitutum attingere possint, præter proprietates vitales, de quibus cap. IV loquemur, possident varias proprietates quæ *physicæ* ideo vocantur, quod in corpore non amplius vivente adhuc perseverant, quamdiu illud nondum corruptum est. Hæ proprietates sunt compressibilitas, elasticitas, flexibilitas, tenacitas, extensibilitas, retractilitas, quibus organa omnia fruuntur, alia plus, alia minus.

21. His positis, jam præcipua organa et functiones vitæ tum organicæ tum animalis breviter describemus.

(1) De numero horum systematum anatomici non plane consentiunt. Illorum præcipua sunt systemata cellulosum, vasculare, nervosum et musculosum.

CAPUT II.

DE ORGANIS ET FUNCTIONIBUS NUTRICATIONIS.

22. Functiones nutricationis, quarum finis est conservatio, accretio et refectio corporis, sumpta alimenta in ipsam corporis materiam convertendo, sex sunt. Nam 1° *digestio* alimenta præparat, ut ipsorum pars alibilis extrahi possit; 2° *absorptio* hanc partem amplius perficit et ex viâ digestionis transfert in viam circulationis; 3° *circulatio* eam per omnia organa circumagit; 4° *respiratio* ipsam cum oxygenio miscet; 5° *secretiones* illam varie repurgant; 6° *nutricatio* denique eam singulis organis applicat et ex eâ organa ipsa reficit.

23. I) *Digestio* seu *coctio* consistit in assumptis alimentis ita elaborandis, ut convertantur in chymum et chylum, atque hic ab illo sejungatur. Præcipue ejus organa sunt os, pharynx, œsophagus, stomachus seu ventriculus, intestinum tenue et largius intestinum.

24. Ad hanc functionem concurrunt alimentorum prehensio et in os introductio, masticatio et commistio cum salivâ, actio deglutiendi, alimentorum conversio in chymum et chylum, chyli absorptio, et partis alimentorum non alibilis ejectio.

25. Illa functio hunc in modum peragitur. Alimenta in os ingesta ibi ad coctionem præparantur masticatione et admistione salivæ; tum deglutiuntur, et per pharyngem et œsophagum intromittuntur in ventriculum seu stomachum, ubi commiscentur cum succo qui *gastricus* vocatur et qui undique abundans in ventriculum affluit. Hac commistione penitus resolvuntur et mutantur in massulam quamdam mollem, congenerem et cinereo colori proximam, quem chymum vocant (1). Tribus vel quatuor

(1) Succi illius actione chymum effici hodie omnino certum est post experientiam medici americani Beaumont (*W. Beaumont, Experiments and observations on the gastric juice and the physiology of digestion, Boston,*

post horis alimenta in chymum conversa ex ventriculo transeunt in intestinum tenue. Ibi, præsertim in duodeno, quæ tenuis intestini pars prima est, admistis bili et aliis succis qui illuc affluunt, novam et potissimam subeunt immutationem, quâ chylus efficitur, seu quâ chymus velut in duas secernitur partes, quarum altera alibilis, qui chylus nondum perfectus est, ad intestini interna latera adhærescit, altera, quæ corpori nutriendo servire nequit, media procedit ad largius intestinum, quo foras educitur.

26. II) *Absorptio* est functio, quâ ex omnibus corporis organis ad membranarum superficiem materiæ e quibus sanguis constituitur extrahuntur, simulque perficiuntur, et post iter plus minus longinquum effunduntur in venas.

27. Præcipua, de quâ hic loqui oportet, est absorptio chyli, cujus organa sunt *a*) vasa lymphatica, quæ chylifera vocantur, intestino tenui adaptata, *b*) glandulæ mesentericæ et *c*) canalis thoracicus.

28. Absorptio hæc ita perficitur : Chylus, internis tenuis intestini lateribus adhærens, inde trans latera illa extrahitur per innumera vasa chylifera, quæ omnibus hujus intestini partibus adaptata sunt; tum vasa illa percurrit et percurrendo perficitur; permeat etiam glandulas mesentericas, quibus vasa illa circumdata sunt, at quarum actio in chylum nondum penitus cognita est; deinde pervenit ad canalem thoracicum, e quo effunditur in venam subclaviam sinistri lateris, ubi sanguinis reparandi materiam constituit, et cum sanguine intrat in viam circulationis.

29. Præter hanc absorptionem, et lymphæ et venosa absorptiones paucis verbis describendæ esse videntur.

Lymphæ absorptionem hæc organa efficiunt : vasa lymphatica proprie dicta, horum vasorum glandulæ seu ganglia, et canalis thoracicus. Est autem lympha humor sine colore, qui,

1834), deinde alio modo sæpius repetitam, quâ constat alimenta in hoc succo etiam extra ventriculum in verum chymum verti posse.

ut plerisque physiologis placet, extrahitur ex omnibus materiis quas vasa absorbentia in diversis internis corporis partibus colligunt (1), et eo ipso momento formatur quo absorbetur, tum vasa sibi propria percurrit, tandemque cum chylo, cui in canali thoracico jungitur, in venas influit, et partem constituit eorum ex quibus componitur sanguis.

30. Absorptione *venosâ* in venas tenuiores et hinc in viam circulationis introducuntur omnia liquida, sive aeriformia sive fluida, imo et solida per sanguinem vel alios corporis humores solubilia, quæ ad corporis partem quamlibet, præter epidermidem, applicantur, sive eam vere contingunt. Quâ introductione inter alia fit, ut venena quædam subtiliora, dum labiorum aut oculorum membranas mucosas, vel alias corporis partes epidermide non tectas attingunt, illico per venas ad organa interiora, ad cor præsertim penetrare possint, et mortem provocare omnino subitam.

31. III) *Circulatio* duplex distinguitur, minor, quâ per pulmones, et major seu generalis, quâ per omnes corporis partes sanguis circumfertur.

32. Per minorem circulationem sanguis venosus, cui accesserunt chylus et lympha, ex corde intromittitur in pulmones, ut ibi ope respirationis communicet cum aere, et deinde reducitur ad cor; per majorem sanguis arterialis ex corde adducitur ad plura viscera quæ illum defæcant per secretiones, de quibus mox sermo erit, tum ita repurgatus protruditur ad omnia corporis organa, ut hæc eo nutrimento accrescant, alantur et renoventur.

33. Circulationis organa sunt cor, arteriæ et venæ, item vasa capillaria. Vasa membranacea, per quæ sanguis e corde quaquaversus educitur, *arteriæ*, per quæ in cor undecunque reducitur,

(1) Aliis physiologis lympha extrahi videtur e sanguine, qui, ut ipsi volunt, in tenuissimis ramusculis arteriarum in duas secernitur partes, quarum una rubei coloris ad cor reducitur, altera serosa per vasa lymphatica absorbetur et lympha efficitur.

venæ, at tenuissima illa inter eas posita et per quæ sanguis ex illis in has influit, *vasa capillaria* appellantur. Duplex ergo arteriarum, venarum et vasorum capillarium ordo est, sicut duplex est circulatio.

34. *Cor* inter pulmones positum simile est pyramidi carneæ cujus basis sursum versa est. Præcipue in ipso cernuntur quatuor cavitates, quarum duæ majores vocantur ventriculi, duæ minores auriculæ, quæ perularum instar infundibula ventriculorum sunt. Ventriculi dividuntur in dextrum et sinistrum, item auriculæ.

Porro quæque arteria et vena est velut arbor ubique cava, cujus truncus cordi insertus expanditur in ramos quaquaversus extensos, qui gradatim ita multiplicantur et extenuantur, ut innumeri fiant et tenuitate suâ sensus pene effugiant. Sunt autem arteriæ et venæ, quæ ad eamdem circulationem pertinent, ita dispositæ, ut eorum ramusculi alii inter alios sæpissime transeant et implicentur, utque extremi ipsorum, quæ vasa capillaria vocantur, inter se communicent, et sanguis per eos ex arteriolis in venulas influat. Itaque in arbore arteriali sanguis per truncum in ramos, in arbore venosâ ex ramis in truncum effluit.

35. Cordi motus alternus duplex est : *diastole* seu dilatatio, quâ sanguis in cavitates cordis recipitur, et *systole* seu contractio, quâ idem inde expellitur.

36. Circulatio ita describi potest. Sanguis venosus cum chylo et lymphâ primum per venas cavas influit in cordis auriculam dextram, et inde in dextrum ventriculum. Hæc sanguinis, chyli et lymphæ permistio ventriculi contractione hinc per arteriam pulmonalem propellitur in pulmones, ubi per accessionem *oxygenii* vertitur in sanguinem arterialem; postquam hac ratione velut vivus factus est, per venas pulmonales regreditur in cordis auriculam sinistram, unde proxime in sinistrum ventriculum infunditur. En circulationem minorem! Deinde sinistri ventriculi contractione, quæ eodem tempore fit quo contractio alterius ventriculi, sanguis ille tantâ vi per majorem arteriam, *aortam*

vocant, expellitur, ut hac impulsione et impulsione arteriarum hinc effluat in omnes arteriarum ramos, ramulos et ramusculos (Hac impulsione cordis partim producuntur, saltem ei respondent pulsus arteriarum, qui observari possunt omnibus in locis ubi arteriæ propius accedunt ad corporis superficiem). Ubi sanguis ad extremas arteriolas pervenit, et variis secretionibus partes suas alibiles amisit, transfunditur in venas, quæ gradatim largiores paucioresque fiunt, et quibus ad dextram cordis partem reducitur, ut illinc novam incipiat priori similem circuitionem. Ita circulatio major absolvitur.

37. Non consentiunt inter se physiologi de quæstione, utrum circulatio per vasa capillaria horum vasculorum impulsioni an cordis motibus tribui debeat. Probabilius est hanc utramque actionem ad effectum illum conferre.

38. Adhæc, ne sanguis refluat in cavitates unde effluxit, et cursum suum facilius prosequatur, ad originem arteriarum et in venis valvulæ quædam positæ sunt, quæ ita aperiuntur et clauduntur, ut liquor per illas transire possit sed non redire.

39. IV) *Respiratio* convertit sanguinem venosum in sanguinem arterialem seu vitalem, commutando nonnullas sanguinis partes cum quibusdam partibus aeris.

40. Ejus organa præcipua sunt duo pulmones, dexter et sinister, qui dividuntur in cellulas seu vesiculas innumeras, in quas aer atmosphæræ descendit per pharyngem, laryngem, tracheam seu arteriam asperam et bronchias, quarum continuationes in pulmonibus explicantur in ramulos et surculos gradatim tenuiores, in pulmonum vesiculis tandem finiendos.

41. Respirationis duplex functio est, aeris *inspiratio*, quæ fit dum thorax dilatatur, et aeris *exspiratio*, quæ fit dum thorax contrahitur. Alternus ille motus, quem juvat pressio aeris, præcipue efficitur per contractionem musculorum pectoris, præsertim diaphragmatis, cujus contractionis causa ipsum vitæ principium est.

42. Aer autem cum sanguine ope respirationis hoc modo communicat. Sanguis venosus per arterias pulmonales intrat in

pulmones, ubi continetur in innumeris vasis capillaribus, quæ pulmonum vesiculas quaquaversus percurrunt, et quorum latera membranacea, satis densa ad glutinosam sanguinis partem retinendam, pervia sunt aeri, vaporibus, imo et humoribus parum glutinosis. Interea aer per tracheam dilapsus vasa illa undecunque circumdat, et per ipsorum latera penetrans cum sanguine in ipsis retento communicat.

43. Eâ communicatione et aer et sanguis non parum immutantur. Notum est aerem atmosphæræ, qui respirando in pulmones intromittitur, esse compositum ex 21 centesimis oxygenii, 79 centesimis azoti et minimâ quantitate acidi carbonici; at aer exspiratus constat ex 79 centesimis azoti, 18 vel 19 centesimis oxygenii et 2 vel 3 centesimis acidi carbonici. Ingens illa et indesinens aeris alteratio procul dubio totius naturæ œconomiam quamprimum immutaret, nisi divina Providentia huic incommodo occurrisset. Nam ex peritorum computatione singuli homines adulti intra 24 horas ultra 700 decimetra cubica oxygenii consumunt sive in acidum carbonicum convertunt. Pleraque alia animalia similiter ingentem oxygenii quantitatem respirando assiduo absumunt sive corrumpunt. Porro constat oxygenii reparationem tribuendam esse respirationi vegetalium, quæ aluntur acido carbonico et animalibus oxygenium restituunt.

44. At hic magis notanda est mutatio sanguinis venosi, qui dum pulmonum vasa capillaria percurrit oxygenio imbuitur, colorem coccineum, item odorem, saporem et calorem fortiores acquirit, simulque partem seri amittit (quod in vaporem abit), atque ita in sanguinem arterialem ad organa nutrienda idoneum convertitur.

45. Hominis *calor animalis* corpori internus gradum circiter quadragesimum thermometri centigradi attingit, et vix ultra unum vel duos gradus variari potest, qualicunque temperaturâ corpus circumdetur. Ejus causa præcipua ipsius vitæ principium est; at negari nequit ad eum conservandum maxime conferre respirationem, circulationem et nervorum actionem; corporis par-

tium frictio et commotio, etc. velut artificiosa et secundaria caloris conservandi et aliquantum augendi remedia sunt.

46. V) *Secretiones*. Inter circulationem per varias elaborationes a sanguine separantur humores varii, quorum alii quam primum foras ejiciuntur, alii autem in receptaculis sibi propriis aliquamdiu conservantur, ut serviant ad organorum nutrimentum, accretionem et reparationem. Elaborationes illæ vocantur *secretiones*, quod nomen etiam datur humoribus ita separatis.

Notant physiologi secretiones non esse meras separationes humorum in sanguine cum suis proprietatibus jam existentium, sed esse veras humorum elaborationes per organa secretoria modo nobis incognito effectas.

47. Secretiones varie dividuntur, et 1° quidem a structurâ organorum, quibus elaborantur vel conservantur, tribuuntur : *a*) in transsudantes sive exhalationes, tum interiores, ut seri, adipis, synoviæ, humorum quibus oculi componuntur, etc. tum externas, quæ sive per membranas mucosas sive per cutem emittuntur; *b*) in folliculares, quæ in folliculis sive cryptis inter membranarum mucosarum et pellis laminas interpositis seponuntur, et *c*) in glandulares, quæ primum in glandulis sive membranarum mucosarum sive pellis insinuantur et inde datâ occasione ad earum membranarum superficiem effunduntur, ut lacrymæ, saliva, etc. 2° Ab usu, cui servire debent, dividuntur in excrementitiales, e corpore eliminandas, et in recrementitiales, quæ ad corpus reficiendum inserviunt.

48. VI) *Nutricatio*. Functiones hactenus descriptæ solummodo præparant quæ necessaria sunt ad nutricationem sive ut vocant assimilationem, quâ partes alimentorum alibiles seu nutrientes ipsis organis applicantur ad hæc reficienda. Constat enim omnia organa sine intermissu mutari suarum partium constituentium resolutione et amissione ac vicariâ horum detrimentorum restitutione; ut adeo corpus nostrum in continuo motu sit, post aliquod tempus omnibus ejus partibus aliæ substituantur, et vix imo ne vix quidem per aliquot momenta ex moleculis omni-

no iisdem constet. Jam vero detrimenta illa resarciuntur nutricatione, quâ partes alimentorum alibiles per alias functiones jam præparatæ convertuntur in organa ipsa, et sic nova organa et post tempus corpus novum constituunt (1).

49. Itaque quantumvis multa sint vitæ organicæ organa et functiones, inter ea tamen vera est unitas seu potius *consensus omnium*; omnes enim functiones tendunt ad nutricationem et corporis conservationem, atque omnium veluti centrum est circulatio, seu sanguinis confectio et distributio. At consensus ille evidenter probat vim quamdam superiorem, cui cætera omnia quæ ad hanc vitam conferunt, sive organa, sive functiones, sive vires, vere subduntur.

CAPUT III.

DE ORGANIS ET FUNCTIONIBUS RELATIONIS.

50. Vita seu functiones relationis, per quas corpus nostrum communicat cum aliis corporibus, triplicis generis sunt, scilicet functiones : I) sensationum externarum, II) expressionum, III) locomotionum.

51. I) Sensationes externas intelligimus perceptiones rerum quæ apprehenduntur per sensus externos, nempe visûs, auditûs, tactûs, gustûs et odoratûs.

(1) Alimenta etiam durissimas corporis partes, ut ossa, penetrare, ex immutato ossium colore animalium quæ rubiâ aluntur, jam ab aliquot annis notum erat quantum spectat ad ossium laminas exteriores. At saltem aliquas ossium partes etiam vere resorberi, ab annis quinque probasse videtur Chossat, alendo columbas nutrimentis omni materiâ calcariâ purgatis, quarum ossa post aliquot menses tenuissima et fragilissima devenerunt (Vid. *Revue de l'instruction publique*, 15 avril 1842). Ossium nutricationem forsan melius probat necrosis morbosa, quâ constat, emortuo quodam osse evulso, novum os, quo antea cingebatur, sensim sensimque ad nativam usque crassitiem et formam se contrahere, ut notat Cl. Blumenbach, *Instit. physiol.* § 58. Gandavi 1821.

Perceptiones illæ hoc pacto efficiuntur : organum externum afficitur sibi respondente qualitate corporis præsentis ; hæc affectio per nervos communicatur cum encephalo ; ibi, si sat fortis est nec mentem aliâ occupatione nimis detentam reperit, hujus attentionem excitat et ipsi corporis illius præsentiam patefacit ; sin vero mens impedita est, affectio illa in solis organis continetur sine verâ cognitione corporis, a quo orta fuit.

52. Itaque ad quamlibet sensationem externam tria organa concurrunt : 1° organum externum pro quaque sensatione diversum ; 2° organum intern m sive encephalum seu potius systema cerebro-spinale, et 3° organum intermedium, systema nervosum. Quæ nunc separatim describere oportet.

53. 1° Organum externum visûs est oculus. Hoc organum quaquaversus movent varii musculi scleroticæ tunicæ affixi. Ipsum protegunt *a*) supercilia, arcendo sudorem a fronte decurrentem et minuendo luminis splendorem nimium ; *b*) palpebræ, quæ alternis nictationibus oculum humectant, continuæ luminis et aeris actioni subducunt, et ab invasione pulveris, fumi et aliarum rerum nocentium tutantur ; *c*) cilia, quæ palpebris apprime claudendis serviunt et temperando luminis ingressui.

54. Globus oculi præcipue constat tribus humoribus et tribus membranis seu tunicis, quæ sicut balani pelliculæ aliis aliæ superductæ sunt. Harum extima, sclerotica dicta, posteriores $^4/_5$ partes oculi circumdat ; antrorsum scleroticæ (fere sicut vitrum horologii manualis) inserta est tunica cornea perlucida, retrorsum eam penetrat nervus opticus. Inter scleroticam et retinam sita est tunica choroidea, retrorsum nervo optico perforata, antrorsum ad scleroticæ marginem extensa, quâ hæc velut tapeto subnigro tegitur. Anterior choroideæ ambitus albescente constat annulo (orbiculus ciliaris vocatur), cui affixus est iridis margo externus, dum iridis margo internus constituitur foramine quod pupillam vocant, et quod pro luminis abundantiâ vel penuriâ minuitur vel augetur. Choroideam introrsum obducit tunica quæ *retina* dicitur, quæque ipsius nervi optici continuatio et extensio est.

Humores oculi præcipui densitatis diversæ sunt humor aqueus, lens crystallina et corpus vitreum, quorum primus antrorsum, ultimus retrorsum, secundus fere medio loco positus est.

55. Ea structura et conformatio oculi, qui ut instrumentum dioptricum maxime artificiosum haberi potest, necessaria erat, ut luminis absorptio, reflexio et refractio ita fieri possent, ut res oculo objecta distincte visibilis evaderet.

56. Visionis autem functio sic peragitur : radii luminosi, a diversis rei videndæ punctis profecti, per tunicam corneam, humorem aqueum, pupillam, lentem crystallinam, corpus vitreum diriguntur in retinam, cujus varias partes ita afficiunt, ut in eâ velut rei aspectabilis imaginem producant, at sus deque versam; siquidem radii ex oppositis rei videndæ partibus profecti in pupillâ naturaliter decussantur. Deinde hæc retinæ affectio per nervum opticum transmittitur ad encephalum, ubi animus hanc cerebri affectionem advertit, et quaslibet imaginis partes sponte refert ad rei externæ puncta a quibus profectæ sunt.

57. Externum auditûs organum est auris, cujus tres partes distinguuntur : auris externa, auris media et auris interna. Auris externa sive concha cum meatu auditorio velut aeris infundibulum seu cornu acusticum constituit ad sonorum vibrationes colligendas. Auris media, seu cavitas tympani, ampla est fossa inæquali fundo; a meatu auditorio sejungitur membranâ tympani; cum labyrintho communicat per fenestram posticam quæ rotunda vocatur; reperiuntur ibi ossicula, quæ a formâ suâ malleus, incus et stapes dicuntur; aer in eam ex faucibus intromittitur per tubam Eustachii. Auris interna seu labyrinthus post tympani cavitatem situs, tribus constat partibus : vestibulo, cochleâ tribusque canalibus semicircularibus; impleta est humore aqueo, in quo fluitat nervus acusticus cujus altera extremitas communicat cum cerebro.

58. Sonus stricte loquendo nihil aliud est quam aer subitâ compressione agitatus, quæ agitatio tremula (similis tremulis sulcis aquæ immisso lapide agitatæ) a corpore sonoro usque ad aurem externam propagatur, et hinc per meatum auditorium, tym-

panum et labyrinthum usque ad nervum acusticum, quem ita afficit ut hac affectione auditionem provocet eodem circiter modo quo radii luminosi visionem, etsi quæ peculiaris singularum auris partium destinatio sit non penitus constat.

59. Organum cuticulare seu tactûs, quo ea percipimus quæ corporis superficiem tangunt, constat communi corporis indumento, quod tribus potissimum stratis constituitur : supremum est cuticula seu epidermis, secundum rete Malpighi, infimum cutis seu δέρμα. Porro nervi, tactûs ductores, ab encephalo profecti, trans cutem penetrant rete, inter cujus hamos seu maculas velut papillæ seu apices elevantur usque ad epidermidem, cui imprimunt sulcos illos quos præsertim videmus in extremis digitis ellipticos.

60. Unde colliges tactum ita effici : apices nervosi inter retis hamos elevati afficiuntur impressione rei tangibilis; hæ affectiones per totam nervorum longitudinem communicantur cum cerebro, quod pro impressionum varietate varie afficiunt. Mens eas affectiones percipit, easque ad suam refert originem.

61. Odoratûs organum externum constituunt duæ cavitates nasi quas fossas appellant, quarum anfractus sicut tapeto obducti sunt membranâ pituitariâ, quæ emanationes olentes seu odoriferas colligit. Præter alios nervos duo nervi olfactorii a cerebro profecti fibras suas in illius membranæ texturâ expandunt, et odorum impressiones hinc ad cerebrum transmittunt, ut nervi acustici sonos.

62. Externum gustûs organum tum cæteris oris partibus constituitur tum præsertim linguâ, in cujus superficie multæ reperiuntur papillæ cuticulâ tectæ, e nervorum extremitatibus conflatæ, papillis supra descriptis (59) eminentiores, ampliores et magis sensibiles. Nervorum ramuli in omnibus illis partibus distributi ad cerebrum transmittunt affectiones quas gustus seu gustandi actio producit.

63. 2° Organum internum omnium sensationum, item omnium eorum quæ animus ope corporis exequitur, est encephalum seu potius systema cerebro-spinale, cujus tres distinguuntur

partes præcipuæ : cerebrum, cerebellum et medulla spinalis, quæ omnes per medullam oblongatam ita cohærent ut unum totum non divisum constituant (1); nam medulla oblongata, quæ medullæ spinalis initium est, per duas tenues extensiones anteriores, quos pedunculos cerebri vocant, cum cerebro continuatur, et per duas posteriores, qui pedunculi cerebelli appellantur, cum cerebello conjungitur. Partes illæ non materià, at solum differunt formâ, volumine et loco.

64. Cerebrum et cerebellum in cranii cavitate sita sunt. Cerebrum omnem partem anteriorem cranii cavitatis implet, et retrorsum supra cerebellum se extendit; cerebellum in parte posteriore et inferiori continetur, et cerebro circiter quadruplo minus est (2). Medulla spinalis canalem spinæ dorsalis occupat. Totum illud systema a thecis osseis in quibus includitur sejunctum est tribus meningis seu membranis, quibus velut involucris obtegitur, proxime pià matre, deinde arachnoide, tertio durâ matre; inter has et thecas illas præterea circumfluit humor cerebro-spinalis.

65. Materia præcipua systematis cerebro-spinalis duplex est : substantia corticalis et substantia medullaris. Substantia corticalis cerebri et cerebelli superficiem constituit, sed spinalis medullæ pars interior est. Substantia medullaris longe maximam encephali

(1) *Encephalum* stricte sumptum cerebrum et cerebellum tantum complectitur; sin latius accipitur, præterea et medullam spinalem. Similiter *cerebri* nomine stricte accepto una tantum pars encephali significatur; at, latiori sensu, modo totum encephalum, modo totum systema cerebro-spinale.

(2) Celeber physiologus Tiedemann diligentissime exploratis encephalis quam plurimis hominum omnis nationis, sexûs et ætatis, in commentario societati regiæ Londinensi oblato, pondus encephali europæi adulti variari dicit a 3 libris cum 3 unciis ad 4 libras cum 11 unciis, feminæ autem a 4 ad 8 uncias minus esse. Plerumque encephali volumen jam completum est anno ætatis 7° vel 8°, et minuit in senectute. Ipso nativitatis momento pondus encephali constituit 6^{m} partem ponderis totius corporis, anno 2° 15^{m}, 3° 18^{m}, 15° 24^{m}, ab anno 20° ad 70^{m} partem 36^{m}-46^{m}. Attamen apud homines adultos hæc proportio variat pro ipsorum corpulentiâ. Nullam differentiam notatu dignam reperit inter encephalum nigri et europæi, præter externam quæ angulo faciali indicatur.

partem efficit, et a superficie corticali cavitatem cranii ad hujus basim usque replet, at in canali spinæ substantiam corticalem circumdat. Prior obscurior, mollis, glutinosa et quasi perlucida apparet; posterior alba, firmioris et velut fibrosæ structuræ, vix differt a substantiâ nervorum, quorum continuatio est.

66. Cerebrum in duas dividitur partes, quæ duo hemisphæria vocantur, dextrum et sinistrum, et hemisphærium quodque in tres lobos, anteriorem, medium et posteriorem. Inter hemisphæria medium reperitur corpus callosum, et paulo anterius glandula pinealis, quæ partes a nonnullis scriptoribus perperam pro animi sede habitæ fuerunt. Externa cerebri facies plures exhibet anfractus et prominentias velut gibbos, qui circumvolutionum profundiorum superficies sunt.

67. Quum cerebrum mentis humanæ instrumentum proximum merito habeatur, et a plerisque speciatim pars illius anterior, hinc non raro jam ab Aristotelis ætate ex capitis formâ ingenium hominis demetiri voluerunt. Præcipui modi formam ingenio aptissimam præfiniendi, de quibus scholæ hodie loquuntur, sunt angulus facialis, physiognomonia et phrenologia. Postea dicemus quid de illis sit censendum.

68. 3° Organum intermedium omnium sensationum et corporis motionum est systema nervosum seu nervi.

Constant nervi e fibrarum fasciculis squalidis albescentis coloris, qui paralleli siti vaginâ, quemque fasciculum etiam particulatim amplectente, circumdati sunt. In multis locis unius nervi fasciculi cum fasciculis alius nervi perplicantur eosve oblique persecant, quæ complicatio plexus vocatur. Interdum nervi in nodulos diversæ formæ intumescunt, quos ganglia nuncupant. Nervi arterias earumque ramulos quaquaversus comitantur et diverse finiuntur: alii, ut in organis visûs et auditûs, in molliorem solvuntur massam; alii intumescunt in papillas, ut in linguâ et extremis digitis; alii in partium structurâ ita evanescunt, ut nullum eorum finem reperiamus, ut in musculis.

Quam innumeri sint nervorum ramuli, vel exinde colligi potest, quod nulla sensatio sine nervorum interventu fieri possit,

quod omnes corporis partes sensibiles sint, et quod duæ impressiones, e. g. duæ acu punctiones, etiam proximæ ut distinctæ percipiantur.

69. Nervi dividuntur in nervos cerebro-spinales et in nervos gangliorum. E prioribus duodecim cum encephalo et triginta cum medullâ spinali proxime communicant. Nervi gangliorum simul nervum sympaticum constituunt, qui passim dividitur in quinque partes, velut retia, in diversis locis dispertitas et inter se per ramos aliquot connexas, nempe partem capitis, cervicalem, thoracicam, abdominalem et sacralem. Nervi sympathici plures extremitates similiter cum nervorum cerebro-spinalium extremitatibus communicant et continuantur.

70. Mens plerorumque physiologorum hodie est nervos cerebro-spinales esse instrumenta relationum externarum, seu ductores externarum sensationum et motionum; atque ex duobus ramis (radices impropric vocantur), quibus singuli nervi spinales cum medullâ spinali cohærent, posteriorem quidem sensationibus externis sine voluntatis concursu transmittendis inservire putant, anteriorem autem motionibus a voluntatis imperio profectis exequendis. At per gangliorum nervos nutricationis functiones exerceri, satis communiter existimant, et sensationes internarum corporis partium ad cerebrum transmitti; eosdem etiam esse censent instrumentum affectionum et passionum, quantum hæ ad corpus pertinent.

71. De modo quo transmissiones sensationum et motionum per nervos efficiuntur, non eadem doctorum sententia est. Alii nervos cavos esse putaverunt, et fluidum quoddam eorum cavitatem percurrere; at experientiæ doctoris Bogros, qui eam cavitatem probare voluit injiciendo materiam præparatam, nullum successum habuerunt. Alii nervos vibrare voluerunt ut chordas pollice impulsas; sed chorda vibrare nequit nisi ejus extrema fixa sint, et nisi ipsa tensa sit et libera; in nervis autem, tantum abest ut hæ tres conditiones reperiantur, ne una quidem ex illis adest. Si igitur fluidum quoddam aeriforme in illis movetur, ut plerumque creditur at non invicte probatur, illud nervos per-

currere aliter non concipimus quam ad eum modum quo vis electrica suos percurrit ductores.

72. II) Homo quæ cum aliis vult communicare exprimit signis vel voce. Signa hoc loco vocamus gestus, motus vultûs et oculorum, habitum corporis, et quæ manuum et digitorum motione arteficiosâ producuntur, ut scriptura, delineatio, pictura, etc. Signa illa iisdem fiunt organis quibus locomotio, de quâ paulo post loquemur. Vocis humanæ triplex phænomenon distingui potest : merus sonus, loquela et cantus.

73. Vocis in universum spectatæ organum constituunt pulmones, trachea sive arteria aspera, larynx, et variæ oris partes internæ. Sonus autem præcipue larynge formatur, et in eâ quidem laryngis parte quæ glottis appellatur; nam si aer e pulmonibus expulsus per aperturam quamdam sive in tracheâ sive in ipsâ larynge infra glottidem evadit, nullus auditur sonus; sin vero aer evadit per aperturam supra glottidem, sonus etiam humanæ voci proprius auditur, sed sine loquelâ, siquidem soni in vocem articulatam conversio fit per organa superiora.

74. Vocis productio hoc modo efficitur : aer, primo profundâ inspiratione in pulmones introductus, hinc expiratione actuosâ expellitur per tracheam et laryngem, ubi glottidis labris seu musculis motum tremulum (vibrationem) imprimit, quo illico sonus producitur; hic deinde resonans per oris et nasi cavitates, pro harum conformatione plus minus amœnus est; at in vocem articulatam convertitur per motum linguæ, labiorum, etc.

75. III) Loco motiones sunt ambulare, saltare, ascendere, descendere, repere, natare, trahere, repellere, etc. Organa, quibus motiones illæ simul et signa ante memorata (72) efficiuntur, sunt nervi, musculi et ossa, etsi ossa non omnia ad illa signa concurrant.

76. Systema osseum seu sceletus velut corporis humani materiatio est; in tres dividitur partes : caput, truncum et membra, et constat ex 240 ossibus, quorum alia cum aliis conglutinata sunt, alia cum aliis juncta per articulationes mobiles vel immobiles, prout eorum destinatio expostulat.

77. Musculi sunt organa carnosa, rubra vel subrubicunda, conflata ex fasciculis fibrarum valde elasticarum, quæ facile et vehementer instimulari et contrahi possunt. Musculi constituunt animalium carnem subrubram et maceram, quæ hodie pars non exigua est alimentorum nostrorum. Ossibus affixi sunt per tendines; in corpore humano 470 numerantur.

78. Jam vero voluntarii corporis motus et loco motiones ita perficiuntur : voluntatis actio per encephalum et nervos transmittitur ad musculos, quorum fibræ, quod maximâ gaudent irritabilitate et contractilitate, illico instimulantur et contrahuntur, hoc est, plicantur ad modum linearum alternis vicibus angulatarum; eâ contractione musculi intumescunt et breviantur, atque ossa quibus adhærent secum trahunt et loco movent. Porro musculi positi sunt inter centrum corporis et ossa quæ moveri debent, et plerique ossibus movendis affixi sunt prope horum articulationes; ea autem commovent ad modum vectis tertii generis, ut physici loquuntur, cujus vectis vis media est inter punctum quo nititur et id quod resistit.

79. Si modo vitam relationis uno obtutu contemplamur, eam totam, quantum ad corpus pertinet, consistere videmus in transmittendis communicationibus in partem alternam tum intro tum foras; etiam harum transmissionum centrum et communicationum instrumentum unum esse conspicimus systema nervosum, quod cum systemate cerebro-spinali ita cohæret, ut vera ejus continuatio sit. Unde iterum colliges, si plures vires ad has functiones exequendas concurrant, eas tamen uni subesse; quum consensus earum perstare non posset, nisi unâ regerentur superiore.

80. Similiter tantus inter functiones nutricationis et relationis est consensus, tantus ordo, harmonia tanta, tam arcte præterea ipsarum organa inter se connexa et continuata sunt, ut vitam non nisi unam constituere videantur.

Quid enim? 1° Ut modo vidimus, dum systematis nervosi, quod non absimile est arbori cujus ramuli per omnia corporis organa extenduntur ac sæpissime inter se communicant, una pars functionibus relationis præest, pars altera functiones

nutricationis moderatur; nam sine nervorum actione nec digestio perficitur, nec circulatio, nec respiratio, nec secretio, etc. 2° Tota nervorum complexio systematis nutricationis productio est; ejus enim functionibus materia omnis, quâ nervi constant, præparata, coagmentata et in organa concreta est. Nonne hinc manifestum fit, 3° ambobus illis systematibus præesse vim unam quamdam, quæ eorum functiones dirigit, et illa ita adunat ut iis unum corpus, animal unum constituatur (1)?

81. Attamen evidenter patet vel ex solâ corporis humani consideratione, quod obiter tantum descripsimus, ejus auctorem summæ sapientiæ et potentiæ esse, quippe qui omnes ejus partes etiam minimas ad fines quasque suos tam aptas effecerit, ut attenta earum contemplatio in admirationem et venerationem summos viros nunquam non rapuerit (2).

CAPUT IV.

DE VITÆ PRINCIPIO.

82. Hactenus vitæ corporis nostri phænomena breviter descripsimus, hoc est, ejus vitæ instrumenta et actiones obiter explicavimus; sed principium, causam sive auctorem harum actionum, qui illis instrumentis utitur, non conspeximus. Verumtamen, nisi illum investigaverimus, neque naturali hominum sciendi desiderio factum erit satis, neque philosophica vocari poterit nostra disputatio. Quid enim empirica organorum et functionum notitia sine scientiâ causæ quæ eas functiones peragit?

83. Jam vero generatim duplex est philosophorum sententia de illâ causâ. 1) Alii non solum per organa sed ab organis illas

(1) Vid. Forichon, Examen des questions scientifiques de l'âge du monde et de la pluralité des espèces humaines, etc. pag. 354.

(2) Vid. Cic. De nat. Deor. II, 54-60; Galenus, De usu partium corporis hum. lib. 3; Bossuet, Connaissance de Dieu, etc. c. 4, § 2. Cf. Theod. nostra n. 72—89.

functiones effici putant; II) alii principium ab organis omnino diversum sed organis inhærens illarum causam esse censent. Utraque hæc sententia in hoc articulo expendenda venit.

84. Qui organa pro functionum nutricationis et relationis causâ habent, eas non ipsis organis nude et in se spectatis tribuunt, sed proprietatibus vitalibus quibus organa prædita sunt. Hinc, ut hanc quæstionem distincte tractemus, 1° dicemus, quid et quæ sint proprietates vitales ex earum patronorum sententiâ; 2° investigabimus an proprietates illæ, 3° an organa functionum vitalium causa haberi possint.

85. 1° Proprietates vitales vocantur qualitates organorum, quibus hæc apta sunt ad vitæ functiones exequendas, et quæ illis insunt quamdiu ipsa vivere dicuntur. Supra diximus (20) quî differant ab organorum qualitatibus physicis.

86. Multum differunt proprietatum vitalium patroni in ipsarum catalogo texendo. » Brown et Broussais unam tantum recipiunt, *incitabilitatem* sive *irritationem;* Bichat et Richerand duas computant, sensibilitatem et contractilitatem; Grimaud etiam duas agnoscit, vim motricem et vim digestivam; Chaussier tres recenset, sensibilitatem, contractilitatem et caloricitatem; Dumas quatuor nuncupat, facultatem sentiendi, se movendi, vim assimilationis, resistentiam vitalem; Grimaud, Sprengel et Prus expansibilitatem aliis sive implicite sive explicite accensuerunt. Professor Gerdy sexdecim enumerat : facultatem sentiendi, transmissionis sensorialis, perceptionis, emotionis animi, innervationis, contractilitatis, expansibilitatis, absorptionis, secretionis, assimilationis, decompositionis nutritivæ, calorificationis, fecundationis, animationis, accretionis, resistentiæ vitalis, electrificationis (1). »

87. Dilucidationis causâ hoc loco exscribere juvat definitionem et divisionem Richerandi, qui hodie omnium teritur manibus: » Sensibilitas, inquit, est facultas organorum viventium quâ apta fiunt ad recipiendam per alicujus corporis contactum impressionem plus minus profundam, quæ ordinem illorum motionum mutat,

(1) Ita Dugès, *Physiologie comparée*, tom. 1, pag. 31.

has accelerat vel incitat. At contractilitas est proprietas quâ partes incitatæ, hoc est in quibus sensibilitas excitata est, contrahuntur dilatantur, vel agunt denique et motus exequuntur. » Tum sensibilitatem dividit in percipientem et latentem, prout conscientia eam comitatur vel non comitatur. Contractilitatem autem triplicem distinguit : *a*) voluntariam et sensibilem, quam voluntas provocat et comitatur conscientia; *b*) involuntariam et insensibilem, quæ et voluntatem fugit et conscientiam, ut tonicitas; *c*) involuntariam et sensibilem, quæ a voluntate non pendet, sed cujus tamen conscii sumus (1).

88. 2° Porro, quidquid sentias de quæstione, an proprietates vitales ut organicæ et animalis vitæ causa haberi possint, duo hæc omnino certa et non prætermittenda sunt : *a*) quod auctor cujus verba modo exscripsimus non sat aperte notasse videtur, neque *voluntatem* neque *conscientiam* tribui posse sive ipsis organis sive proprietatibus organorum vitalibus, qui materialistarum perniciosus et postea confutandus error est; *b*) negari non posse, organis, quamdiu vitæ functiones exequuntur, inesse proprietates seu qualitates quibus ad eas functiones exequendas apta seu instrumenta idonea sunt. Actionis alicujus executio procul dubio probat aptitudinem instrumenti quo illa exercetur. At hoc loco non quæritur, an organis proprietates quædam tribuendæ sint quæ vitales possint vocari, quod vitæ vel effectus vel causa vel conditiones vel comites sunt; sed quæritur an proprietates illæ vitalium functionum causa sint (2).

89. Jam vero *a*) proprietates, qualitates, facultates, aptitudines in universum non sunt nisi rerum seu substantiarum, ad quas

(1) Richerand, *Nouv. élémens de physiologie, Prolégomènes,* § 6.

(2) Hinc Duges verbis quæ supra attulimus (86) hæc recte adjunxit : « Si proprietates vitales nihil aliud sunt quam aptitudines ad hanc illamve actionem physiologicam simplicem exequendam, doctus professor quem modo nominavimus (Gerdy) jure auxit numerum illarum proprietatum a decessoribus suis adoptatum; forsitan eum nondum satis auxit. Sed non minus evidens est, actione probari aptitudinem, et rem prorsus inutilem facere qui de hac loquitur ubi disserendum est de illâ (intellige de illius causâ). »

pertinent, consequentiæ, appendices, accessiones. *b*) Proprietates res, a quibus pendent et quarum qualitates sunt, antecedere aut ante eas existere non possunt, sed eas naturaliter sequuntur. *c*) Proprietates nunquam ipsæ per se causæ esse possunt, at solummodo causarum conditiones, modi, facilitates. *d*) Solæ substantiæ vere causæ esse possunt.

Si ad hæc principia, quæ negari nequeunt, theoria proprietatum vitalium exigitur, perspicuum fit : *a*) eas proprietates causæ vitalis consequentias esse, *b*) non ante eam causam existere posse, *c*) non ipsas esse vere causam, *d*) sed vitæ causam in substantiâ quâdam reponendam esse, nempe vel in organis vel in re existente ab organis diversâ.

Itaque proprietatum vitalium interpositio quæstionem propositam non solvit, sed ejus solutionem moratur et impedit. Ergo ulterius quærendum est, utrum organa an alia res causa sit, a quâ et proprietates vitales originem suam trahunt, et functiones organorum tanquam a vero suo principio procedunt.

90. 3° Sed organa veram vitalium functionum causam non esse, seu organa neque per se ipsa neque per proprietates vitales tanquam causam producere eas functiones, ex his palam fit : *a*) Vita organa antecedit, seu jam prius in fœtu humano existit quam ullum organum confectum est, ipsa in primis organorum rudimentis jam certo præsens est; 19° post conceptionem die loco cordis punctum rubrum pulsare conspicitur; igitur vita non organorum effectus, consequentia aut accessio est (1).

(1) Hinc merito hæc notavit Forichon (*Examen des questions scientifiques*, etc. p. 357) : » Nous ne pouvons la supposer (la vie) elle-même le résultat des organes, non seulement pour éviter un vice de logique, mais parce que les animaux nous montrent dans l'histoire de leur développement que les organes ne sont pas tous formés au même instant; ils ne paraissent que successivement dans l'organisme, à mesure que la vie continue son ouvrage; et l'être qu'elle fait exister n'attend pas pour vivre le complément de ses fonctions organiques. » Hoc argumentum vel unum rem omnino conficit, sive vita jam inde a primo conceptionis momento fœtui humano insit, quod nos extra omne dubium ponendum esse ducimus, sive ea solum ante organorum confectionem existat, quod saltem physiologorum experientia a posteriori probat.

b) Tantum abest ut vita ab organis procedat, ut contrà vita organorum formatrix, seu vis ipsorum plastica sit; quippe quæ materiam organorum structuræ necessariam colligit, componit et ita construit, ut ex iis non corpus aliquod formæ incertæ, sed pro cujusvis vitæ specie corpus formæ omnino peculiaris enascatur et certo prædefinitæ, quantum ad organorum sive numerum sive quantitatem sive figuram pertinet. Hæc organorum confectio et accretio in embryone perseverant quamdiu vita ipsi inest, et cessant ubi primum vita desinit. *c*) Quemadmodum vita seu vis vitalis initio organa construenda format, ita per omnes deinceps ætates organa deformata, quoad ejus fieri potest, reformat, læsa reparat, ægrota restituit; quorum vera causa *medicatrix* et emendatrix est (1), quam medicamenta excitare et adjuvare possunt removendo obstacula quæ ejus actionem impediunt, sed quam dare aut cujus vices supplere nequeunt. *d*) Prorsus absurdum videtur et rationi contrarium, vitam pro organorum effectu habere, quæ organis ad functiones suas exequendas utitur, et omnes eorum actiones moderatur. Num effectus vices causæ agere potest erga illud a quo effectus est? Merito dixit Forichon : « Non seulement la vie produit » l'organisme, mais elle la domine entièrement, c'est elle qui » règle et détermine toutes ses fonctions (2). *e*) « Tantum abest, inquit idem naturæ peritus, ut vita functionum organorum effectus sit, ut contra, quum vita corpus plane perfecit, quum omnia ejus organa absolvit et exercuit, uno verbo, quum animal perfectum est, eo ipso momento periodus progressionis vitalis cesset, et incipiat regressio (3). »

(1) La force vitale n'est autre chose que la *nature médicatrice*, plus puissante que le médecin dans la guérison d'un grand nombre de maladies, et dont tout l'art de ce dernier consiste le plus souvent à réveiller l'action ou à diriger l'exercice. » Ita Richerand, *Nouv. élémens de physiologie*, p. 28. Bruxelles, 1833.

(2) *Examen des questions scientifiques* etc. p. 386.

(3) Ibid. pag. 358. — Hujus rei rationem egregie exposuisse nobis videtur cl. collega noster Martens in suis Inquisitionibus in causas mortis naturalis

91. Ex iis manifesta hæc sequuntur : *a*) etsi vita functiones suas non omnes efficere possit sine organis, quippe quæ naturalia ejus instrumenta sunt, ipsam tamen non esse organorum effectum. *b*) Proprietates vitales, quamvis ad organorum expeditum usum necessariæ sint, ab organis suam originem non trahere, sed a vitâ, a quâ omnino pendent. *c*) Proprietates vitales non tam ad organa pertinere quam ad animal, quod ex organis et vi vitali compositum est; ipsæ enim nihil aliud quam aptitudines sunt a vitâ organis communicatæ. *d*) Organa neque per se ipsa esse causam functionum vitalium, quum hæ incipiant antequam organa confecta sunt, neque per proprietates vitales, quum nulla proprietas anterior esse possit re cujus est proprietas. *e*) Organa, ut eorum nomen apud omnes receptum indicat, instrumenta esse, quæ accedentibus proprietatibus vitalibus apta fiunt ad vitales functiones exequendas, sed veram harum functionum causam efficientem ab organis diversam et organis anteriorem esse.

92. II) Causa functionum organicarum et animalium, quam modo ab organis et a proprietatibus organorum vitalibus diversam et iis priorem esse probavimus, a variis auctoribus variis nominibus appellatur, ut *φύσις*, *natura*, *principium vitale*, *vis*

sive senilis (vid. Bulletins de l'Académie royale de Bruxelles, tom. X, n. 4) ubi notat : 1° arbores, quod materiam, quâ corpus suum reparant, non tam in ipsa sua organa ingerunt quam partibus existentibus circumponunt, tempore non definiendo vivere posse, quum actiones vitales, quas per partes internas vel nimis obduratas vel putrefactas peragere non amplius possunt, jam per exteriores et recenter adscitas efficiant. Notat 2° hominem alimenta, quibus organa sua renovat, in ipsa illa organa inserere, at eum cum partibus quæ resolvuntur et ejiciuntur simul ingerere partes quæ non resorbentur aut reducuntur; quo fit ut corporis machina pedetentim velut obstruatur, et post aliquot annos functiones vitales obire non amplius possit, atque ita vitam cogat abscedere. 3° Hanc theoriam probat chimice a se resolutis et exploratis cordibus hominum diversæ ætatis, puta 6 menses, annos 23, 42, 69, 94 natorum. Namque in eorum cordibus reperit eo majorem quantitatem partium non solubilium, quo personæ illæ ætate provectiores fuerant. Ac non sine causâ ponit, eum, qui alia organa simili experientiæ submitteret, procul dubio similes effectus obtenturum.

vitalis, archæus, anima brutalis, spiritus vitalis, principium actuosum, principium sentiens, calidum innatum, impetum faciens, vita, vitalitas, etc.

93. Quantum ad illius causæ naturam auctores magis dissentiunt; nam 1° alii eam non esse vere ens seu rem substantialem esse putant; 2° alii eam esse rem quamdam corpoream censent, fluidum quoddam aeriforme, aut electricum, quod fluidum nervosum appellant; 3° alii eam esse rem incorpoream judicant, vel eamdem vel non eamdem cum animo; nam de quæstione, an vita et animus unum idemque sit, tertiæ sententiæ patroni non plane consentiunt. Has opiniones breviter discutiemus.

94. Ut hæc discussio plana fiat, prius indicare libet, quæ principii vitalis munia sint; nullius enim agentis naturam aliter cognoscere philosophice possumus quam quoad illa ex agentis operibus sive actionibus possit colligi, quum causam omnino nullam immediate percipiamus sive per intellectum sive per sensus.

95. In eo autem consentiunt omnes, principii vitalis munus esse functiones organorum ita moderari, ut ejus præsentiâ et actione prorsus temperentur vires physicæ, mechanicæ et chimicæ, quæ procul dubio in corpore præsentes sunt et in organa agunt, ut e. g. vires quibus elementa corporea alia ad alia attrahuntur, alia ab aliis repelluntur, alia cum aliis cohærent vel ad æquilibrium reducuntur, etc. Etenim si vires illæ, quæ in corpora non viventia solæ agunt, etiam solæ agerent in corpora viventia, hæc a terrâ levare aut movere se ne minimum quidem possent; humores omnes in partes inferiores figerentur; si cujus caput in terram verteretur, reliquo corpore sursum verso, ipse illico suffocaretur per humorum in caput affluentiam; item corporis calor internus ad temperaturæ exterioris gradus indesinenter elevaretur vel minueretur, etc. Illa autem omnia nunc aliter se habent, quia virium illarum actiones temperantur actione principii vitalis, et tamdiu aliter se habent quamdiu vita corpori comes est; hac enim cessante, illæ extemplo imperium suum

absolutum solæ exercere incipiunt et pergunt, adeo ut vita sæpe non abs re habita fuerit pro luctatione continuâ inter vires oppositas quæ morte tantum finitur (1).

96. Ex his principii vitalis actionibus liquet, *a*) illud penitus diversum esse a viribus physicis, mechanicis et chimicis, seu harum legibus functiones vitales explicari non posse (2). *b*) Illarum actionum cognitionem non parum inservire ad judicium prudens ferendum de naturâ principii a quo producuntur.

97. 1° Jam vero qui principium vitale nihil reale, nihil substantiale esse putant, in alterutrum ex his incidunt malis, ut meram abstractionem ponant esse causam effectuum omnino conspicuorum, vel ut redeant ad proprietates vitales mutato earum nomine (3).

98. 2° Substantiam atomicam vocamus rem ex moleculis sive atomis sive elementis chimicis extensione definitâ et fixâ præditis compositam, quemadmodum atomici seu atomistæ materiam concipiunt, et quæ vulgi de materiali et corporali substantiâ notio est. Substantiam dynamicam vocamus vim seu, ut Leibnitius loquitur, potentiam activam vere in se subsistentem, quæ quidem atomis inhærere et adhærere potest, easque dirigere et velut instrumenta adhibere, sed quæ ipsa neque atomus est neque ex atomis conflata, ex partibus non constat, nec extensa est ut corpus. Hoc modo omnes substantiam spiritualem, incorporalem, immaterialem concipiunt, dynamici seu dynamistæ præterea cujusvis substantiæ essentiam.

(1) Richerand, Proleg. § 9.

(2) « Aucune cause ou loi mécanique n'est recevable dans les phénomènes du corps vivant. » Ita Barthez. Videlicet nulla causa aut lex mechanica actionem aliquam vitalem *sola* perficit.

(3) Ut Richerand, § 6 et 9. At nemo sapiens unquam dixerit aliud quam substantiam causam efficientem esse posse; nam quod agit substantia est; assertio contraria repugnat rationi naturali (*Ontol.*). Hypothesis autem proprietatum vitalium ut causæ functionum vitalium tam veritati experientiâ cognitæ contraria est, ut illa denuo ad trutinam vocari non amplius debeat (85-91). Itaque principium vitale aliquid vere rei est, aliquid substantiale sive corporeum sive non corporeum, hoc est, substantia atomica vel dynamica.

99. Duplex autem ratio est cur principium vitale nihil materiale, moleculare seu atomici esse censemus : *α*) quia substantia atomica quæ functiones vitales expleat a nemine unquam monstrari potuit, seu nullâ experientiâ certâ hujusmodi substantiam existere constat ; *β*) quia nullius generis atomos aut atomorum compositum pro verâ actionis cujusvis causâ habere possumus. Quod utrumque breviter explicabimus.

100. *α*) Profecto non negamus, corpori humano inesse, præter elementa solida et aeriformia, illa quæ a physicis imponderabilia vocantur. Neque inficiamur, imponderabilia, ut principium electricum, magneticum, caloris, etc. (sive principia hæc diversa sint, sive essentiâ unum et idem, ut hodie non pauci existimant), multum conferre ad facilius organorum exercitium, præsertim systematis nervosi. Quare, si quis principium electricum v. g. hoc sensu fluidum nervosum vocare velit, ipsi non contradicimus. At minime assentiri possumus illis qui (ut hodie passim fit ab iis qui principium vitale in materiâ quærunt) electricitatem habent tanquam veram causam efficientem functionum vitalium, quæ scilicet eas functiones non solum adjuvet ut conditio quædam vel instrumentum, sed ipsas vere efficiat, dirigat et moderetur, ut illarum principium.

101. Præter alias rationes, cur hanc prærogativam electricitati tribuere non possumus, et quas physiologi latius expendunt (1), has paucas hic memorabimus : *a*) Nervi in humano corpore tam innumeri sunt, tam vicini, tam frequenter organis humidis circumdati, ut eorum impressiones non distinctæ transmitterentur sed omnino confunderentur, si ipsi nihil aliud quam notæ electricitatis ductores essent (2). *b*) Idem nervus electricitatem transmittere potest modo a parte dextrâ in sinistram modo mutatis polis a sinistrâ in dextram; attamen nervorum alii solum-

(1) Vid. Dugès, *Physiologie comparée*. tom. I, p. 59-63; Richerand, *Nouveaux élémens de physiologie*, ch. 9; Debreyne, *Précis de physiol. hum.* part. 4, ch. 2.

(2) Schrœder van der Kolk, *Over het verschil van doode natuurkracht, levenskracht en ziel.*

modo motûs impressiones ab organo interno ad externum organum traducunt, alii sensuum impressiones tantum ab externo organo transferunt ad internum. *c*) Nervus dissectus in plura frusta, quorum extremitates aliæ juxta alias collocantur, aptus electricitatis ductor esse potest; sed nervus quomodocunque dissectus nullam amplius sive motionis sive sensationis impressionem transmittit, etiamsi nullum sit intervallum inter nervi secti extremitates; experientiâ enim constat in corpore vivente nervorum sectorum extrema non retrotrahi, sed potius longiora videri, ut alterum excedat alterum. *d*) Aliæ partes organicæ, ut fibræ musculosæ, tendines, etc. apti electricitatis ductores sunt; imo quandoque fit ut electricitas nervos relinquat et illas fibras vel tendines sequatur, ubi hæ ipsi breviorem offerunt viam; at sensationes per solos nervos propagari possunt. *e*) Electricitas vitam latentem in ovo animalis et in germine plantæ adjuvare, excitare et evolvere apte potest; sed tantum abest ut ea vitam dare seu vitæ principium esse possit, ut contra, nisi ovum aut germen illud jam vitâ donatum sit per generationem seu fecunditatis impertitionem, electricitas ipsum corrumpat et resolvat (1).

102. Nec dicas, hæc si ita se haberent ut diximus, electricitatem in corpore humano esse vel manere non posse. Illud enim minime sequitur; nam, si functionum causam efficientem ab electricitate aliam ponas, ea causa electricitatem dirigat et temperet necesse est; atque adeo electricitatem alio modo in corpore vivente esse et agere facit, quam ubi illa libera et sibi permissa est. At si electricitatem principium vitale esse ponas, electricitas jam ipsa causa, moderatrix et dominatrix est, secundum suas ipsius leges agere debet, et easdem exhibere qualitates, quæ ipsi propriæ esse sciuntur; quod nunc longe est aliter. Hinc vel ipse ille Broussais, qui totis viribus contendit ut hominem nihil aliud quam materiæ molem esse probet,

(1) De theoriis quæ vitæ originem mere corpoream tribuunt jam locuti sumus in Theodiceâ n. 82-89 et iterum loquemur in hujus tractatûs parte tertiâ.

tandem fateri coactus est, si vita cum electricitate idem sit, necesse esse ut hæc non sit a physicis nota electricitas, sed *electricitas biotica* seu vitalis, ut ipse loquitur (1), hoc est, res quædam materialistis incognita, ut nos inde colligimus.

103. β) Non ii sumus qui nullam corporibus actionem tribuamus, et corporum brutorum inertiam omnino idem esse existimemus cum passivitate. Contrà aliquid vere activi agnoscimus in omnibus corporibus sive viventibus sive non viventibus, et corporum brutorum inertiam consistere censemus in nisu perpetuo, necessario et uniformi corpus semper in eodem statu conservandi. At activitas, quam corporibus concedimus, non ab atomis mere passivis pendet, sed a viribus quæ atomos illas regunt et continent. Ita corpora mineralia vi attractionis, repulsionis, affinitatis et cohæsionis, vegetalia præterea vi seu vità vegetativâ, animalia adhæc vi seu vità animali agi et gubernari cernimus. Quinimo atomi, quibus corpus quodvis componitur, non per se cohærere inter se et corpus extensum constituere possunt, at solum viribus quæ eas in suis quasque locis retinent (2).

104. 3° Certum igitur est causam vitalem nihil atomici seu ex moleculis compositi esse; at plane sequitur eam aliquid dynamici esse seu rem prorsus immaterialem, quæ tamen naturaliter residere aliter quam in atomis non noscitur. Sed quid rei illa sit, utrum ipse animus an ens quoddam ab animo diversum, multum disputatur.

105. Qui functionum vitalium exercitium ipsi animo ut germanæ ipsarum causæ tribuunt, passim animum habent ut substantiam triplici facultatum genere præditam, rationabili, animali et vegetativâ, quas diversis nominibus appellant. Alii autem animum unum in homine vere vivere et solam vere vitalium functionum causam efficientem esse putant, at functiones vitales restringunt ad functiones relationis, functiones autem nutricationis legibus physicis, mechanicis et chimicis tribuunt.

(1) *Mémoire sur le plan d'organisation du cerveau*, lu à la société phrénologique, décembre 1837.

(2) Cff. quæ de hac re infra p. 2, c. 5, dicentur.

106. Rationes præcipuæ cur hæc sentiant hæ esse nobis videntur : 1° Effatum in naturalibus præclarum et prudens est, entia non esse multiplicanda sine necessitate. 2° Homo duabus non tribus substantiis compositus est. 3° Communis veterum sententia est, animum unum esse in homine principium activum.

107. Contra qui efficientem causam functionum corporis ab animo reipsà differre censent, principium vitale habent ut ens sui generis, in qualibet animalium specie peculiare, quod cæteras quæ in corpore vivente vires adsunt dominatur, et quod in homine intimum cum animo commercium exercet.

108. Argumenta præcipua quibus ipsi nituntur hæc sunt : 1° Tam diversæ sunt functiones quas vitales hactenus vocavimus et animi actiones, ut ex *principio causalitatis* recta ducamur ad causas omnino diversas ; vult enim hoc principium non solum ex quibusvis effectis, motibus vel actis colligendam esse causam, sed etiam effectis omnino diversis causas diversas esse tribuendas. 2° Animus est ens suarum actionum et facultatum conscium ; at functionum vitalium nec sumus vere conscii nec unquam conscii fieri possumus. 3° Animi actiones libero voluntatis arbitrio subjectæ sunt ; in vitales autem functiones imperium directum animus nullum exercet, exceptis forsitan motibus qui voluntarii vocantur, in quos ejus actio magna est, sed verisimillime non directa, quum etiam sine ejus impulsu effici possint et sæpe efficiantur. 4° Motus corporis involuntarii aliquando tam vehementes sunt, tam fortiter animi imperio resistunt, ut, nisi corpus alio principio quam animo vivere concedamus, concipere non possimus, cur animus, ubi vult, motus illos non facilius vincat. Etenim vel *a*) corpus suà ipsius vità, vel *b*) animo vivere, vel *c*) quatenus animo non vivificatur tanquam mortuum ponatur necesse est ; jam vero *a*) si primum ponas, facile concipimus acrem illam pugnam inter duo entia viventia ; *b*) si secundum, non capimus qui animus sibi vim tam vehementem et fere insuperabilem inferre possit, *c*) si animus in hac luctatione solummodo vincere deberet obicem qui corporis inertià ponitur, longe facilius vim sibi oppositam superaret. 5° Plurimi ex recentioribus, qui et naturali-

bus et philosophicis studiis exculti sunt, animum a vitâ corporis plane discernunt. 6° Hanc differentiam etiam implicite agnovisse videntur, qui postremis his sæculis sive *spiritus animales* sive *fluidum nervosum* sive *mediatorem plasticum* inter animum et corporis atomos interposuerunt.

109. Respondent etiam hujus sententiæ patroni prioris opinionis defensoribus : 1° Entia quidem sine necessitate non sunt multiplicanda; at argumenta exposita eam necessitatem adesse probant. 2° Homo utique constat animo, substantiâ non compositâ, et corpore, substantiâ ex pluribus substantiis conflatâ; nam præter humores quibus abundat, et quatuor elementa aeriformia corpus humanum ex multis solidis substantiis sive elementis coaluit (17); adhæc in eo reperiuntur imponderabilia et vires illæ attractionis, etc. quas antea memoravimus (95); duplex igitur est tantum substantia hominis, sed una simplex, altera multipliciter composita ex elementis minime similaribus. 3° Non leviter negligenda est veterum sententia; sed in præsenti quæstione et ratio posteriori sententiæ suffragatur, nec veteres omnes inter se consentiunt, et recentiores plerique, quibus natura melius quam antiquis cognita est, animum et corporis vitam distinguunt. Tandem qui functiones animales animo, organicas autem legibus mechanicis et chimicis tanquam causis efficientibus tribuunt (105), duobus malis se submittunt, nempe de functionibus animalibus respondere debent posteriori sententiæ patronis, et cum functionibus organicis relabuntur ad antea explosam proprietatum vitalium hypothesim (1).

110, Ad finem hoc monendum est, eum qui vitam ab organis oriri et pendere docet, et vitam aliquid materiale esse, non propterea materialistis accensendum esse; hoc enim nomine ii tantum significantur qui animum substantiam incorporalem esse negant.

(1) Vid. Nota A in Appendice Notarum ad calcem hujus voluminis.

PARS PSYCHOLOGICA.

111. In hac parte hominis vitam spiritualem considerabimus primo in suis phænomenis, deinde in se seu in principio suo, ut ab animi phænomenis maxime patentibus profecti, ejus naturam apte definire et invicte probare possimus. Itaque primum exponemus animi phænomena sive actus qui facillime observari possunt, deinde, his phænomenis tanquam factis indubiis nixi, dicemus in quo animi natura sive essentia posita sit; tum, ut hæc penitius intelligatur et simul adversariorum commenta deleantur, apertius ostendemus quid animus differat a corpore; denique, ut etiam distinguatur a re sibi maxime affini, atque illius notio quantum fieri potest omnino accurata et completa habeatur, explicabimus differentiam animi humani et animi brutorum animantium. Sex igitur hæc pars continebit capita, quorum tria prima exponent phænomena, tria alia principium, quibus animi vita constituitur.

CAPUT I.

DE COGNITIONE.

112. Ea quibus animi præsentia maxime patet, quæque animi vitam constituunt, si hæc in suis phænomenis consideratur, sunt tres actus præcipui, ad quos cæteri omnes revocari possunt, scilicet cognitio, affectus et voluntas. De singulis ex ordine singulatim disseremus.

113. *Cognitio* in universum est actus quo mens rei cujuscunque vere conscia fit. Cognoscere autem possumus variis modis. Initio quidem, ubi in lucem editur, homo nullius rei vere notitiam habet; sed ita ab auctore naturæ instructus nascitur, ut primo tantum possit cognoscere, ac deinde cognitiones alias post alias acquirat et perficiat.

114. Ordo, quo cognitiones nostræ formantur et perficiuntur, fere hic est : cognoscenda primum nobis repræsentamus, tum de iis judicamus, deinde ratiocinamur, postea scimus; denique cognita imaginando ampliamus, recordando renovamus et loquendo patefacimus.

Eumdem ordinem sequemur in explanatione hujus capitis, quod ob dicendorum copiam in quatuor dividemus §§ : quorum 1° aget de mentis repræsentationibus, 2° de judicio, ratiocinatione, scientiâ et imaginatione, quibus illæ cognitiones perficiuntur et ampliantur, 3° de memoriâ, quâ eæ renovantur, 4° de sermone, quo eædem cum aliis hominibus communicantur.

§ I.

De mentis repræsentationibus.

115. Pro modo quo res cognoscendas mente repræsentamus, atque adeo pro notis quas in iis apprehendimus, repræsentatio in universum duplex distingui debet, directa scilicet et reflexa, quarum prior perceptio, altera conceptio merito nuncupatur. Ut porro vere cognoscere, saltem ut concipere rem quamcunque possimus, necesse est ut in mente præcedat id quod passim idea vocatur. Quare ut præsens articulus recte absolvatur, in primis agendum erit de perceptione, de conceptione et de idea (1), tum de cæteris quæ ad illas pertinent.

116. I) Jam vero, illa percipere dicimur, quæ satis ab omnibus aliis distinguimus, sed quorum distinctionis notas indicare non possumus; sed ea *concipimus* sive *intelligimus*, quæ ita novimus, ut eorum notas præcipuas distincte nominare et ipsa apte definire possimus. Illorum quæ tantum percipimus *directe* conscii

(1) Ideæ nomen varie accipitur. Præ cæteris eo significatur quævis mentis repræsentatio, tum actualis, scilicet perceptio et conceptio, tum virtualis. Ad vitandam confusionem illud ultimo sensu solum in hoc paragrapho usurpabimus, nisi adjecto vocabulo aliud quidquam indicemus.

sumus; at illorum quæ concipimus conscientiam *reflexam* seu meditatam habere dicimur.

117. *A rebus cognitis* perceptio præsertim triplex distingui potest, nempe *a*) *perceptio sensuum externorum*, quâ res corporeæ percipiuntur extra animum nostrum positæ, *b*) *perceptio sensûs interni*, quâ animi ipsius affectiones internæ percipiuntur, et *c*) *perceptio* quæ sive *fidei* sive *rationis* vocari potest, quâ percipiuntur res narratæ et veritates quæ ad ordinem moralem sive metaphysicum pertinent (1).

118. Sed ut præsens quæstio omnino accurate tractetur, probe distingui debet, quid percipere differat a sentire; nam, quatenus perceptio vera cognitio est, non minus distat sentire a percipere quam percipere a concipere.

119. Jam vero quod ad rerum corporearum cognitionem pertinet, si omnino stricte loqui velimus : *sentiendo* experimur mentis affectionem ex organorum nostrorum impressione secutam, antequam illam affectionem referamus vel etiamsi illam non referamus ad rem externam unde orta est (2); *percipiendo*, nostram mentis affectionem, quæ merito *sensatio interna* vocatur (*Logic.*), ita ad rem externam tanquam ad suam originem referimus, ut hanc rem jam a nobis et ab omnibus rebus distinguamus; *concipiendo* tandem, hujus rei notas seu proprietates primarias tam distincte intelligimus, ut illas enumerare et rem aptâ definitione aliis notam facere possimus.

120. Hoc pacto jam inde a primâ ætate *sentimus* nos et nostri animi affectiones, dolores, incommoda; at neque nos ipsos neque illa distinguimus. Deinde nos ipsos et internas nostras affectiones

(1) Hanc perceptionem *fidei* vocamus, quia præsertim ope fidei sermoni præstitæ in primam hujus ordinis veritatum notitiam venimus (*Log.*), *rationis* autem, quia hujus generis perceptiones æque ac conceptiones quaslibet nemo habere possit nisi qui ratione utitur, et quia non sensibus externis sed ratione habentur.

(2) Sentire stricte loquendo est illud quod in logicâ sensationem externam et internam vocavimus, quæ sensuum relationem seu perceptionem antecedit et provocat (*Log.* 461).

percipimus, ut nos ab omnibus aliis rebus distinctos agnoscamus; quanquam, quid simus et quid affectiones illæ proprie sint, non possimus dicere. Denique post sufficiens studium *concipimus* et intelligimus quæ nostri et affectionum nostrarum natura sive proprietates essentiales sint, et eas apte definire possumus.

Eâdem fere ratione puer in primâ infantiâ Dei et virtutis nomina audit eaque profert fere ad modum psittaci sine ullâ rerum quæ his nominibus significantur cognitione; postea, si doceri pergit, clare *percipit* quæ vocibus illis nominantur, ut illa cum nullâ re aliâ confundat unquam, etsi illa definire nesciat; provectiore tandem ætate, si animum rite applicuerit, *concipiet*, quibus proprietatibus eorum constet essentia.

121. Perceptio et conceptio etiam hoc differunt : perceptionibus res quælibet singulares vel tanquam singulares cognoscuntur, ut hoc illove loco vel tempore existentes, factæ aut perceptæ; at conceptionibus veritates generales vel tanquam generales cognoscimus, mentem avocando a loco et tempore, ita ut fere unice cogitemus de notis quæ constituunt comprehensionem notionum quibus veritates illæ animo exhibentur, vix aut ne vix quidem de earum notionum extensione solliciti (*Logic.* 40).

122. Conceptio, quæ et aperceptio et cognitio scientifica vocatur, *a rebus cognitis* dividi potest in puram et realem. *Pura* seu *formalis* est, quâ concipiuntur mentis abstractiones, seu notæ mente a rebus separatæ, præsertim maxime generales illæ quæ hodie categoriæ intellectûs appellantur. Itaque illâ nulla concipiuntur entia, sive substantiæ sive modi sive relationes, ut reipsa existentia; sed intelliguntur, animo avocato ab illarum existentiâ, formæ quas mens nostra necessario habet tanquam omnis existentiæ conditiones, quatenus nihil cogitare possimus ut existens nisi hac illâ indutum formâ, seu nisi hac aut illâ ex iis conditionibus. Hujusmodi formæ e. g. sunt : *esse*, *existere*, *posse*, *necessitas*, *contingentia*, *mutabilitas*, *immutabilitas*, *unitas*, *multitudo*, *causa*, *effectus*, *substantia*, *accidens*, *absolutum*, *relativum*, *perfectum*, *imperfectum*, etc. Fieri enim nequit ut rem ullam existentem cogitemus nisi aliis vel aliis ex his præditam formis; at

facile potest fieri, ut omnes illas cogitemus formas, non tamen simul cogitando illas existere, aut existere rem ullam iis aut aliquibus ex iis præditam.

123. Conceptio *realis* est, quâ concipimus res tanquam definite existentes, sive æternum et ubique, sive hoc illove temporis aut loci spatio.

Hinc duplex conceptio realis distinguitur : inferior, quâ res finitæ, sive substantiæ sive aliæ, intelliguntur, præsertim genera et species, et superior, quâ ens infinitum, Deus, intelligitur, et veritates vere absolutæ, ut bonitas absoluta, justitia absoluta, veritas absoluta, quæ proprie loquendo Dei absolutæ perfectiones sunt, et cujusvis bonitatis, justitiæ et veritatis relativæ archetypum, norma et mensura.

124. Itaque omnis perceptio et omnis conceptio actus mentis fugaces seu transitorii sunt; sed ut actus illi a nobis fieri possint, necesse est ut in animo jam aliquid insit, cujus vi datâ occasione possimus actu percipere et concipere, quodque perceptione et conceptione cessante non cesset, sed ita maneat, ut ejus virtute perceptiones et conceptiones ante habitas renovare et vere recordari possimus. Id porro quod hac ratione in mente nostrâ omnes perceptiones et conceptiones antecedit, nec cum percipiendi et concipiendi actibus finit, sed permanet, et nos habiles reddit ad percipiendum et concipiendum, *idea* est, quam claritatis causâ, etiam vocabulo addito, modo ideam virtualem, modo ideam habitualem, modo ideam innatam recte appellant.

125. Est igitur idea menti insita virtus, seu mentis forma quædam sive principium, quo fit ut homo præ cæteris animantibus percipere ea possit, quæ minime cadunt sub sensus externos, et hæc atque alia quævis etiam concipere.

126. At quum de rebus maximi momenti hic agatur, operæ pretium esse duximus præter hanc primam et generalem descriptionem perceptionis, conceptionis et ideæ, aliquantum enucleate dicere, secundo quid singulæ illæ in se sint, tertio quod sit earum objectum proprium, quarto quænam origo.

127. II) Age vero 1° omnis perceptio et omnis conceptio in se

consideratæ veri mentis actus sunt, quibus hæc rerum cognoscendarum conscia fit, ac ipsis quodammodo assimilatur. Et hinc maxime differunt a meris sensationibus, quæ, quamdiu vel quatenus ipsis nulla accedat perceptio, effectus sunt rerum et actionum externarum, quibus mens afficitur quidem, sed quos ipsa non suo producit actu.

128. Quid enim? Sensationes, quas a rebus externis habemus, quatenus perceptiones antecedunt et a perceptionibus distinguuntur, transitoria phænomena sive effectus sunt, producti ab impressione rerum in organa et organorum in mentem, quibus effectibus animus afficitur et monetur ut rem corpoream præsentem, quæ illius impressionis causa est, advertat, sive animus hoc monitum sequatur sive non sequatur (119).

129. At perceptiones quævis, sive a sensuum externorum impressione sive a sensu interno oriantur, mentis affectiones quidem sunt, sed quas ipsa suâ efficit alacritate, quum rerum impressionibus passive incitata, spontaneâ virtute suâ has active apprehendit, ad suas ipsarum origines refert, illarum velut imagines sibi format, ac ita earum conscia fit.

Stricte loquendo actus percipiendi distingui potest ab imagine quæ eo efficitur, quanquam utrique passim idem perceptionis nomen tribuitur. Verum, ut ut hæc sint, nulla perceptio nobis innata sive congenita est, sed omnis perceptio phænomenum est, in cujus productione mens quodammodo passive se habet, quatenus aliunde incitatur, at simul ac maxime active se gerit, quatenus actu suo incitamenta prosequitur, res arripit et sibi repræsentat.

130. In conceptionibus autem formandis mens magis etiam actuosa est. Quod ut clarum fiat, sufficit ex logicâ ad memoriam revocare eos meditationis actus quibus conceptus sive notiones quævis efficiuntur (*Log.* 43). Quid enim?

a) Conceptus reales, quibus res finitæ intelliguntur, mentis nostræ operationes sunt, quibus non res quædam singulares aut harum proprietates omnes promiscue cogitantur, sed quarum singulis, velut in uno fasciculo, in unâ formâ ideali conjunctæ

colliguntur omnes et solæ proprietates quæ omnibus entibus ejusdem generis vel speciei communes sunt, et quæ faciunt ut res quævis hujus aut illius generis aut speciei esse dicantur. Itaque conceptio quâ hujusmodi conceptus sive notiones formantur, verus mentis actus est, quo ipsa ex variis suis imaginibus seu repræsentationibus directis, aliis harum imaginum notis omissis, alias abstrahendo conflat in prototypa sive exemplaria, secundum quæ deinceps judicabit, an res perceptæ ad hoc illud genus vel ad hanc illam pertineant speciem (*Logic.* 57).

b) Conceptus reales, quibus Deus et veritates absolutæ, quæ Dei perfectiones sunt, nobis repræsentamus, itidem mentis nostræ operationes sunt, minime cum rebus exhibitis confundendæ, quippe a quibus non minus differunt quam oculus et videndi facultas differunt a visis corporibus. Differunt autem a conceptionibus rerum finitarum, quod meditandi actus hic non exercentur in explorandis pluribus ejusdem generis rebus sive rerum imaginibus, sed hæ singulæ in unius tantum rei notis investigandis et intelligendis versantur (*Logic.* 58).

c) Similiter conceptiones puræ ingenii humani operationes sunt, hoc solum a conceptionibus realibus differentes, quod his non res ipsas nobis repræsentamus, sed a rebus animo abstractas formas sive proprietates, quas tanquam necessarias conditiones existentiæ rerum concipimus.

Quævis igitur conceptio animi actio est et quævis notio hujusmodi actionis effectio. At neque hæc neque illa homini innata est, sed utraque hominis jam aliquantulum saltem exculti industriâ producitur eâ ratione quam paulo postea exponemus.

131. 2° Longe aliter se res habet cum ideis. Hæ non transitorii mentis nostræ actus sunt, nec substantiæ in animi substantiâ insertæ, nec rerum icunculæ aut simulacra in animo impressa; sed animi virtutes, potentiæ, facultates sive habilitates sunt, seu ut Leibnitius apprime loquitur, mentis affectiones sive modificationes sunt nobis a naturâ insitæ, velut inclinationes, dispositiones, habitus, seu virtualitates naturales, hoc est, ipsa vitæ intellectualis principia.

Ideæ igitur sunt veræ animi humani proprietates, quibus fit ut ipse non quidem semper actu cognoscat, sed cognoscere possit, ubi cæteræ conditiones adsunt, quæcunque vera, præsertim ut hæc possit intelligere seu concipere. Proindeque ideæ vocari possunt mentis lumen naturale; ipsæ enim velut rationis elementa primaria, rationis essentiam, rationis principia constituunt; atque adeo faciunt ut homo ens rationabile sit, ab omnibus aliis animalibus ipsâ essentiâ suâ distinctum (1).

132. III) Perceptionum, conceptionum et idearum natura etiam paulo amplius dilucidatur ex iis quæ de earum *objectis* nunc dicere juvat. De quibus hæc habe :

133. 1° Omnia, quæ vel sentiuntur vel percipiuntur, profecto res sunt vere existentes, et singulares quidem atque omnino determinatæ; attamen eæ non omnes sunt substantiæ, sed aliæ substantiæ, aliæ substantiarum proprietates actionesve. Quod enim sentitur vel percipitur, esse non tantum potest, sed reipsa seu vere existit.

134. 2° Contrà conceptus puri rem nullam ut vere existentem repræsentant, sed solas cujusvis existentiæ conditiones animo proponunt, quas exhibent ut res possibiles simul et hypothetice necessarias, hoc scilicet pacto : ut res ulla vere existere possit, vel si res ulla vere existat, illa huic aut illi ex his conceptibus consentanea sit necesse est, nempe ut sit *necessaria* vel *contingens*, *substantia* vel *modus*, etc.; sed an res ulla vere existat, hi conceptus nec negant nec affirmant. Uno verbo, horum objectum nulla existentia, sed cujusvis existentiæ conditiones sunt.

3° At conceptuum realium, quos superiores vocavimus, objectum omnium maxime reale est, utpote quibus repræsentantur res, quæ non tantum existunt, sed quæ ne quidem possunt non existere.

4° Quæstio difficilior est, ubi agitur de vero objecto conceptuum quibus res finitæ intelliguntur, quibus utique repræsentantur

(1) Quum nemo melius idearum naturam exposuisse nobis videatur quam Leibnitius, operæ pretium esse duximus hujus verba referre in APPEND. *Not.* B.

proprietates quæ reipsâ in pluribus rebus individuis insunt; nam quæstio gravis est, utrum proprietates illæ, quæ in hujusmodi conceptibus ex pluribus individuis collectæ sunt ad unam essentiam constituendam, *a parte rei*, ut aiunt, nihil aliud inter se commune habeant quam similitudinem, an contrà illa essentia pluribus individuis communis reipsa aliquid vere idem sit in variis ejusdem classis individuis.

135. Hæc celebris illa realismi et nominalismi quæstio est, quam expresse suo loco discussimus in *Ontologiâ* (127); ideo hic solummodo opinionis nostræ summam notabimus, quæ huc recidit: *a*) Quæ a logicis species et genera vocantur, pleraque non nisi ex similibus proprietatibus conflatæ formulæ sunt; *b*) in regno vegetali et in regno animali præter individua veræ species existunt; *c*) proprietatibus autem, quæ genera constituunt a naturalistis agnita, verisimillime nihil commune est quam similitudo; *d*) rationem offendit qui supra genera naturalia aliquid commune quærit præter analogiam quæ inter entia variorum generum intercedit (1).

136. 5° Quod ad idearum objectum spectat, de aliis punctis convenit apud omnes qui eas recipiunt, de aliis disputatur.

137. Omnes quidem consentiunt, ideis non objectas esse res ullas singulares aut facta particularia; sed volunt objectum idearum proprium esse veritates generales seu principia universalia, scilicet illa quæ significamus vocabulis : *entis*, *possibilitatis, necessitatis*, *contingentiæ*, *unitatis*, *bonitatis*, *veritatis*, *substantiæ*, *causæ*, *durationis*, *etc. etc.* ac pleraque quæ his contraria sunt.

138. Quum veritates generales vere idearum objectum sint, intelligitur cur et ipsæ communiter idearum nomine donentur.

139. Hæ veritates utique semper animo præsentes sunt, et lumen rationis objectivum constituunt, et quamvis ope hujus luminis a nobis intelligantur quæcunque intelligimus, illud ipsum tamen a nobis non semper percipitur; sed quemadmo-

(1) Hanc quæstionem de industriâ discussimus in peculiari tractatulo : *Du problème ontologique des universaux*, Liége 1845.

dum lumen physicum neque diu neque noctu esse desinit nec tamen semper sentitur, atque etiam claudendo oculos vitari potest, ita illud animi lumen nunquam menti nostræ præsens esse cessat, etsi non semper percipiatur, sive dum mentis oculus non satis firmus est ad illud contemplandum, sive dum ad alia divertitur. Quin imo, ut hanc analogiam prosequamur, sicut lumen physicum, quo omnia visibilia cernimus, non cogitatò videmus nisi jam visis multis aliis; ita et veritates generales, quibus alia quæcunque concipimus, non meditate cogitamus, nisi postquam earum ope jam multa cognovimus.

140. Si modo quæras, quid illud rationis lumen, veritates illæ generales in se sint, auctores etiam præstantissimi non omnino consentire videntur. Alii enim S. Augustinum (1) secuti, ut Malebranche, Bossuet, Fenelon, lumen rationis nostræ aliquid divinum sive Deum ipsum esse dicunt, atque adeo omnia quæ intelligimus, non solum Deo adjutore, sed in Deo ipso et per Deum nos videre contendunt (2); alii contra cum S. Thomâ Aquinate lumen illud aliquid creatum esse aiunt, et similitudinem solum luminis increati (3), proinde omnia, quæ

(1) « Deus, inquit S. Augustinus, *Soliloq.* I, intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent quæ intelligibiliter lucent omnia. » Et *Confess.* lib. XII, c. 25 : « Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsâ, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate. » Item *De Magistro*, c. 11 : « De universis autem, quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Qui autem consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est, incommutabilis Dei virtus atque sempiterna sapientia. » Iterum *Retract.* lib. I, c. 4 : « Credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc incommutabilia vera respiciunt. »

(2) Vid. Malebranche, *Rech. de la vérité*, X^e éclaircissement, et Réponse au livre de M. Arnaud des vraies et fausses idées, chap. 21. Bossuetii autem et Fenelonii nonnulla loca proferemus in Append. *Not.* C.

(3) S. Thomas in tract. *De Magistro*, eas quas nos hic ideas vocamus, modo *rationes seminales* appellat, modo *scientiarum semina*, modo *semina*

intelligimus, nos Deo adjuvante quidem sed non in Deo cernere existimant, utpote quem in hac vitâ per speculum tantum, non facie ad faciem videre possimus (1).

141. S. Thomas scite explicat, quî ex S. Augustini sententiâ non sequatur a nobis in hâc vitâ Dei essentiam videri, atque adeo quousque illius cum suâ sententiâ conciliari possit (2). Quidquid autem de hac re sit, illud cum Leibnitio addere juvat : « Quod ad controversiam attinet, utrum omnia videamus in Deo, quæ utique vetus est sententia et, si sano sensu intelligatur, non omnino spernenda, an vero proprias ideas habeamus, sciendum est, etsi omnia in Deo videremus, necesse tamen esse ut habeamus et ideas proprias, id est, non quasi icunculas quasdam, sed affectiones sive modificationes mentis

omnium sequentium cognitorum. Tum *ibid.* hæc habet : « Rationis lumen, quo principia hujusmodi sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum, *quasi quædam similitudo increatæ veritatis* in nobis resultantis. » Eodem modo loquitur in *Summa theol.* p. 1, q. 84, a. 5, ubi ait : « Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam *participata similitudo luminis increati*, in quo continentur rationes æternæ. » — Mens porro S. Thomæ omnino hæc est : *a*) veritatis ideas esse innatas, sed *b*) cognitiones esse acquisitas ope sensuum. Quod duplex punctum quum non utrumque æque cognitum sit, allatis auctoris verbis probabimus in Append. *Not.* D.

(1) Inter alios cl. Doney, olim philosophiæ professor, hodie Montis Albani episcopus, cujus notam memorandam referemus in Append. *Not.* E.

(2) Nempe *Contra Gent.* lib. III, c. 47, quum probasset in hac vitâ nos divinam essentiam videre non posse, et varia S. Augustini loca sibi objecisset, ubi hic nos omnia vera in Deo, in veritate, in rationibus æternis cernere affirmat, primo quidem ait S. Augustinum his verbis, quibus suffragatur, non velle Deum per essentiam suam in hac vitâ a nobis intelligi, quum contrarium dicat in Libro de videndo Deum ad Paulinam (Ep. 147, al. 112, c. 4 et 5); deinde relatis Augustini verbis (*Soliloq.* I, 8) : *scientiarum spectamina videntur in divinâ veritate sicut visibilia in lumine solis*, ita loqui pergit : « Quæ (visibilia) constat non videri in ipso corpore solis, sed per lumen, quod est similitudo solaris claritatis in aere et similibus corporibus relicta. Ex his ergo verbis Augustini non habetur quod Deus videatur secundum suam substantiam in hac vitâ, sed solum sicut in speculo, quod et Apostolus de cognitione hujus vitæ confitetur I Cor. XIII, 12. » Cf. *Summa Theol.* p. 1, q. 84, a. 5, ubi S. doctor eamdem quæstionem eâdem ratione solvit.

nostræ, respondentes ad id ipsum, quod in Deo perciperemus (1). »

142. IV) Ad *originem* tandem quod attinet perceptionum, conceptionum et idearum, ea longe diversa est.

143. 1° Perceptiones et rerum corporearum et animi nostri statuum producuntur impressionibus sensuum externorum et sensûs interni, per quas attentio ad res illas et hos status satis erigitur ut illorum ideæ directæ acquirantur, etiam sine ullâ aliorum institutione. Duæ igitur ad eas perceptiones formandas sufficiunt : *a*) impressio vel commotio quædam sensibilis, quæ animum satis afficit ut eum incitet et velut expergefaciat ; *b*) attentio spontanea hoc incitamento provocata et quæ sat firma sit ut hoc monitum expresse advertatur.

Aliud quidquam requiritur ut veram perceptionem habeamus veritatum ordinis moralis, quæ per se ipsas nec sub sensus externos cadunt, quia corporeæ non sunt, nec sub sensum internum, quia ab animo et ab animi affectionibus aliquid vere diversi sunt. Nempe ut hujusmodi perceptionem acquiramus, præter ideam innatam, præsertim necesse est ut veritas primo sensibilis fiat, seu velut corporeo quodam indumento vestiatur. Illud indumentum est verbum sive ore sive scripto sive gestu prolatum ; quod ubi satis apte profertur ad animi attentionem excitandam et conservandam, perceptionem veritatis moralis producit eodem circiter modo quo sensationes producunt perceptiones rerum corporearum. Cf. *Logic.* ubi hæc probantur.

144. 2° Conceptiones omnes ipsius mentis operâ formantur, ubi conditiones ad eas formandas necessariæ adsunt. Efficiuntur autem exercendo in perceptiones illos actus qui actus medita-

(1) *Meditationes de cognitione, veritate et ideis.* — Hoc etiam Bordas-Demoulin voluisse nobis videtur, quum in animo simul inesse dicit ideas humanas et divinas ; idea enim, si ejus objectum spectas, cum Bossuet aliquid divinum vocare licet, et si cum Leibnitio ejus subjectum consideras, procul dubio aliquid mere humanum est. At scriptori Gallo concedere non possumus, cognitiones nostras oriri ex *solâ* conjunctione earum quas ideas divinas et humanas appellat.

tionis, vulgo *reflexionis* appellantur. Hos actus et modum quo illorum ope conceptus formantur, exposuimus in Logica (43); quare eos hoc loco non describimus. Illud unum hic adjicimus, eos actus cum successu ad formandas notiones, quæ alicujus momenti in scientiis sint, exerceri non posse, nisi notæ abstractæ, quæ resolvi, comparari et componi debent, nominentur et ope vocabulorum repræsententur; in eo enim nunc philosophi omnes consentire videntur, abstractionem et analysim, quæ in scientiis usu veniunt seu quæ aliquanto longiores aut profundiores sunt, fieri non posse sine vocabulis, quibus illud quod intelligibile in rebus est velut sensibile reddatur.

Universæ porro conditiones, quæ ad conceptionem quamdam formandam necessariæ esse videntur, hæ sunt : *a*) idearum in mente præsentia; *b*) perceptiones jam actu formatæ, tanquam conceptionum materia; *c*) usus vocabulorum ore, scripto vel gestu prolatorum; *d*) exercitium meditationis, sine quâ cæteræ conditiones steriles manerent.

Tres postremas conditiones hodie agnoscunt philosophi omnes (1), primam non item.

145. 3° De idearum origine, necessitate et existentiâ non eadem omnibus sententia est.

Lockiani enim ideas a perceptionibus conceptionibusque distinctas nullas agnoscunt; perceptiones autem et conceptiones omnes oriri censent vel a sensibus vel a reflexione in res per sensus perceptas, atque adeo ideas ipsas negant.

Cartesiani ideas a perceptionibus et conceptionibus probe distinguunt; ideas innatas esse sentiunt, et communiter putant perceptiones et conceptiones ope idearum sponte in animo nostro formari occasione impressionum sensibilium.

Nos ideas ab Auctore naturæ nostræ animo inditas esse, seu tanquam mentis proprietates nobis vere innatas esse tenemus;

(1) Vocabulorum usum ad conceptiones formandas necessarium esse agnoscunt etiam ii qui de sermonis origine nobiscum non consentiunt.

sed ad perceptiones veritatum metaphysicarum et conceptiones quaslibet formandas præter ideas innatas necessariam esse docemus institutionem alienam quâ ideæ illæ excitentur.

Hoc ultimum punctum alibi probavimus (*Log.* 348), quare hoc loco illud solum probabimus quod contra Lockianos de ideis censemus.

146. Age vero *a*) ideas ad eas cognitiones formandas, quas modo diximus, esse necessarias; *b*) illas omnibus cognitionibus, sive perceptionibus sive conceptionibus, in animo antecedere; *c*) ac in animo vere innatas esse, nec aliâ viâ oriri in nobis posse, hæc tria simul probabimus his præsertim argumentis.

1° Hujusmodi ideæ in homine, qui prout conditio naturæ nostræ exigit apte instruitur, *a*) tam facile evolvuntur, et *b*) ubi semel rite perceptæ sunt, tam alte, tam firme, tam indelebiles animo insident, *c*) adeo non mutari aut vitiari ullo pacto possunt, ut omnino pateat eas in se non pendere ab illis adjumentis quibus excitatæ et ad vitam manifestam evocatæ sunt, sed ad ipsam rationis naturam pertinere et animi proprietatibus essentialibus esse accensendas.

2° Ideæ illæ hominibus omnino omnibus insunt, et prorsus eædem sive æquales, quibuscunque etiam adjumentis expresse et distincte earum conscii facti fuerint; quæ communis consensio non a variis apud varios adjumentis, institutione, exemplis (1), sed ab æquali apud omnes naturâ pendeat necesse est; igitur, antequam veritates illæ quibus ideæ respondent aperte cognoscerentur, jam illarum velut semina, initia sive anticipationes in animo latebant.

3° Ideas illas ad rationis nostræ essentiam pertinere, etsi adjumentis externis excitari debeant, inde liquet, quod eadem adjumenta, quibus in homine tam facile ad lucem protra-

(1) Vocabula variarum linguarum, quibus ideæ excitantur, varia sunt; ideæ autem prorsus eædem, ut recte monet S. Augustinus (*Confess.* lib. XI, c. 3.) his verbis: « Intus in domicilio cogitationis nec hebræa, nec græca, nec latina, nec barbara veritas. »

huntur, nihil prosunt cæteris animantibus. Cur enim simii et canes, item psittaci aliaque animantia, quibus eadem ac hominibus exempla ob oculos ponuntur, quæ in iisdem adjunctis externis versantur, quorum etiam nonnulla hominis loquelam imitari videntur, cur, inquam, nullas hujusmodi ideas unquam habuerunt formatas et expressas, nisi quia ipsorum anima alterius ab humanâ naturæ est, cui earum præformationes seu ingenita veritatis semina desunt?

4° In homine, antequam discat seu aperte in se agnoscat illas ideas, jam existere ipsarum germina sive anticipatas informationes, etiam hinc patet, quod, quum docemur veritates quæ rationis principia sunt, continuo in nos ipsos redimus, ut nos ipsos consulamus, et in nostro conscientiæ foro quæramus et reperiamus, an ea revera se habeant ut docentur necne, perinde ac naturaliter et sponte animadverteremus nos illa non institutione addiscere, sed institutione tantum moneri, ut ea ex reconditis animi latebris eruamus (1). Quod omnino aliter fit, dum vel eventus seu facta historica docemur, vel res quasdem singulares, ubi primum sub sensus cadunt, explorare et probe cognoscere volumus; tum enim non in nobis ipsis, sed extra mentem veritatem quærimus. Quorum omnium causa hæc est, quod is qui docet nihil cum aliis communicat nisi verba quædam, quæ ideas non transmittunt, sed solum excitant ubi illæ jam sunt (2).

(1) « De universis autem quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti... Omnes istas disciplinas, quas se docere profitentur (magistri), ipsiusque virtutis atque sapientiæ cum verbis explicaverint, tum illi qui discipuli vocantur, utrum vera dicta sint, apud semet ipsos considerant, interiorem scilicet illam veritatem pro viribus intuentes. Tunc ergo discunt. » S. Augustinus, *De Magistro*, cap. XI.

(2) Hinc recte dicit F. Ancillon, *Essai sur la science et la foi philos.* § 2 : « Quand on communique à d'autres ses propres représentations, on ne leur communique proprement que des mots, et ces mots ne diraient rien à personne, si dans le fond les mêmes représentations et le germe des mêmes sentiments ne se retrouvaient pas chez tous les hommes. Lors-

5° Nisi ideæ in nobis vere ingenitæ essent, nihil cognosceremus præter id quod sensus et reflexio in sensuum impressiones deprehenderent. Reflexio autem efficere quidem potest ut id quod in iis quæ meditamur non aperte cognoscebatur jam distincte agnoscatur, sed omnino nihil iis potest adjicere. Age vero sensus sive externi sive internus nullas apprehendunt veritates generales, necessarias, absolutas, principes. Atque adeo, si nobis aliæ ideæ non essent quam quæ ab experientiâ et reflexione veniunt, nihil a priori, nihil necessario verum esse cognosceremus, de nullâ re apodicticum judicium facere possemus, nulla notio universalis nobis esset, omnes cognitiones nostræ ad sola facta revocarentur; solummodo scire possemus, quoties hoc aut illud evenerit, quid hic aut ille de re quadam sentiat; sed quid fieri omnino nequeat et quid non esse non possit, sive physice, sive metaphysice, sive moraliter, id homo nunquam de ullâ re scire posset. Quid enim? quæcunque ab experientiâ hauriuntur, facta singularia seu res singulares sunt, quibus nihil cum cognitione absolutâ et a priori commune est (1). Atqui ideæ non tantum nobis vere insunt, sed ab omnibus habentur tanquam omnis demonstrationis prima principia et regulæ, quæ proinde ipsæ a posteriori demonstrari nequeunt, et sine quibus nulla demonstrata certitudo esse potest (2).

qu'il est question d'autres objets que de ceux des sens et de l'expérience, instruire, persuader, convaincre, ne signifie en général que développer ce qui est enseveli et caché dans toutes les âmes humaines; rendre clair et distinct ce qui était confus et obscur, diriger l'attention sur ce que l'on faisait et disait sans en avoir la conscience, ou du moins sans en avoir une conscience réfléchie. »

(1) « Les sens, quoique nécessaires pour toutes nos connaissances actuelles, ne sont point suffisants pour nous les donner toutes, puisque les sens ne donnent jamais que des exemples, c'est-à-dire des vérités particulières ou individuelles. Or tous les exemples qui confirment une vérité générale, de quelque nombre qu'ils soient, ne suffisent pas pour établir la nécessité universelle de cette vérité; car il ne suit pas que ce qui est arrivé arrivera toujours de même. LEIBNITZ, *Nouv. essais*, Avant-propos.

(2) In hanc rem etiam præclare notat F. Ancillon, post verba modo al-

6° Certum est nobis esse veram notionem entis infiniti seu omnino perfecti, et hanc notionem esse positivam seu vere affirmantem, imo omnium maxime affirmantem; probe enim concipimus, quid cum hac notione consentiat, quid pugnet, quid ipsi necessario insit; quin etiam nihil finiti aut imperfecti concipimus, nisi quatenus illud conferendo cum notione infiniti reperimus hanc notionem in illud non quadrare.

At vero nisi idea infiniti in nobis innata esset, infiniti notionem aut apertam conscientiam habere non possemus, quum præter hanc ideam nihil omnino reperiatur quod perfecti seu infiniti quidquam contineat; nihil enim infiniti inest sive in rebus in quas reflectimus, sive in vocabulis quibus utimur ad infiniti ideam excitandam. Quod irrefutabili argumento est adjumenta illa suscitare quidem in nobis ac velut expergefacere, minime vero nobis ingerere, donare aut transmittere posse illam ideam.

7° Hinc etiam cernimus cur maximi quique philosophi jam inde a Platone cum S. Augustino, S. Thomâ, Cartesio, Leibnitio, De Maistre et De Bonald ideas innatas tanquam homini ingenita veritatis initia seu principia strenuissime propugnarunt, etsi hi non omnes idem sentiant de modo quo ad horum principiorum apertam conscientiam perveniamus. Cujus dissensionis præcipua causa nobis esse videtur, quod olim de conditionum externarum efficaciâ non penitus constare poterat, deficiente experientiâ (*Log.* 354, *d*).

8° Quin etiam, nisi in infante insint anticipatæ quædam

lata : « Si nous n'avions pas en nous-mêmes un principe générateur de la vérité, nous n'aurions ni une règle ni une pierre de touche, ni une mesure quelconque du vrai. Si nous n'avions pas la conscience et la conviction de certaines vérités que nous portons en nous-mêmes, il n'y aurait pour nous aucun moyen de savoir si ce qui nous vient du dehors est plus qu'une apparence vaine, et si toutes les représentations que l'âme produit et combine ne sont pas un simple jeu de notions. En général, la vérité doit être en nous, soit comme principe, soit comme règle de ce que nous admettons ou rejetons; si non, il est impossible que nous arrivions à une vérité quelconque. »

veritatis informationes, quî ejus animus Dei imaginem in se expressam referat, aut quid hactenus differat ab animâ bruti animantis, ego plane non video. Nonne homo rationis particeps est et rationem vere possidet, etiam diu antequam ratione apte uti possit, quod ejus conscientia nondum satis firma aut aperta est? Quid porro est ratio illa nondum explicata, aut quid aliud esse potest quam mens ideis prædita, quarum hactenus non plane conscia sit?

Itaque concludendum esse censemus, si omnia quæ hoc n° exposuimus simul considerantur, tam certum esse ante apertam veritatis notitiam in nobis existere ideas innatas, quam certo alibi probavimus (*Log.* 349) ideas illas non unice sponte suâ ad claram et distinctam veritatis cognitionem elevari.

147. Huic conclusioni non obest quod dicitur : 1° ideas passim intelligi cognitiones, nullas autem cognitiones nobis esse ingenitas; 2° non concipi posse ideas in mente a mente non perceptas, quæ essent velut substantiæ in animi substantiâ; 3° sed ante cognitionem concedi animo tantum posse facultates cognoscendi, initio quidem nondum ad cognoscendum expeditas, quæ nudæ potentiæ tantum, atque adeo nihil rei sunt, antequam aliquid cognoscatur.

148. Resp. enim : 1° Logicis quidem idea semper notitia seu perceptio quædam rei alicujus est, quum ipsi non loquantur nisi de ideis in statu exercitii seu actu suo patentibus; sed psychologis ideæ nomine venit animi facultas quâ mens refertur ad res cognoscendas, sive jam sive nondum cognoscat; sicut oculus et visus ad res videndas refertur ut organum et facultas videndi, sive jam videantur sive nondum videantur res aliquæ. Itaque, etsi nullam agnoscamus innatam cognitionem, ideas tamen innatas negare non possumus.

2° Ideæ autem non sunt velut substantiæ in animi substantiâ, sed sunt veræ animi proprietates, quibus ipse aptus est ad res hoc et non alio modo cogitandas et agnoscendas. Proprietates illæ simul sumptæ rationem seu animi vitam, non dico spiritualem, sed intellectualem constituunt. Nec prius aperto con-

scientiæ actu percipiuntur quam aliæ res per illas perceptæ sunt, æque ac oculum et visionem nostram non ante percipimus quam res alias conspeximus.

3° Igitur ideæ innatæ animi facultates sunt; non minus tamen errat qui putet facultatem, quæ actu manifesto nondum patescit, nihil vere rei esse, quam is qui censeat in grano frumenti non esse vitam (et quidem hujus generis, hoc est, his qualitatibus præditam), quia nondum ullum accretionis motum in eo percipiat; aut qui facultatem et actum videndi nihil esse dicat, ubi densissimis in tenebris versemur. Facultates illæ tam vere aliquid rei sunt, quam facultas audiendi eo momento quo sonus nullus editur.

His de cognitionum nostrarum origine expositis, jam agendum est de facultatibus quibus cognitiones nostræ magis et magis definiuntur, perficiuntur et augentur.

§ II.

De judicio, ratiocinatione, scientiâ et imaginatione.

149. Perceptiones et conceptiones nostræ utcunque jam formatæ continuo magis definiuntur, perficiuntur et ampliantur exercitio judicii, ratiocinationis, scientiæ atque imaginationis; de quibus omnibus nunc ex ordine disseremus.

150. I) Judicium psychologice spectatum est actus mentis quo aliquid de aliquo affirmatur vel negatur. Illud de quo affirmatur aut negatur, judicii *subjectum* dici solet; illud quod affirmatur aut negatur, judicii *prædicatum* vel *attributum* appellari consuevit. Subjectum et prædicatum simul judicii *materia* vocantur: judicii materia *proxima* sunt ideæ, quarum altera de alterâ affirmatur aut negatur; materia *remota* res, quæ ideis iis repræsentantur; qui enim affirmat aut negat, proxime de ideis et per ideas de rebus judicium profert.

Hoc loco præcipue indicandum est: quomodo judicium se

habeat ad conceptum, quo pacto quilibet conceptus plura contineat judicia, quî judicia ex illo oriantur, atque adeo quî discere possimus vel non possimus judicium facere.

150. Eum in finem ex logicâ in mentem revocari debet, quemlibet conceptum *a*) constitui ex unâ vel pluribus notis sive elementis, quæ simul sumpta conceptûs *comprehensio* vocantur, et *b*) convenire uni vel pluribus rebus, quæ conceptûs *extensio* vel *inferiora* dicuntur.

151. Jam vero evidens est, singulas illas notas sive elementa haberi posse et vere esse prædicata sive attributa, quæ singulatim affirmari possunt de conceptu tanquam subjecto suo. Nec minus perspicuum est, singula conceptûs inferiora haberi posse et vere esse subjecta, de quibus singulis conceptus ipse affirmari potest tanquam ipsorum attributum. Uno verbo, quilibet conceptus haberi potest ut subjectum singularum notarum, quæ ejus comprehensionem efficiunt, et ut prædicatum singulorum inferiorum, quæ illius extensionem constituunt. Unde sequitur, in quovis conceptu tot contineri judicia affirmantia, quot notas ejus comprehensio et quot inferiora ejus extensio contineat. Quare ad judicium aliquod affirmans faciendum, et satis et necesse est, ut vel una ex illis notis de conceptu, vel ut conceptus de uno ex istis inferioribus expresse affirmetur.

152. Porro, hoc ipso quod mens in aliquo conceptu has illas notas videt contineri, quæ de illo affirmandæ sunt, vi principii oppositionis sibi ingeniti notas illis oppositas ex isto conceptu exclusas esse cernit et de eodem negari posse; item hoc ipso quod conceptum aliquem his illis inferioribus congruere et de illis affirmari posse cernit, vi ejusdem principii eum conceptum in inferiora prioribus opposita non quadrare conspicit et de illis esse negandum. Hinc duo amplissimi fontes judiciorum negantium. Negans enim judicium a mente tum fertur, quum ipsa, quod modo hic enunciato negari posse videt, reipsa negat. Ita in quovis conceptu tot continentur judicia negantia, quot notæ cognoscuntur oppositæ notis conceptum illum constituentibus, item quot noscuntur inferiora

scientiæ actu percipiuntur quam aliæ res per illas perceptæ sunt, æque ac oculum et visionem nostram non ante percipimus quam res alias conspeximus.

3° Igitur ideæ innatæ animi facultates sunt; non minus tamen errat qui putet facultatem, quæ actu manifesto nondum patescit, nihil vere rei esse, quam is qui censeat in grano frumenti non esse vitam (et quidem hujus generis, hoc est, his qualitatibus præditam), quia nondum ullum accretionis motum in eo percipiat; aut qui facultatem et actum videndi nihil esse dicat, ubi densissimis in tenebris versemur. Facultates illæ tam vere aliquid rei sunt, quam facultas audiendi eo momento quo sonus nullus editur.

His de cognitionum nostrarum origine expositis, jam agendum est de facultatibus quibus cognitiones nostræ magis et magis definiuntur, perficiuntur et augentur.

§ II.

De judicio, ratiocinatione, scientiâ et imaginatione.

149. Perceptiones et conceptiones nostræ utcunque jam formatæ continuo magis definiuntur, perficiuntur et ampliantur exercitio judicii, ratiocinationis, scientiæ atque imaginationis; de quibus omnibus nunc ex ordine disseremus.

150. I) Judicium psychologice spectatum est actus mentis quo aliquid de aliquo affirmatur vel negatur. Illud de quo affirmatur aut negatur, judicii *subjectum* dici solet; illud quod affirmatur aut negatur, judicii *prædicatum* vel *attributum* appellari consuevit. Subjectum et prædicatum simul judicii *materia* vocantur: judicii materia *proxima* sunt ideæ, quarum altera de alterâ affirmatur aut negatur; materia *remota* res, quæ ideis iis repræsentantur; qui enim affirmat aut negat, proxime de ideis et per ideas de rebus judicium profert.

Hoc loco præcipue indicandum est: quomodo judicium se

habeat ad conceptum, quo pacto quilibet conceptus plura contineat judicia, quì judicia ex illo oriantur, atque adeo quî discere possimus vel non possimus judicium facere.

150. Eum in finem ex logicâ in mentem revocari debet, quemlibet conceptum *a*) constitui ex unâ vel pluribus notis sive elementis, quæ simul sumpta conceptûs *comprehensio* vocantur, et *b*) convenire uni vel pluribus rebus, quæ conceptûs *extensio* vel *inferiora* dicuntur.

151. Jam vero evidens est, singulas illas notas sive elementa haberi posse et vere esse prædicata sive attributa, quæ singulatim affirmari possunt de conceptu tanquam subjecto suo. Nec minus perspicuum est, singula conceptûs inferiora haberi posse et vere esse subjecta, de quibus singulis conceptus ipse affirmari potest tanquam ipsorum attributum. Uno verbo, quilibet conceptus haberi potest ut subjectum singularum notarum, quæ ejus comprehensionem efficiunt, et ut prædicatum singulorum inferiorum, quæ illius extensionem constituunt. Unde sequitur, in quovis conceptu tot contineri judicia affirmantia, quot notas ejus comprehensio et quot inferiora ejus extensio contineat. Quare ad judicium aliquod affirmans faciendum, et satis et necesse est, ut vel una ex illis notis de conceptu, vel ut conceptus de uno ex istis inferioribus expresse affirmetur.

152. Porro, hoc ipso quod mens in aliquo conceptu has illas notas videt contineri, quæ de illo affirmandæ sunt, vi principii oppositionis sibi ingeniti notas illis oppositas ex isto conceptu exclusas esse cernit et de eodem negari posse; item hoc ipso quod conceptum aliquem his illis inferioribus congruere et de illis affirmari posse cernit, vi ejusdem principii eum conceptum in inferiora prioribus opposita non quadrare conspicit et de illis esse negandum. Hinc duo amplissimi fontes judiciorum negantium. Negans enim judicium a mente tum fertur, quum ipsa, quod modo hic enunciato negari posse videt, reipsa negat. Ita in quovis conceptu tot continentur judicia negantia, quot notæ cognoscuntur oppositæ notis conceptum illum constituentibus, item quot noscuntur inferiora

opposita inferioribus, in quæ conceptus ille quadrare cernitur.

153. Inde facile colligitur, judicium ad conceptum ita se habere, ut quivis conceptus sit complexio plurium judiciorum nondum expresse, definite seu distincte enuntiatorum, et quodlibet judicium expressa, definita sive distincta cujusdam conceptûs partis enuntiatio. Conceptus itaque plura quidem continet, at implicite; judicium pauciora complectitur, sed explicatius. Conceptus item judiciorum fons et scaturigo est, judicia conceptum explicant simul et circumscribunt.

154. Ex modo, quo judicia e conceptibus oriuntur, etiam hoc patet : Homo, si stricte loqui velis, judicare non addiscit (judicia quidem discere potest, seu veritates et facta, quæ per propositiones sive judicia docentur); sed, quum rei seu veritatis cujusdam sufficientem conceptum obtinuit, jam sponte et suapse in judicium prorumpit. Judicandi et facultas et actio animo naturalis est, quam ipse sponte suâ exercet, et cujus exercitium non aliter a causis externis pendet, quam quatenus his judicii materia præcipua menti proponi debet.

155. II) Ratiocinatio. Quæ modo de judicio diximus, hæc omnia etiam quadrant in *ratiocinationem*, quæ psychologice considerata definiri debet actus, quo mens aliquid e judicio quodam concludit. Quid enim? *a*) eâdem ratione quâ e conceptu judicium, e judicio ratiocinatio nascitur; *b*) sicut judicium conceptum, ita ratiocinatio judicium explicat, circumscribit, seu illius partem quamdam sive contentum distincte enuntiat; *c*) quemadmodum omnis conceptus plura judicia, ita omne judicium plura alia judicia implicite continet, quorum si vel unum vel plura eruimus seu expresse deducimus, totidem ratiocinia efficimus. Hoc judicium, v. g. *omne animal est corporeum*, tot ratiocinia affirmantia continet, quot inferiora subjectum ejus computat, item quot notas ejus complectitur prædicatum; contra saltem tot negantia ratiocinia continet, quot notæ illis notis oppositæ cognoscuntur.

Itaque ratiocinationem tunc proprie facimus, ubi inter plura, quæ ex judicio quodam sequi videmus, unum aliquid per novum

judicium sive affirmans sive negans distincte inferimus et astruimus.

156. III) Scientia. Qui conceptùs alicujus notas primarias per distincta judicia de illo affirmat, tumque ex his judiciis præcipua pleraque judicia quæ in iis continentur per aptas ratiocinationes deducit, rei seu veritatis, quæ conceptu illo repræsentatur, *scientiam* habere dicitur, pro vocis hujus sensu vere philosophico. Hoc vocabulum varie quidem accipitur, speciatim vero *scire* idem esse dicitur ac *videre*, hoc est propositionis cujusdam intrinsecam evidentiam assequi; sed ut rei alicujus scientiam aliquantum completam habere dici possimus, tria passim a doctis exiguntur : 1° ut rem illam per notam suam primariam cognoscamus, 2° ut cæteras plerasque ejus proprietates præcipuas noverimus, 3° ut conspiciamus quî proprietates illæ inter se consentiant et a primariâ illâ pendeant. Jam vero quis non videt, ad hæc necessarium esse rei illius conceptum tam perfecte elaboratum, ut 1° nota ejus primaria aperto affirmetur judicio, et 2° ut cæteræ proprietates ejus præcipuæ tam distincte perceptæ sint, ut 3° aptis ratiociniis ex judicio illo ultro sequi conspiciantur?

157. Ex his vero sequitur, conceptum et scientiam inter se ita se habere, ut quilibet conceptus vere scientiam aliquam integram contineat, scientia autem conceptûs declaratio et omnium illius partium completa explanatio et circumscriptio sit, quemadmodum per singula judicia et ratiocinia singulæ illius partes definiuntur et expresse declarantur. Hujus veritatis exemplum et probationem habebis, si v. g. rite adverteris, quid ad *hominis*, *animalis, plantæ,* etc. conceptus, quid ad horum scientias requiratur.

158. Igitur judicium, ratiocinatio et scientia conceptui nihil adjiciunt, sed illum tantum illustrant, magis definitum et magis distinctum efficiunt, uno verbo cognitiones nostras proprie non augent, sed perficiunt.

159. IV) Imaginatio. Res aliter se habet cum imaginatione, quæ producens sive inventrix appellari solet.

Imaginatio seu *phantasia* generatim vocatur facultas rem sive veram sive fictitiam sub formâ sensibili, seu potius per mentalem imaginem seu phantasma sibi repræsentandi.

Nunc passim dividitur in reproducentem et producentem.

160. Imaginatio *reproducens*, quam *conservatricem* appellare maluerim, est facultas impressionem ejus rei, quam per sensus externos quoscunque percepimus, ad modum phantasmatis conservandi velut habitu quodam seu in statu potentiæ, et phantasma illud datâ occasione reproducendi seu ad statum exercitii revocandi.

Hujus partes maximæ sunt in omnibus perceptionibus præsertim sensibilibus. Ea enim fit ut quævis sensationes, item vocabula quibus res incorporeæ nominantur, ab animo recipiantur, percipiantur et conserventur. Quare S. Thomas merito dixit : « Intellectus noster secundum statum præsentem nihil intelligit sine phantasmate (1). » Ea etiam plurimum confert ad memoriam; quomodo autem ab hac differat, postea suo loco dicemus (168).

161. Imaginatio *producens*, quæ et inventrix et creatrix appellatur, utpote quæ ex phantasmatibus receptis nova quædam a prioribus diversa conficit, duplex distinguitur, videlicet inferior, quæ non inepte nuncupetur *mechanica*, et superior, quæ *æsthetica* sive *artistica* vocari merito possit.

162. Imaginatio producens inferior est facultas, quâ mens varia phantasmata ejusdem generis in suas partes resolvit, quarum relictis aliis alias in novum conjungit phantasma nulli ex prioribus undequaque simile. Hac facultate v. g. visis multis ædificiis, quorum phantasmata menti obversantur, novum quoddam ædificium mente construimus, cujus partes non ad exemplar unius illorum conficimus, sed has ex illo et alias ex eorum alio desumendo. Ultro cernitur, quantum hæc imaginatio conferat ad artes mechanicas et industriæ, quæ hodie vocatur, colendas et perficiendas. Unde enim præcipuus harum profectus,

(1) *Adversus gentes*, lib. III, c. 41.

nisi ex novis industriorum compositionibus imaginum, quas ubi experientia dein confirmat et utiles esse probat, genus humanum novo invento quodam ditatum est?

163. Imaginatio producens superior est facultas mentis res non corporeas, ut animi dotes et affectus, sub formis corporeis sive sensibilibus sibi exhibendi et aliis patefaciendi, vel quod res illas cum illis formis alicubi conjunctas aut illis indutas percepimus, vel propter penitiorem quamdam inter res et formas illas analogiam.

Hæc imaginatio æsthetica et artistica appellatur, quia plurimum confert ad pulchrum quod artisticum dicitur concipiendum et producendum, in quo artes ingenuæ versantur totæ et omnes; quarum singulæ aliis formis dotes, virtutes, affectus, et alias res quæ per se sub sensus non cadunt, concinne patefacere student, ut *poesis et eloquentia* sermone seu litteris ore vel scripto prolatis, *musica* sonis non articulatis harmonice compositis, *pictura, sculptura*, etc. signis manentibus ante oculos præsertim propositis. Quis enim artifex dici, aut quid pulchri efficere quispiam sine hujusmodi imaginatione possit?

Itaque hæc imaginatio conditio necessaria est, tum ut pulchri sensus (*le goût*), quo pulchrum percipimus, de pulchro judicamus et pulchro gaudemus, tum ut ingenium (*le génie*), quo pulchrum artificiosum efficitur, vere existere possint. Unde etiam sæpe fit, ut non abs re, etsi non omnino recte, ipsa cum his confundatur.

164. Hæc facultas procul dubio una ex præstantissimis prærogativis est quibus Deus hominem donavit, et quâ hominis intellectus ad naturam virtutis creatricis proxime accedit, quippe quâ res sibi cognitas novis formis ita induit, ut eas mente hoc modo concipiendo velut novas creet. Præterea, ut completa sit illa facultas et ad apte agendum expedita, aliis præcipuis animi facultatibus et satis exercitis et bene ordinatis stipata ac suffulta sit necesse est; etenim non nisi manca vel saltem inordinata esse potest imaginatio ejus, qui non rerum bene, multarum notitiam et conceptus tam distinctos sibi com-

paravit ut eas vere sciat, qui mentem non occupat in iis meditandis et excolendis quæ honesta et homine ingenuo digna sunt, quique illa quæ apte concipit congruis et delectis induere formis non novit, sive verbis, sive sonis, sive signis manentibus.

Hinc perspicuum est, ut imaginatio omnibus numeris absoluta sit, plurima necessaria esse, quæ raro omnia conjuncta reperiuntur; atque eâdem de causâ ipsam plurimis a recto deflectendi periculis esse expositam; ut non mirum, etsi dolendum sit, tot homines hac præcellenti naturæ dote abuti, eam vel non satis vel non recte excolendo (1).

§ III.

De memoriâ.

165. Ut cæteris mentis facultatibus cognitiones nostras acquirimus et perficimus, ita memoriâ cognita conservamus et renovamus. Etenim

166. Memoria psychologice spectata est animi facultas cogitationes et cognitiones quascunque olim menti obversatas ita conservandi, ut eas aperte in mentem revocare possimus, et simul conscii esse has easdem esse quas antea habuimus; aliis verbis, est facultas animum occupandi in re jam antea perceptâ et simul recognosendi hanc eamdem esse quam olim percepimus. Duplex igitur hujus facultatis est actus, nempe renovata cogitatio de re antea cognitâ, et agnitio seu conscientia quâ novimus cogitationem hanc eamdem esse quam ante habuimus; actus ille proprie *reminiscentia* sive *recordatio* appellatur.

167. Etsi omnium antea perceptorum memoria nobis esse possit, non omnia tamen eodem modo recordamur; namque,

(1) Vid. plura quæ ad hanc materiam pertinent in *Ontol.* c. 3, § 7; item V. Gioberti, *Théorie du beau*; le P. André, *Essai sur le beau*; Descuret, *Théorie morale du goût*.

ut recte monet De Bonald, ideas et imagines stricte in mentem revocamus, quippe quæ ipsæ in animo velut reviviscunt, sed sensationum ita meminimus ut recordemur nos hæc illave sensisse, non revocando ipsas sensationes. Quod vel inde constat, quod ingratarum sensationum memoria sæpe grata est, et vice versâ; quare de malis antea perpessis poeta merito dixit : *Forsitan hæc olim meminisse juvabit.*

168. Memoria non raro cum imaginatione reproducente confunditur; sed, quamvis hæc ei multum inserviat, plane tamen ab ipsâ differt, tum quod imaginatione reproduci possit imago ante habita, etsi non renovetur conscientia hujus imaginis ut jam antea perceptæ, tum quod imaginatio stricte dicta non omnia cognitionum genera reproducere queat, quippe quæ non omnia attingit (160).

169. Memoria ex variis capitibus varie dividitur. 1° A *dotibus*, quibus præstat, dividitur *a*) in *vastam*, quæ rerum plurimarum recordatur, ut Mithridatis, qui millena militum nomina semel audita retinuisse fertur; *b*) in *fidelem*, quæ res antea perceptas eodem prorsus ordine reproducit, ut Senecæ, qui narrat se e memoriâ etiam regrediendo recitasse Virgilii carmina a præceptore semel prælecta; *c*) in *tenacem*, quæ diu retinet, ut Themistoclis, qui eum felicem habebat qui præterita oblivisci posset; *d*) in *felicem*, quæ aliquantum omnibus his dotibus, at præsertim recordandi facilitate eminet.

2° Pro statu quo antea cognitorum nunc vel directam vel reflexam conscientiam habemus, memoria *habitualis* est, quâ non obliti sumus sed recordari tantum possumus, vel *actualis*, quâ nunc expresse recordamur olim cognitorum. Prior igitur mera reminiscendi potentia, posterior reminiscendi actus præsens est.

3° Secundum objecta memoria *sensibilis* dicitur, quæ versatur circa res sensibiles, quatenus eæ sub sensus cadunt, et *intellectualis*, quæ detinetur in rebus quæ supra sensus positæ sunt, vel etiam in iis quæ in rebus corporeis sensus effugiunt (*Ontol.*).

4° E *modo*, quo recordationis actus in nobis producitur,

distingui jure potest memoria mere *spontanea* et *libera*, prout res antea cognita suapse et solà sponte suà in mentem redit, vel datà operà et studio, quæ omitti a nobis potuissent, revocatur.

5° Denique, prout *adjuncta* rei, quæ recognoscitur, simul vel non reminiscimur vel reminiscimur, memorandi actus *recordatio pura* vocatur vel *consociatio idearum*.

170. Videlicet, ubi rei olim cognitæ ita reminiscimur, ut locum, tempus, alios modos illius cognitionis non recordemur, recordatio pura seu simplex habetur; sin contra, consociatio idearum.

Porro, sicut memoria generatim sumpta habitualis est vel actualis, ita consociatio idearum modo intelligitur illa mentis nostræ *dispositio*, quà fit ut redeunte unà cognitione simul in mentem redire soleant aliæ quædam cognitiones olim habitæ et cum illà quomodocunque connexæ, modo ipsa *præsens recordatio* multiplex, seu reminicendi actus quo plures cognitiones aliquo modo connexæ nunc aliæ propter alias in mente simul renovatæ existunt.

171. Consociatio idearum seu recordatio multiplex ulterius apte dividitur in arbitrariam sive fortuitam et in rationalem sive naturalem, prout cognitiones quæ nunc simul habentur arbitrario vel naturaliter inter se connexæ sunt. Arbitraria seu fortuita connexio est inter cognitiones, quæ in mente nostrà non aliter nexæ et sociatæ sunt quam quod eas vel eodem tempore, vel eodem loco acquisivimus, vel quod eas signis pro arbitrio excogitatis alligavimus. Rationalis seu naturalis est consociatio illarum cognitionum, quæ naturà suà inter se ligatæ et connexæ sunt, ut v. g. inter quas existit relatio principii et consequentiæ, causæ et effectûs, similitudinis vel dissimilitudinis apertæ et ab ipsà rerum indole manantis; ut adeo illarum præsens conjunctio non a voluntate arbitrario agente pendeat, sed a ratione rerum naturam investigante.

172. Causæ, cur recordatio modo pura seu simplex, modo multiplex seu consociata sit, variæ esse possunt. Præcipuæ nobis esse videntur : *a)* ipsa conceptionis et memoriæ exiguitas

vel amplitudo, quo fit ut alii pauca tantum, alii plura simul observare, perspicere et retinere possint; *b*) nostra cognitionum acquisitarum æstimatio, nempe prout eas vel hæc illave ipsarum adjuncta majoris vel minoris habere solemus, præsertim eo tempore quo primum acquiruntur, atque adeo prout tunc utile vel inutile censemus res undequaque considerare et memoriæ expresse mandare; *c*) modus, quo res tunc, quum primum cognoscerentur, magis vel minus clare, distincte, complete, at præsertim fortius vel remissius cum his illis adjunctis perceptæ vel conceptæ fuerunt. Hic modus sæpe a causâ proxime præcedente pendet; aliquando ab ipsâ rerum novitate, raritate, similive circumstantiâ extraordinariâ.

173. Conditiones ad omnem recordationis actum necessariæ quatuor sunt : 1° Identitas subjecti, 2° anterioris cognitionis conservatio per memoriam habitualem, 3° hujus memoriæ excitatio et prioris perceptionis renovatio, 4° mentis in se ipsam reflexio quâ præsentem cognitionem eamdem esse agnoscit cum antea habitâ.

174. Quod ad 1^{m} conditionem attinet, ea hujusmodi est ut non probatione sed attentione prorsus evidens fiat. Fieri enim omnino nequit ut recordatio dici aut esse possit, ubi ens quod recordetur non vere idem sit cum eo quod antea cognovit rem, de cujus reminiscentiâ agitur.

175. Conditionem 2^{m} non minus necessariam esse ex eo sequitur quod, nisi prioris cognitionis memoria habitualis non interrupta continuasset, intelligi nequeat, quî præsens cognitio reviviscere potuerit, et ita cum priori comparari et connecti ut cum eâ prorsus eamdem esse conspiciatur. Sine hujusmodi continuatione rem eamdem bis aut sæpius cognoscere, at non vere recordari possemus.

176. Unde vero continuatio illa pendeat, quæstio difficilis et nondum plane dissoluta est. Illam præcipue ab ipsâ mentis nostræ indole pendere, inde liquet, quod memoria et recordatio animi non corporis facultates et actus sunt, ad quos perficiendos, sive aptiores et promptiores reddendos, corpus tamen conferre potest.

177. Corporis constitutionem multum eo conferre contendunt plerique antiquiores et recentiores, sive qui systema paulo crudius *vestigiorum* cerebro impressorum docuerunt, sive qui systema phrenologicum non omni veritate destitutum esse censent (1). Cujus utriusque systematis, quatenus huc pertinet, fundamentum hoc est : vix ullam aut nullam animi cognitionem esse sine interventu systematis nervosi, cujus maxima pars et velut centrum cerebrum est ; præterea ex qualibet cognitione, præsertim si sæpius repetita fuit, non minus a cerebro seu systemate nervoso quam a mente habitum contrahi sive dispositionem ad eosdem cognitionis actus renovandos, eamque dispositionem eo majorem vel potiorem esse, quo cognitiones sæpius et expressius repetitæ fuerunt, unde velut vestigia quædam in cerebro impressa manent, at præsertim quo ipsius systematis nervosi et cerebri conformatio aptior est, unde ex ipsâ externâ cranii formâ indicium non certum quidem sed, nisi aliunde aliter constet, probabile interioris habilitatis capi solet. Cerebri concursum ad rerum memoriam conservandam arguere inter alia videntur hæc facta : *a*) juniore ætate, ubi cerebrum aptius est, facile discimus et diu retinemus, at postea, dum cerebrum minus idoneum est, difficile addiscimus et cito obliviscimur; *b*) qui gravedine vel alio capitis dolore laborat, memoriâ difficillime utitur; *c*) ex nimio memorandi studio cerebrum fatigamus et capite dolemus.

178. Necessitas 3æ conditionis ex eo patet, quod, nisi habitus excitetur et exerceatur, nullus sive cognitionis sive reminiscentiæ vere actus esse potest, sed ante habita cognitio in mente velut consopita jacet, perinde ac si nunquam fuisset. Excitari autem mens ad recordandum bifariam posse videtur, nempe si alius quisquam monet ut reminiscamur, vel si mens suâ ipsius alacritate præterita revocat, sive spontanee tantum, sive etiam libere. Dum mens se ipsam excitat, hoc saltem plerumque,

(1) Quid in hoc systemate falsum haberi debeat, et qui materialistæ eo abutuntur postea, cap. 3°, exponemus.

et ut nunc viris philosophiâ claris placet (1) semper facit per quamdam consociationem idearum, quam Cl. Tandel hoc circiter pacto declarat : Nulla cognitio, nullave recordatio *omnino* simplex est, sed omnis cogitatio saltem pluribus velut elementis constat; jam vero ubi inter cogitationis præsentis elementa unum alterumve reperiatur quod cum cogitationis præteritæ non penitus oblitæ elementis quibusdam affine vel aliter connexum est, hæc præsens cogitatio cogitationem præteritam resuscitat, hæc similiter aliam, et ita deinceps. Ego quidem illud concedo, ubi operâ deditâ conamur libere recordari quorum reminisci volumus, per hujusmodi idearum consociationem nos eniti ut ea recognoscamus; adhæc, quoties post spontaneam recordationem regrediendo videre mihi licuit quâ viâ ad eam pervenissem, me per consociationem idearum eo pervenisse reperi; attamen subinde spontanea recordatio tam subita est, ut, quâ ratione eam obtinuerim, me omnino fugiat. Opinioni propositæ etiam aliquod pondus accedere videtur ex eo quod, quum mens nostra semper actuosa sit, ut postea ostendemus (cap. IV), inde facile concipiatur, et viâ prorsus rationali explicetur, quî cogitando ab aliis ad alia cogitata, a primis quandoque longissime dissita, pedetentim digrediamur.

179. Non minus quam cæteræ necessaria est ad verum recordationis actum 4ª conditio, quâ mens se ipsam considerans conscia fit, et nunc se hæc illa percipere, et hanc perceptionem eamdem esse quam ante jam habuit. Hunc unius animi actum esse et omnino spiritualem, ei qui attendit per se patet, et postea apertius ostendetur.

180. Memoria æque ac cæteræ animi facultates exercitio augetur et perficitur, exercitationis neglectu minuitur, debilitatur, elabitur.

181. Ad eam excolendam et perficiendam triplex præsertim inventa est et passim adhibetur methodus : *mechanica*, *artificiosa* et *rationalis*. Prima recordationibus puris, secunda consociatio-

(1) Vid. E. Tandel, *Cours d'Anthropologie* et *Mémoire sur un phénomène de somnambulisme*.

nibus idearum arbitrariis, tertia naturalibus consociationibus excitandis maxime inservit.

182. Nimirum prima consistit in crebrâ repetitione eorumdem verborum, nominum, rerum, eum in finem susceptâ, ut hæc facile eodem ordine reduci et enarrari queant quo ipsa didicimus. Secunda versatur in connectendis iis quæ retinere volumus cum signis vel rebus quæ cum ipsis nihil commune habent præter propositum nostrum ea reminiscendi, quum hæc signa vel res iterum conspexerimus. Ita nodum in strophio, chartam in tabaci pyxidulâ, utensilia vel libros in loco insolito ponimus, ut his iterum visis recordemur eorum quæ cogitabamus, quum illa poneremus. Tertia conatur perspicere quomodo illa omnia quæ memoriæ mandanda sunt inter se cohæreant, alia pendeant ab aliis, et universa ad pauca principia quædam possint reduci, item quæ ex his ordine logico prima, secunda vel posteriora sint, vel quæ omnium causa generalis, quæ causæ secundæ seu mediæ, et qui fuerint effectus, ut ita ex nexu eorum naturali mens ex aliorum recognitione ad alia recordanda recto ordine adducatur.

183. Itaque singulæ illæ methodi non æque utiles sunt ad memoriæ culturam, præsertim ut hæc proficiat etiam cæteris animi facultatibus; neque eæ promiscue sunt adhibendæ. Etenim ad omnes ingenii vires augendas et perficiendas plurimum confert usus consociationum naturalium, seu methodus rationalis; at memoriam parum juvant, cæteris autem facultatibus non raro nocent, methodi mechanica et artificiosa. Ubi autem solummodo agitur de materiâ libri cujusdam memoriæ mandandâ, ego quidem sic existimo, si liber ille continet facta, nomina, aut alias res similes, qualibus constat historia sive civilis sive naturalis quæ vocatur, eum tum celeriter et sæpe esse legendum, relegendum atque iterum percurrendum; sin vero tractat scientiam quæ ratione maxime nititur, ipsum lente, meditate, at minus sæpe perlegi debere. Hic etiam multum expedit analysi scriptâ argumenti summam eruere, et clauso libro præcipua rerum momenta intra se meditari potius quam repetere.

§ IV.

De sermonis officio et origine.

184. Cognitiones nostras enuntiamus et cum aliis hominibus communicamus ope sermonis sive ore prolati, sive scripto, sive gestu. At gestu et scripto conceptiones nostras atque veritatum metaphysicarum perceptiones aliter apte patefacere non possumus, quam ubi illa orationi seu verbis de industriâ substituta sunt, ut horum vices suppleant; quare hoc sensu omnia cognitionum nostrarum de rebus quæ sub sensus non cadunt signa ad ipsam orationem revocantur.

185. Jam vero inter orationem sive sermonem et cognitionem seu cogitationem tanta connexio est, ut cogitatio merito a Platone sermo mentis internus dicatur, orationem vero, ut vox ipsa indicat, rationem seu cogitationem ore prolatam recte vocaveris.

186. Hinc etiam fit ut cogitatio et oratio, ubi definitæ et completæ sunt, iisdem constent partibus essentialibus. Cogitatio enim definita et completa non est nisi judicio, in quo velut partes essentiales distinguuntur subjectum, prædicatum et copula; oratio autem definita et completa constituitur propositione, ad cujus essentiam pertinent substantivum, adjectivum (seu duo vocabula unum substantive alterum adjective sumpta) et verbum. Cæteræ tum orationis tum cogitationis partes vel ad illorum vices supplendas vel ad ipsorum modos notandos solum inserviunt.

187. Quam necessarius sit sermo non tantum ad cognitiones nostras enuntiandas, sed etiam ad ideas nobis ingenitas excitandas et ad apertam veritatis notitiam elevandas, alibi probavimus (*Log.* 349). Hujus autem loci esse duximus, quæstionem de sermonis humani origine breviter exponere. Potest autem quæstio hæc dupliciter solvi, nempe ex connexione sermonis cum rationis nostræ exercitio, et ex sermone in se spectato.

Solvitur quæstio de sermonis origine ex connexione sermonis cum ratione.

188. Ut cl. collega noster A. Tits primus quoad sciam observavit, quæstio de sermonis origine variis temporibus variis modis tractata est, et adeo pendet a quæstione de cognitionis humanæ origine, ut illius consectarium tantum sit, proindeque hoc ipso soluta jam sit quod illa recte solvitur.

189. Primum quidem non quærebant, an sermo sine Dei interventu institui ab homine possit, sed utrum reipsa divinitus an humanitus sit institutus. Omnes autem christiani jam inde a remotissimâ antiquitate ad hæc usque tempora sermonem Dei donum, non humani ingenii inventum esse consentiunt. Arnobius quidem graphice describit hominis quem nemo docuisset stupiditatem (*Log*. p. 157). Lactantius hypothesim *status naturæ* a philosophis incredulis dicti, in quo finguntur homines *primo nutibus voluntatem suam significasse, tum sermonis initia tentasse, ac singulis quibusque rebus nomina imprimendo*, *paulatim loquendi perfecisse rationem*, ita explodit : *O ingenia hominibus indigna*, inquit, *quæ has ineptias protulerunt*, *miseros atque miserabiles qui stultitiam suam litteris memoriæque mandarunt* (1)*!* S. Augustinus etiam apertius dicit : *Deum colimus... qui sermonis facultatem usumque donavit* (2). Quin et ipse ille Condillac, qui ex christianis primus vel saltem inter primos explicare voluit, quî sermo ab hominibus constitui possit, expresse docet, primos homines a Deo sermonis usu donatos fuisse (3).

(1) *Div. Instit.* lib. 6, c. 10.

(2) *De Civ. Dei*, lib. 7, c. 30.—Cff. etiam Lessius, P. André, De Feller, locis infra indicandis; Bergier, *Dict. de Théol.* art. *Langage;* Stolberg, *Hist. relig. Christ.* in Gen. II, 18-20; Warburton, *Tentamen de hieroglyphis*. Nimium est nominare scriptores qui post cll. De Bonald, De Maistre, Fr. De Schlegel, Mœhler, Klee, hanc sententiam deditâ operâ propugnarunt.

(3) « Adam et Eve, inquit, ne durent pas à l'expérience l'exercice des opérations de leur âme, et en sortant des mains de Dieu ils furent, par

190. At jam inde a duobus et amplius sæculis philosophi tum christiani tum alii diligentius inquisierunt, utrum homo sermonem invenire vel constituere sine Dei interventu posset?

191. In eâ quæstione non agebatur de possibilitate intrinsecâ quam vocant; sed quærebatur an facultates ingenii humani sufficiant ut loquendi usus inveniatur vel aliter instituatur ab homine quem nemo docuisset. Hanc quæstionem, ut supra monuimus, varie tractarunt.

192. Initio quidem quæstionem de sermonis inventione agitabant eodem prorsus modo ac si de aliâ quâdam inventione ageretur, e. g. artis pingendi, scribendi, typographicæ; nempe ut certum ponebant, quod quærebatur et quod falsum esse postea compertum fuit, homines ante sermonis commercium, seu quos nemo docuisset, jam pleno rationis seu ingenii facultatum usu frui. Ponebant ergo, rationis ab orationis usu non pendere; ut adeo quæstio huc recideret, an homines jam pleno rationis usu fruentes sermonem invenire possent. In quæstione hoc modo positâ solæ ponderandæ et expendendæ venire poterant difficultates externæ, quales in cæteris vere inventis vinci debuerunt. Attamen ad quæstionem adeo limitatam dum Condillac (1) et nonnulli alii responsum affirmans darent, sagacissimi plerique cum L. Lessio et De Feller (2) negandum esse respondebant ob rationes minime spernendas.

un secours extraordinaire, en état de réfléchir et de se communiquer leurs pensées (*Essai sur l'origine des connaissances humaines*, 2e part. initio et not. 1). » Cur igitur philosophus ille explicare conatur, quâ ratione homo sermonem constituere possit? « Si j'ai supposé deux enfants, respondet, dans la nécessité d'imaginer jusqu'aux premiers signes du langage, c'est parce que j'ai cru qu'il ne suffisait pas pour un philosophe de dire qu'une chose a été faite par des voies extraordinaires, mais qu'il était de son devoir d'expliquer comment elle aurait pu se faire par des moyens naturels (*Ibid.*). » Magnopere scire a Condillacio velim, quâ viâ ordinariâ primus homo, primum animal, prima item planta oriri potuissent.

(1) Condillac ut ostenderet quomodo sermonis constitutio viâ ordinariâ fieri posset, statuam, cui suas ipsius facultates tribuebat, loquentem et philosophantem exhibebat.

(2) Lessius de hâc re ita loquitur (*De perfectionibus divinis*, lib. 6,

193. Sed quum quæstio adhuc male posita esset, seu falsâ laboraret hypothesi, certo solvi, aut solutio, etsi vera, invicte probari non poterat. Nam qui a falsâ proficiscitur hypothesi, in verum æque ac in falsum incidere forte potest; sed, in hocne an in illud inciderit, probare nequit. Eamdem ob causam deinceps inutilia sunt pleraque rationum momenta, quibus sermonem divinitus constitutum esse antea probarunt.

194. Igitur hactenus lis sub judice mansit. At brevi post sermonem et rationem tam arcte inter se nexas esse notarunt, ut cogitare de rebus quæ sensus non afficiunt sine vocabulis homo non possit, nec vocabula nisi ad res hujusmodi cogitandas ipsi necessaria sint. Hoc nunc passim agnoscitur [1].

c. 4, n. 31, Antverpiæ 1626) : « Non enim prima nominum institutio et linguarum formatio est ex hominum industriâ et conventione ; ut facile colligere est tum ex miro artificio quod singulis in linguis cernitur, tum ex ipsâ sacræ Scripturæ Gen. II apertâ narratione, tum ex eo quod non appareat modus proponendi, deliberandi et consentiendi in idem nomen, inter homines nullius linguæ. Pone mille viros expertes omnis idiomatis in insulâ remotâ ab omni commercio aliorum. Quomodo hi convenient ut de singulis nominibus statuant? Quomodo hoc consilium communicabunt sociis? Quomodo res singulas in deliberationem inducent? Quomodo res spirituales, ut functiones potentiarum animæ? Quomodo distinctiones temporum, præsentis, præteriti, futuri, modos imperandi, optandi et alia innumera? Quâ vocis inflexione hæc singula sint significanda? Hinc manifestum est, linguas esse beneficium divinum, non inventum humanum. Postquam tamen jam semel constitutæ sunt, possunt vario modo misceri, novari, formari »

Quæstionem, ut supra posita erat, melius tractat P. André, *Discours sur les merveilles de la parole* (Vid. *Revue catholique*, tom. II, Liége 1845).

« Ces dissertateurs sur l'origine des langues, dit De Feller (*Catéch. phil.* n. 152), feraient mieux de convenir, avec J. J. Rousseau, qu'il est impossible de concevoir comment d'eux-mêmes les hommes aient pu se former un langage, et de reconnaître en conséquence avec Moïse une langue primitive que Dieu lui-même leur a donnée, et que les événemens ont modifiée et altérée en mille manières différentes. Effectivement, dire que les hommes se sont fait un langage, c'est dire qu'ils se sont parlé avant d'avoir un langage ; car il a fallu parler pour convenir que tel mot signifierait telle chose. Jamais des gesticulations mimiques n'eussent pu rassembler, moins encore faire concevoir un corps de grammaire. »

(1) Vid. Log. 350, not. 3, et *Revue cath.* tom. II, p. 509.

Hinc autem manifesto sequitur, jam non amplius tractari posse de sermonis inventione, quum omnis inventio cogitationis exercitium expeditum postulet, nemo autem cogitando invenire possit ipsius cogitationis conditiones, ut probe notavit ipse J. J. Rousseau (1) et cum eo omnes qui animo attenderunt, etiam illi qui cum celebri F. Ancillon sermonem non divinitus institutum esse putant (2).

195. Itaque ex modo cognitâ sermonis et cogitationis connexione ultro quidem liquet, sermonem ab homine inveniri non posse; etiam sermonem simul et eâdem ratione atque cogitationem ortum esse evidenter consequitur; sed quæ reipsâ vera illius origo sit, inde nondum patescit. Quare, si v. g. cum Ancillon falso ponas, cogitationis et cognitionis actus omnino sponte suâ in nobis oriri (*Log.* 359), consequenter animo finges, sermonis eamdem esse originem, et sic Deum ab illius institutione excludes; quod rationalistæ semper et omni studio quærunt et volunt.

196. Prima igitur quæstio et sola hodie ponderanda, quâ tum quæstio de sermonis origine tum aliæ multæ suo tanquam fundamento nituntur, et e quâ earum decretoria solutio pendet, hæc est : an homo quem nemo docuisset ad plenum rationis usum perveniret, an solâ sponte suâ de rebus supra sensus positis cogitaret, et apertam veritatum metaphysicarum notitiam ac-

(1) « Si les hommes ont eu besoin de la parole pour apprendre à penser, ils ont eu bien plus besoin encore de savoir penser pour trouver l'art de la parole, et la parole paraît avoir été fort nécessaire pour établir l'usage de la parole. » *Discours sur l'origine de l'inégalité*, etc.

(2) « L'homme a aussi peu inventé le langage qu'il s'est inventé lui-même; car toute invention suppose un dessein, une volonté, un choix de moyens. Mais la pensée a aussi peu précédé le signe, que le signe a précédé la pensée. L'une ne peut pas exister sans l'autre. Les représentations individuelles et particulières peuvent avoir lieu indépendamment des termes qui les expriment; mais les idées générales sont impossibles à concevoir et à former sans les signes qui seuls réunissent leurs traits épars, fixent leur vague existence et leur donnent de la réalité. » Ancillon, *Essais de philos. de polit. et de litt.* tom. 1, p. 73.

quireret, quæ omnia uno complecti solent verbo, an cogitatio omnino suapse in nobis oriatur necne (1)?

197. Hæc gravissima quæstio a nobis plane soluta est in logicâ (348-375); unde etiam illa, quam hic proposuimus, ibi jam dirempta est. Quid enim? facta innumera, certa, inexpugnabilia, quibus nihil certi opponi potest, commonstrant hominem, nemine docente, nunquam ad apertam veritatis notitiam, ad plenum rationis usum pervenisse, et ubicumque homo eo pervenit, ipsum eo pervenisse ope institutionis alienæ; unde plane sequitur : *a*) sermonem, sive ore sive scripto sive gestu prolatum, esse conditionem sine quâ hominis ratio non formetur, sicut rationem formatam in alio quopiam jam esse oportet, ut ipsa in nobis primum excitari et excoli possit; atque adeo *b*) necesse esse ut ratio et oratio sive cognitio et sermo primo simul divinitus homini concessa sint (2).

Et hæc quidem sufficiunt ad quæstionem de sermonis origine omnino dirimendam. Attamen ut modus consuetus eam quæstionem solvendi non prorsus omittatur, hic breviter indicabimus : I) quibus argumentis probetur, sermonem reipsâ esse donum Dei, II) ab homine inveniri non potuisse, III) nec aliter ab homine potuisse constitui.

(1) Quæstio hæc tanti momenti est, et ejus aperta solutio tanti ad psychologiam et præsertim ad metaphysicam interest, ut ego quidem doleam, quod illustris De Bonald hanc non primo loco et deditâ operâ tractaverit. Ipse quidem illam non neglexit, imo ea omnia in medium protulit facta et rationum momenta quæ ad eam plane solvendam necessaria sunt, sed ipsam nunquam tractavit ut quæstionem principem, ipsi nunquam primum assignavit locum; primas dedit quæstioni de origine sermonis, quam unam datâ operâ et plene discussit. Hæc sane cum priori quantum ad rem eadem est; at plurimi refert, utra ante alteram et tanquam ejus præcipua exhibeatur facies. Bonaldus enim tanquam primariam agitando quæstionem de sermonis origine doctrinam suam exposuit cavillationibus eorum qui vel cartesianâ hypothesi usûs rationis spontanei nixi, vel externam sermonis formam tantum spectantes, innumeras difficultates movent et rei cardinem nunquam attingunt, ut Damiron, Jules Simon, alii (*Log.* 359), quas difficultates alteram quæstionem præmittendo jam ante occupasset vel omnino præclusisset.

(2) Quæ huc usque de hâc materiâ diximus, iisdem fere verbis gallice scripsimus in *Revue catholique*, tom. 2, p. 505. Liége 1844.

198. I) Sermonem divinitus homini concessum fuisse historice probant hæc duo : *a*) Ex historiâ sacrâ (1), cujus antiquitatem, auctoritatem et veritatem quilibet scientiarum progressus magis magisque confirmant, constat : α) hominem, ad Dei imaginem et similitudinem creatum, statim ab initio constitutum fuisse in statu hominis perfecti; β) protoparentes nostros vix conditos et inter se et cum Creatore suo sermones miscuisse, γ) Adamum jam initio animantibus nomina indidisse (2).

b) Homines jam inde a primâ suâ origine in societate vixisse, et perfectiore quidem ac feliciore quam eâ per quam plerique populi ad vitam civilem postea transierunt; atque adeo conditionem silvestrem, quem philosophi statum naturæ falso vocarunt, esse merum commentum, cum sacris Litteris probant traditiones antiquissimorum populorum atque ipsa mythologia, in multis, ut recte monet comes J. de Maistre (3), fidelior quam historia antiqua veritatis testis, ubi ea quæ sub fabularum cortice latent detegere ac discernere possumus. Jam vero secundum hæc documenta, fatente vel ipso Voltaire (4), *aurea prima sata est ætas*, et divinitatis cum homine commercia initio frequentissima fuerunt (5).

His accedunt minoris ponderis argumenta, quæ separatim sumpta rem non plane conficerent : *c*) Si ab homine confecta

(1) GEN. cap. II-III, et ECCL. XVII.

(2) « Jurarem esse divinum.... qui primus, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina. » CICERO, *Tusc.* 1, 25. « Laudo quisquis deorum nostram vitam a belluino et confuso ritu suis descripsit finibus, primum quidem mentem indulgendo, deinde nuntiam verborum linguam, ut voces cognoscere possemus. » EURIPIDES, *Suppl.* v. 201. — « Existimo quidem ego verissimum... esse, o Socrates, majorem quamdam potentiam esse quam humanam, quæ indiderit prima nomina rebus, ut necesse sit ea recte se habere. » PLATO in *Cratyl.* p. 438. c. — Libri, quos Indi sacros habent, itidem nomina rerum a Deo accepta referunt.

(3) *Essai sur le principe générateur des constitutions politiques.*

(4) « La chute de l'homme dégénéré est le fondement de la théologie de presque toutes les anciennes nations. « VOLTAIRE, *Philos. de l'hist.*

(5) Post J. Muller hoc aperte probavit de Sinensibus, Persis, Indis et Ægyptiis Cl. Gerbet, *Introd. à la phil. de l'hist.* VI[e] conférence.

esset oratio, difficillime concipitur, cur tempus, quo homines muti esse cœperunt, et nomen auctoris tanti beneficii ne per conjecturam quidem hominum memoriæ tradita sint (1).

d) Orationis usus non tantum semper et ubique exstitit, sed præcipuæ omnium linguarum regulæ universales sunt, eædem orationis partes essentiales, eædem leges grammaticæ, lexica solum et syntaxes discrepant in iis quæ ad ipsam orationis essentiam non pertinent; paucis verbis : oratio ubique eadem, idiomata tantum diversa sunt (2). Num consensio illa vario hominum ingenio, an potius communi orationis origini et divinæ tribui debet?

e) Primâ humani generis ætate non plures, sed unam omnibus hominibus linguam fuisse, non tantum S. Biblia testantur, verum etiam ex linguarum inter se collatarum studio concludunt viri ethnographiæ, philologiæ et linguisticæ, ut vocatur, peritissimi (3).

d) Si homines proprio marte linguas pedetentim constituissent, antiquissimæ linguæ procul dubio longe minus perfectæ essent ad res supra sensus positas significandas; attamen, ut Senecæ verbis utar, « consuetudo sermonis antiqui quædam efficacissimis et officia docentibus notis signat (4) ».

(1) « Ignoratur, inquit *Condorcet*, nomen et patria summi ingenii virorum, generis humani benefactorum, quibus has mirificas inventiones acceptas referre debeamus. »

(2) « Dans toute langue on trouve les mêmes espèces de mots, et ils sont assujettis aux mêmes accidens. « *Encyclopédie.* « Interpres mentis oratio verbis discrepans, sententiis congruens. » Cic. *Leg.* I, 10.

(3) Cf. N. Wieseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, Discours I et II.

(4) *Epist.* 81. Baco, *De augment. scient.* lib. 6, c. 1, ex numero declinationum, casuum, conjugationum, quibus veteres linguæ scatebant, et quibus linguas recentiores fere orbarunt præpositiones et auxiliaria verba, veteres nobis ingenio longe præstitisse concludit. Alii notarunt eo solertiorem esse populum quemque, quo lingua, quâ utitur, pluribus abundat vocabulis abstractis, ut sunt plures ex antiquorum linguis. Nos ex utroque illo facto colligimus, linguas illas nostris logice perfectiores esse; quod etiam periti passim confitentur.

199. II) Fieri non posse ut sermo sit vera hominis *inventio*, præter difficultates supra memoratas, et hæc probant :

a) Homo nullius rei inventor esse potest quam non penitus intelligit; proindeque, ut sermonem invenire potuisset, in primis animo comprehendere debuisset, idque antequam sermo existeret, reconditam illam connexionem quæ inter sensibilem vocis sonum et cogitationem insensibilem intercedit.

b) Ut homo aliquam vere linguam invenire potuisset, cognoscere præterea debuisset, et ante sermonis usum quidem, linguæ istius indolem, leges constitutivas, constructionem internam, partes, regulas; ad quod sane maximâ ingenii, meditationis, abstractionis, comparationis, judicii ac ratiocinationis vi et exercitio, seu ut omnia uno complectar verbo, rationis usu maxime expedito opus fuisset.

c) Speciatim quidem inventor sermonis cogitando assequi debuisset, non solum *nomina* rerum sub sensus cadentium, sed et nomina abstracta, adverbia, præpositiones, conjunctiones, et præsertim *verbi* naturam, formationem et vim exprimendi actum omnino spiritualem affirmationis, judicii ac ratiocinii, atque diversos temporis ac ratiocinationis modos. Quæ cogitandi vis ante sermonem homini esse nequit (1).

d) Ut homo de inveniendo sermone cogitasset, saltem plures veritates generales moralesque reapse cognoscere debuisset, siquidem iis exprimendis sermo præcipue inservit, et ad eas enuntiandas solum necessarius est.

e) Jam vero, antequam hominis ratio ope sermonis culta est, hæc omnia ipsum latent, et iis cognoscendis impar est; ergo

(1) Sunt qui, animadvertentes linguæ cujusvis constructionem non sine solertissimâ sonorum analysi et conjunctione fieri posse, nec nisi linguæ scriptæ, vel saltem non nisi scribendo ejusmodi analysim et consociationem perfici, inde merito concluserunt, linguam ab homine inveniri non potuisse; siquidem scriptio sermone antiquior esse nequit.

Huc accedit, quod litteræ consonantes, quarum præcipuæ et maximæ in cunctis linguis sunt partes, si a cæteris litteris sepositæ sumantur, vix ullam veram similitudinem habeant cum sono, quem simul cum aliis litteris pronuntiatæ edunt.

ad sermonem inveniendum, imo ad serio de hujusmodi inventione cogitandum, sermonis usus jam præcedere debuisset; ergo sermo inveniri proprie loquendo non potuit (1).

200. III) Sermonis usum non alio modo ab hominibus constitui potuisse, nec sponte in nobis ortum esse, *a*) hoc uno invicte probatur argumento : Sermo necessarium rationis instrumentum est, ut hæc versari possit in iis quæ sub sensus non cadunt ; atqui ratio ipsa non solâ sponte suâ formatur aut in iis quæ modo diximus sponte se exercet ; sed, ut formetur et excolatur, ope sermonis homo doceri debet ; ergo sermonem non minus quam veritatem doceatur necesse est. Omnes enim qui institutione caruerunt, etiam sermone ac veritatis cognitione destituti ubique perpetuo manserunt (*Log.* 349).

Illud argumentum mire confirmatur *b*) hoc triplici facto : α) Nemo loquitur, nisi qui loquentem audivit ; illi enim qui ab infantiâ vel surdi, vel ab aliis loquentibus semoti sunt, vel aliâ de causâ neminem audiunt loquentem, minime loquuntur, etiamsi eorum vocis organum non vitiosum sit. β) Nemo aliâ linguâ loquitur quam eâ, quam vel didicit, vel ope ejus quam primum didicit, sibi comparavit. γ) Homo omnibus pro-

(1) Non urgemus aliam hanc difficultatem quam De Maistre, *Soirées de St-Pétersbourg*, movet ; quæ maxima quidem, sed si sola sumitur decretoria esse non videtur, atque in hunc modum exponi potest : Sermonis usus neque ab uno homine, neque a pluribus simul, neque a pluribus progressu temporis institui potuit. Non ab uno potuit ; quippe cui cæteri non auscultassent, neque intellexissent quò ejus conatus tenderent. Non a pluribus simul ; utpote qui sine oratione nec de suo orationem condendi proposito, nec de adminiculis eum in finem adhibendis, consilia inter se conferre, nedum consentire potuissent. Non a pluribus progressu temporis ; nam *a*) etsi linguæ progressu temporum perfici queant, oratio tamen *unum* quoddam est, quæ luminis instar tota simul orta sit necesse est. Nihil ineptius cogitari aut dici potest quam uno sæculo substantivum, altero adjectivum, tertio verbum, et ita deinceps cætera inventa fuisse. Præterea *b*) genus humanum adeo recens est (Vid. G. Cuvier, *Discours sur les révolutions de la surface du globe*), ut sæculorum numerus desit continuo progredienti ejusmodi inventioni. Tandem *c*) linguæ antiquissimæ revera completæ sunt, omnibus scilicet partibus ac dotibus instructæ, quibus vera lingua prædita esse debet.

miscue loquitur linguis, quas audivit, aut ope auditarum didicit (1).

c) Fieri non posse ut meris hominum primo mutorum conatibus sermonis usus quomodocunque etiam institutus sit, sequitur ex eo quod Deus hominem non potuerit creare in illo statu quem rationalistæ perperam naturæ statum nuncupant, ut in Logicâ (350) ostensum est. Unde Comes de Stolberg inexpugnabile profert argumentum, ubi transcriptis verbis *Gen.* I, 26 et II, 19-20, ait : « Etiamsi Litteræ Sacræ hoc » loco non tam clare indicarent, donum orationis, non autem » facultatem tantum orationem sibi pedetentim condendi, pri» mis hominibus simul cum creatione concessum fuisse; qui» cunque tamen maternæ Dei Providentiæ plus amoris tribuit » quam struthioni, qui sua ova, in sabulo posita, radiis sola» ribus excludenda committit negligens, is philosophorum eâ » de re commenta debito suo reponet loco inter somnia (2). »

d) Hominis impotentia ad orationem quomodocunque constituendam etiam confirmatur hoc argumento : Vix ulla comparatio institui potest inter difficultatem, quæ occurrit in conficiendâ novâ linguâ ope aliarum linguarum quas novimus, et laborem ad instituendam orationem quæ nondum existit (3). Attamen, non illiterati quidam, sed philosophi ingenii perspicacissimi totam vitam consumpserunt ad condendam linguam philosophicam, et adhuc quidem sine ullo successu (4). Quid igitur homines sine linguâ aut sermone valerent (5)?

(1) Cf. F. R. Buisson etc. in APPEND. *Not.* F.

(2) *Hist. Relig. Christ.* Epocha 1, n. 3. Cf. Herder (*Log.* p. 175).

(3) « Dès qu'une chose nous est connue, elle ne paraît plus difficile à comprendre, et nous croyons que nous l'aurions découverte par nous-mêmes sans le secours de personne; nous nous en mettons en possession comme d'un bien qui nous est propre, quoique nous ne l'ayons pas acquis par notre propre industrie. » LOCKE, *Christianisme raisonné*, II, c. 14.

(4) Cf. *Revue catholique*, tom. 1, p. 450-455, Liége 1843.

(5) Non obliviscendum est, sermonis ab homine constituti patronos inventionem sive institutionem hujus artis maxime ingeniosæ eo tempore locum habuisse contendere, imo ut sibi constent necessario contendere, ubi ho-

CAPUT II.

DE AFFECTU.

201. Ubi aliquid nobis innotuit, illud saltem plerumque bonum vel malum, utile aut noxium, amœnum aut contra nobis esse videtur, atque adeo nobis placet vel displicet, seu grate vel ingrate nos afficit, hoc est, eum animi sensum excitat quem universe *affectum* appellant, quo fit ut ea quæ cognoscimus vel appetamus seu cupiamus vel aversemur. Unde animi facultas habendi affectus etiam facultas appetendi dicitur.

202. I) Ut autem statim ab initio affectum accurate describamus, hæc e V. Gioberti egregio opere *Del Buono*, cap. 2, sumenda duximus. Auctor hic primo quidem affectum generatim duplicem distingui posse dicit, cæcum et eum quem comitatur cognitio. Cæcus ille, qui potius *instinctus* vocatur, est motus potentiæ sensitivæ cognitione et consilio destitutus, qui tendit ad objectum ignotum, quod etiam, nisi obex opponatur, assequitur. Affectum stricte et proprie dictum præcedit et comitatur cognitio, sine quà existere nequit, siquidem *ignoti nulla cupido*. Per se non voluntarius est, proinde nec liber. Attamen, quum voluntas ei consentire possit aut resistere, atque adeo ipsum augere vel minuere, imo si tempus suppetit penitus extinguere, affectus hàc ratione moraliter bonus vel malus esse potest, quatenus præditus libertate, quæ sane ipsi non propria est, at cujus particeps fieri potest a voluntate, in quà solà residet facultas eligendi.

203. Ad affectûs naturam probe cognoscendam dicere expedit, quomodo et conveniat et differat cum voluntate.

mines rudes et agrestes ne vel simplicissimas quidem et ad omnes vitæ usus summe necessarias artes invenerant. Adde, eam, quæ proprie oratio dicitur, hominibus in statu illo agrestri, quo primos vixisse fingitur, minime necessariam fuisse.

Affectus et voluntas in his quidem conveniunt : 1° Ambæ sunt vivæ animi potentiæ, velut formæ animi ingenitæ activitatis. 2° Ipsas antecedit et comitatur cognitio, sine cujus concursu agere non possunt. 3° Esse ponunt objectum externum, quod saltem partim idem est cum objecto cognitionis, et quod a subjecto cognoscente et amante ita distinctum est ut idea a mente quæ eam percipit. 4° Ad hoc objectum velut ad finem suum tendunt, modo tamen diverso. 5° Mentis motum cient versus objectum et eum transferunt in vitam exteriorem. Itaque vi harum duarum facultatum homo egreditur e solitudine vitæ contemplativæ, transit in actionem et vitam socialem, et arripit dominium temporale quod Deus ipsi concessit. Homo animal sociale est, quia affectu et libero donatus est arbitrio. 6° Hæ duæ potentiæ genitrices sunt humanitatis seu vitæ et cultûs civilis in universum, utpote inseparabiles a ratione quâ illustrantur, et conferunt, etsi diverse, ad effectionem boni in hâc terrâ. 7° Quum homo sine earum concursu ad actionem non procedat, sine illis finem suum moralem et supramundanum obtinere aut ad ultimum creationis universæ finem cooperari nequit. 8° In statu suo præsenti potentiæ debiles et infirmæ sunt; unde hinc affectus inordinati qui passiones vocantur, illinc vero languor facultatis deliberatricis et electricis.

204. Hoc autem differunt : 1° Voluntas libera est, non item affectus, quanquam, ut notavimus, affectus in voluntatis electionem ex parte agat; attamen sine hujus consensu ipse in actiones deliberatas et imputabiles conferre nihil potest. 2° Voluntas semper in se bona est, et illius abusus tantum vituperabilis esse potest; at in præsenti hominis statu aliqui affectus radicitus depravati esse queunt. 3° Voluntas sola est causa efficiens actuum humanorum ut vera causa secunda; at affectus tantum causa excitans est, vel si mavis, occasio et adjutor; atque adeo illa operatur, hic solum cooperatur. 4° Voluntas et affectus ex unâ parte se invicem limitant, quia electio eo liberior est, quo animus deliberans minus impellitur vel retinetur affectu; sed ex alterâ parte se invicem adjuvant, quatenus voluntas

affectu concitata alacrius operatur. 5° Quantum ad objectum suum affectus semper latius se extendit quam voluntas; ipse quidem eatenus velut generalis, voluntas autem particularis et singularis. 6° Affectus præit voluntati, quæ sine illo agere non potest, etiam ubi affectus et voluntas pariter ad eumdem tendunt terminum, hic terminus affectui motivum est, voluntati autem finis; porro finis quidem prior est in cognitione, sed motivum præcedit in electione; et electio fieri nequit, nisi animus pluribus afficiatur motivis, vi quorum inter varios fines potest eligere. Hinc etiam fit ut homo malum agere possit, ubi motivum se ipsi offert sub specie quâdam boni. 7° Affectus et voluntas simul nervos suos aliis animi potentiis communicant, et animi humani alacritatem producunt, sed diverse. Affectus enim præcipue agit in sensibilitatem et imaginationem, ac magnos efficit artifices et poetas; sed a voluntatis vi et constantiâ potissimum pendent cultura intellectûs, acquisitio scientiæ et virtutis, actiones et molitiones magnanimæ in vitâ morali et civili, etc. 8° Hinc fit ut affectus et voluntas etiam diverse conducant ad vitæ civilis instituta novanda, conservanda et perficienda. Voluntas enim, ubi firma est, se conservatricem exhibet; affectus autem naturâ suâ mobilior, sensibus et phantasiæ obnoxius, novitatum magis cupidus, ea quæ existunt mutando perficere conatur. 9° Denique, etsi ad litteram recipi nequeat veterum opinio, quæ affectum in corde et voluntatem in cerebro collocabat, ea tamen hoc sensu vera est, quod systema venosum et arteriale affectui, musculosum voluntati potissimum serviat, et nervosum utrique, utpote voluntatis minister et præcipuum vehiculum affectûs (70). Hactenus philosophus Italus, cujus disputationem contrahendo hujus vim et splendorem attenuavimus.

205. II) Affectus hominis tam multi et tam varii sunt, ut eorum divisionem omnino accuratam simul et satis brevem descripsisse neminem sciam. In hâc re minus quam plerique alii defecisse videtur D. Stewart, qui affectus seu, ut ipse loquitur, præcipuas hominis facultates instinctivas et morales tribuit in :

1° appetitiones, 2° desideria, 3° affectus stricte dictos, 4° amorem sui, 5° facultatem moralem (1).

206. Stewartii divisionem hoc sensu acceptamus, ut 1° amorem hominis erga se habeamus ut affectum *primigenium*, unde cæteri nascuntur omnes, 2° appetitiones ut affectus *animales*, 3° desideria ut affectus mentis, at *personales*, seu qui spectant res quæ referuntur vel pertinent ad eum qui illos experitur, 4° affectus stricte dictos ut affectus *sociales*, qui versantur circa alios homines, 5° facultatem moralem ut affectus vere *morales* quoslibet. Eos autem ita concipimus.

1° Hominis *amor erga se* non tantum est affectus quem instinctum conservationis vocare solent, minus autem vilis ille affectus, qui *egoïsmus* passim vocatur, quo quis se unum ita diligat ut cætera omnia referat ad se solum; sed est affectus quo homo sibi bene esse semper cupit, sive se unum sive etiam alia diligat, sive ordinate sive inordinate amet, sive vera sive fictitia bona sibi velit.

2° *Affectus animales*, quos D. Stewart appetitiones vocat, cujusmodi sunt fames et sitis, ab hoc philosopho tribus distinguuntur caracteribus : « *a*) Originem suam trahunt, inquit, a corpore et nobis cum animantibus communes sunt; *b*) non sunt continui, sed periodici; *c*) ipsos comitatur sensatio ingrata, fortis vel debilis, prout appetitus ipse fortis vel debilis est (2).

» Præter appetitus *naturales*, ita prosequitur idem scriptor, nobis et appetitus factitii sunt, ut appetitio tabaci, opii, liquorum inebriantium, et generatim omnium eorum, quæ excitando systema nervosum post se relinquunt languorem quemdam, quo fit ut excitationis iteratio desideretur. »

3° « Quod ad desideria attinet, sic philosophus Scotus quos

(1) *Esquisse de philosophie morale*, part. II, sect. 1-5.

(2) Appetitus animales, quatenus omnem cognitionem antecedunt, pro distinctione antea expositâ (202) ad instinctum referri debent; quatenus autem adveniente cognitione illustrari possunt, veri sunt affectus.

affectus personales vocavimus pergit describere : *a*) non oriuntur a corpore , *b*) non agunt periodice seu statis temporibus et ex intervallo , *c*) nec cessant quum objectum quoddam peculiare attigerunt... Ipsorum præcipua sunt : *α*) desiderium cognoscendi , *β*) desiderium societatis, *γ*) existimationis, *δ*) potestatis (ambitio), *ε*) excellentiæ (æmulatio).

« Quemadmodum appetitus quosdam factitios , ita et desideria habemus *artificiosa*. Etenim quæcunque conferre possunt ut obtineamus objectum desiderii cujusdam naturalis , ea primum quidem volumus ut *media* et propter finem ad quem tendimus, at deinde sæpe propter se ipsa a nobis desiderantur.

4° « Affectuum nomine (loquitur auctor de affectibus quos *sociales* nuncupavimus) intelligimus omnia illa principia activa, quæ recta et definite eo tendunt, ut cum aliquo ex nostrûm similibus gaudium communicent vel dolorem.

« Itaque dividuntur in benevolos et malevolos.

« Affectus nostri benevoli sunt multiplices , et forte nemo eos ad unum omnes facile enumerare possit. Inter primos sunt amor paternus et filialis , ut vocatur, dilectio propinquorum , amicitia , amor patriæ , philanthropia, grati animi benevolentia, pietas.

« Omnis benevoli affectùs exercitium sive excitationem comitatur gratus quidam animi sensus... Etiam , ubi affectus benevoli conatu suo et exspectatione depulsi sunt, gaudium quod ipsis adhæret aliquatenus permanet seque miscet dolori ; quin imo gaudium quandoque longe prævalet.

« Malevoli affectus præsertim sunt odium , invidia , livor, ultio , misanthropia , et præ cæteris injuriæ dolor (1).

« Sicut omnem benevolum affectum gratus quidam comitatur animi sensus , ita omni affectu malevolo animus turbatur et dolore afficitur.

« *Passionis* nomen, addit idem scriptor , stricte et proprie

(1) Quos hic recensuimus aliosque affectus singulatim longe et accurate describit Cl. Bautain , *Philosophie morale* , tom. I et initio tom. II.

sumptum, omnibus nostris tribuitur appetitionibus, desideriis et affectibus, ubi ea moderationis limites excedere sinimus (1). » Vult dicere, ni fallor, passionem esse affectum saltem hoc sensu inordinatum ut rem in quam tendit vehementius (2) prosequatur quam eam hujusmodi affectu prosequi deceat (3).

5° Affectus superiores, quos vere *morales* vocaveris, tres præcipue discernimus, quibus afficimur erga pulchrum et bonum, atque omnis veri, boni et pulchri auctorem, Deum. De nostro pulchri sensu et affectu disseruimus in Ontologià (258). Affectus noster erga Deum religione continetur sive illo amoris et grati animi cultu, quo homo, nisi intellectûs aut voluntatis vitio retineatur, naturaliter ad suum tendit auctorem. Qui affectus quum eodem modo operetur quo conscientia moralis amore aucta et adjuta, illum hic non separatim tractabimus (4). At pauca dicemus de affectu nostro erga bonum et malum morale, qui *conscientia* vocatur, scilicet moralis.

207. Pro instituti nostri ratione duplex tantum conscientia

(1) Hactenus D. Stewart, loco supra laud.

(2) Sunt qui addunt, ut vere passio sit, affectum tam vehementem esse debere ut animum turbet, quin et organum corporis ipsi respondens; alii præterea volunt ut et affectus diuturnus sit.

(3) Jam inde ad Aristotele usque ab Bossuetium communiter distinxerunt passiones omnino undecim : *amorem* et *odium*, *desiderium* et *aversionem*, *gaudium* et *tristitiam*, quæ ut excitentur satis est eorum adesse vel abesse objecta. Ad alias quinque præterea requiritur difficultas. Hæ porro sunt *audacia* et *timor*, *spes* et *desperatio*, ac *ira*, cui nulla passio opposita est... « Sex passiones priores, ita loqui pergit Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même*, c. 1, § 6, ad quas ciendas sufficit suorum objectorum præsentia vel absentia, ab antiquis philosophis referuntur ad appetitum quem *concupiscibilem* nuncupant; quinque posteriores, quæ objecti sui præsentiæ vel absentiæ difficultatem conjungunt, ab ipsis referuntur ad appetitum quem vocant *irascibilem*. Appetitum concupiscibilem cum nominant, ubi dominatur desiderium sive *concupiscentia* (cupiditas), et irascibilem in quo dominatur ira... Præter eas undecim passiones principes, addit ib., etiam sunt pudor, invidia, æmulatio, etc. quæ tamen reducuntur ad illas. »

(4) De religione, quatenus naturalis hominis affectus est, maxime legi meretur oratio sacra quam R. P. Lacordaire habuit Parisiis die 5 januarii anni 1845. Vid. *Conférences de Notre-Dame*, etc. pag. 76, Louvain 1845.

distinguenda nobis est, nempe actionem a nobis faciendam *antecedens* et factam *consequens*. Prior potest definiri mentis dictamen quo, cognitâ actionis quæ facienda occurrit bonitate aut malitiâ, naturaliter impellimur ad eam nunc faciendam quia bona, vel omittendam quia mala esse apparet. Posterior dici potest interior animi sensus, quo ex consideratione a nobis bene factæ actionis suavi quâdam dulcedine perfundimur nobisque eam velut gratulamur, vel quo ex recordatione male a nobis patrati facinoris angore et morsu cruciamur, illudque nobis velut exprobramus.

208. In utrâque conscientiâ duplex igitur distinguere oportet velut elementum, videlicet *cognitionem* bonitatis vel malitiæ actionis positæ aut ponendæ, atque interiorem illum *stimulum*, quo ante actionem impellimur ad eam faciendam vel omittendam, et post factum nos ipsos propter illud approbamus vel reprobamus. Et quamvis ambæ illæ conditiones ad conscientiam moralem necessariæ sint, attamen stimulus iste sive animi sensus seu dictamen, qui cognitionem consequitur, præcipue et proprie constituit conscientiam, quatenus hæc non tam scientia quam affectus homini naturalis est.

209. His rite consideratis, ultro patet, quæ vera conscientiæ origo sit, quique pendeat et quî non pendeat ab institutione humanâ, atque adeo quousque possit et non possit hâc institutione vitiari. Nimirum dictamen illud, quo ad agendum impellimur vel ab agendo repellimur, proprietas quædam animo ingenita est, quæ quatenus mentis habitus seu dispositio est omnem cognitionem tempore antecedit, sed quæ post cognitionem tantum in actum potest exire, imo cognitionem naturaliter ita sequitur, ut ipsa necessario probet actionem quam ut bonam agnoscimus et improbet quam ut malam habemus, sive recta sive minus recta sit nostra actionis cognitio. Itaque conscientiæ dictamen ab institutione alienâ pendet, non quatenus est innatus animo habitus, sed quatenus actu in hanc aut illam partem nos inclinat; quin etiam tanquam actus non directe ab institutione pendet, sed prout cognitio nostra ab

institutione et ipse a cognitione. Atqui, ut loco suo vidimus, homo, qui omni institutione caret nullam proprie dictam acquirit cognitionem; ergo sine institutione prævià nullum stricte dictum dictamen conscientiæ moralis. Attamen, quum institutio cognitionem nec donet nec creet, sed excitet solum, evolvendo ideas veritatis a naturâ nobis insitas et ingenitas; hinc institutio non potest omnino depravare in homine quodam dictamen conscientiæ, ita ut in omnibus inclinetur ad ea quæ reipsâ mala sunt et avertatur ab iis quæ sunt reapse bona. Institutio enim vim quarumdam idearum attenuare et principiorum quorumdam applicationem pervertere potest, at ideas ingenitas et prima veritatis principia corrumpere, proindeque ipsam humanam naturam mutare non item. Insulse igitur crederetur dictamen conscientiæ, quod ab ipsâ naturâ potissimum pendet, merum esse institutionis humanæ figmentum.

210. Ut recte judicari possit de cujuslibet affectûs merito vel culpâ, quod punctum gravissimum est, præsertim considerari debet quousque libero subjectus sit arbitrio. Eum in finem omnes affectus distinguere juvat 1° in subitos animi motus, qui tam cito transeunt ut nullum deliberationi spatium relinquant, et in affectus diutius manentes; quos iterum dividimus 2° in affectus qui a corporis conditione vel constitutione oriuntur et 3° in affectus qui ipsius animi fetus haberi debent.

Age vero 1° subiti illi motus, qui a scholasticis *motus primi* vocari consueverunt et paulo subtilius in *primo primos* et *secundo primos* dividebantur, quum deliberationi, proinde libero arbitrio vix vel ne vix quidem subjaceant, veræ culpæ aut merito locum dare nequeunt, nisi *a*) quatenus homo nonnunquam prævidere et prævenire possit eas causas vel occasiones quibus illi motus excitantur, vel *b*) quatenus post motum exortum, jam superveniente deliberatione, animum contra illius impetum obfirmare curet vel negligat, et ita ejus *habitum* simul et reditum impugnet aut provocet, minuat vel augeat.

Quod attinet 2° ad eos affectus qui pendent a præsenti corporis conditione vel ab ejus inhærenti constitutione, in hos

directum liberi arbitrii imperium nullum sane est. Sed in eos multum potest indirecte. Ac primo quidem, dum nunc ipsum agunt, voluntas eos quidem non sentire non potest, at omnino potest iis non consentire. Deinde, quatenus velut manentes corporis habitus sunt, voluntas idem in illos potest quod in veros corporis morbos plerosque, videlicet ipsos negligere, fovere, augere, compescere, minuere, quandoque penitus extinguere, non nudo utique imperii sui actu, sed adhibitis tempore, studio, abstinentiâ, aliisque opibus et remediis, etiam quæ medicina præscribit.

3° In eos autem affectus, qui ab animo solo aut fere solo oriuntur, voluntatis imperium magis directum est, non absolutum tamen. Solo voluntatis actu plerosque affectus excitare vel cohibere utcunque possumus; sed eos uno voluntatis nutu summe inflammare non possumus, minus autem penitus extinguere, aut limitibus omnino præfinitis pro libito circumscribere. Efficacissimum, quo eos ciere vel reprimere, roborare vel infirmare voluntas possit, remedium est frequens et diuturna de eorum objecto meditatio, vel contra omnis hujusmodi meditationis neglectus et a mente exclusio. Tandem vix necesse est dicere, in his æque ac in cæteris affectibus animi sensum differre a consensu.

211. III) Sunt qui omnium hominis affectuum originem, passionum præsertim, a corpore, ac speciatim a cerebri conformatione deducendam esse contendunt, eosque singulos a singulis cerebri partibus ita pendere, ut pro earum mole et ipsi vehementes, mediocres, debiles vel nulli sint, atque in ipsâ cranii superficie, quod externam cerebri formam refert, expressi legi possint.

212. Minime negare volumus corporis, et per corpus nostrum etiam plurium exteriorum causarum, actionem in affectus et in facultates nostras universas. Etiam in antecessum damus, ex craniologiâ et physiognomoniâ hauriri indicia, quibus non certe sed probabiliter confici possit (donec aliunde constiterit de contrario), non quales reipsâ sint homines hâc illâ cranii pro-

minentiâ aut vultûs vel reliqui corporis notâ insigniti, sed ad quid magis apti videantur.

213. Attamen doctrina de origine affectuum, quam modo descripsimus, adeo a vero aberrat, ut hominem brutis animantibus et machinis similem esse perhibeat. Nam 1° negat seu deturpat veram originem affectuum superiorum, qui neque ad corporea referuntur neque a corpore oriuntur, etsi corpus in eorum augmentum vel detrimentum agere possit, quique, quod homini soli proprii et peculiares sunt, maxime humani appellari debent. 2° Negat liberi arbitrii vim et actionem in affectus nostros, cui tamen, ut modo diximus et experientiâ teste, ipsi magis aut minus obnoxii sunt universi. 3° Hinc etiam fit ut cerebri vel aliarum corporis partium proprietates, ex quibus probabilia tantum indicia sumi possunt, tamquam signa penitus certa et causas necessarias perhibeat. 4° Proindeque fit ut asseveret, ex corporis conformatione et constitutione certo colligi posse, non tantum ad quæ homo quisque aptus esse videatur et quibus probabiliter impellatur affectibus, sed quibus necessario regatur et vi prorsus ineluctabili circumducatur. 5° Omitto probare, donec postea de hâc re deditâ operâ agamus, hypothesim 27 vel 35 facultatum et organorum separatim agentium, quæ severæ phrenologiæ fundamentum est, pugnare cum conscientiæ testimonio, quo novimus actus nostros, non originem quidem suam debere, sed vere subesse uni facultati omnes.

214. Longe rectius philosophari videntur viri præstantissimi, qui omnes vere affectus et passiones, etiam eos quibus cupimus ut aliis bene sit, et qui nostro vere bono reipsâ adversantur, originem suam trahere censent ab hominis amore erga se ipsum latissime accepto. Ipsi quidem appetitus animales a conservationis instinctu, affectus autem quos mentis cognitio antecedit et comitatur deducunt ab amore, quo homo se ipsum semper et ubique necessario ita prosequitur, ut nunquam cupere possit ut sibi non sit bene.

215. Age ergo videamus quî istud intelligant :

Hominem æque ac cætera animantia continuo instinctu conservationis duci, inde patet quod, ubicunque ex solo instinctu agit, semper omnia sponte adhibeat quæ ad sui conservationem conferre sentit, nec unquam contra sui conservationem moliri aliquid possit, nisi ex alio principio, quod ratione cognoscit, eam negligendam vel respuendam esse recte vel minus recte judicet. Omnes autem appetitiones animales ex hoc instinctu progigni hinc palam fit, quod ipsæ omnes ex naturâ suâ ad solam tendant conservationem sive individuorum sive specierum.

216. At de ipsis, quod res est, affectibus loquamur.

Quod ad nostri amorem attinet, sensu intimo novimus hominem velle non posse ut sibi omnino male sit, at cupere semper et necessario ut sibi sit bene, seu novimus hominem se non amare nunquam posse. Profecto illud nobis velle possumus quod aliquâ ratione nobis malum esse cognoscimus, dummodo idem aliâ ratione nobis bonum esse censeamus; sed quod omnino malum et nullatenus bonum nobis esse arbitramur, nobis desiderare nequaquam possumus. Fieri etiam potest, imo naturaliter fit, ut homo se non unum amet, at etiam amet alios sive propter se sive propter ipsos. Namque naturæ nostræ ordo sic se habet, ut quisque nostrum primo diligat se solum, deinde diligat etiam alios propter se ipsum, postea alios simul diligat propter ipsos; atque hæc dilectio adeo quidem potest crescere, ut longe major sit amore quem erga se ipsum conservat. An autem homo naturæ suæ ductu eo pervenire possit, ut alium quemque solum amet et prorsus omni erga se amore careat, ego quidem asserere nequeo; at, si hoc forsan aliquantisper fieri possit, minime dubito, quin hominis amor erga se præcesserit et hanc mentis elevationem præparaverit (1).

(1) Hæc multo apertius edisserit vir tenerrimi affectûs et seraphici amoris, S. Bernardus, ubi de veræ charitatis gradibus et perfectione cœlo reservatâ loquitur his verbis (*Epist.* XI, n. 8) : « Verumtamen, quia carnales sumus, et de carnis concupiscentiâ nascimur, necesse est cupiditas vel amor

217. Ab amore nostri porro cæteros affectus omnes derivant hâc viâ. Primo quidem notant, omnes affectus reduci posse ad inclinationem et aversionem, sive ad amorem et odium erga illud circa quod affectus versantur; aversionem autem et odium quodvis oriri ex amore quo afficimur erga rem vel personam, cui id quod aversamur aut odio habemus adversari putamus; ut adeo nullum sit odium sine amore, imo nisi ex amore rei oppositæ; igitur omnis nostra aversio ex amore erga nos vel erga aliud quidpiam. Deinde quomodo aliud quidquam amare vel etiam aversari possimus, ulterius explicant hoc pacto : Quidquid nobis innotescit, illud nobis bonum (scilicet jucundum, gratum, utile, honestum, honorificum), vel contra esse conspicitur; ac proinde ex hoc solo quod nos ipsos amamus in illius amorem vel aversionem naturaliter prorumpimus, adeo quidem ut illud in quo nihil boni nobis videremus non aversari non possemus, et illud in quo nihil nobis mali deprehenderemus non possemus non amare. Itaque quæcunque amamus vel aversamur, ea primum amamus vel aversamur solum propter

noster a carne incipiat; quæ si recto ordine dirigitur, quibusdam suis gradibus duce gratiâ proficiens spiritu tandem consummabitur; quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale; et prius necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cœlestis. In primis ergo diligit se ipsum homo propter se. Caro quippe est, et nil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere et diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At vero cum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo; quâdam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit : et sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter se, sed propter ipsum. Sane in hoc gradu statur, et nescio si a quoquam hominum quartus in hâc vitâ perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt; mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui, et inebriatus ab ubertate domûs Dei. Quasi enim ebrius, miro quodam modo oblitus sui, et a se penitus velut deficiens, totus perget in Deum, et deinceps adhærens ei unus spiritus erit. »

nos; tum vero per gradus, quos supra descripsimus (216), altius assurgere nobis liberum est.

218. Falso diceres, hâc ratione omnes affectus nostros in vilem egoïsmum degenerare. Nam in hoc vitium incidit is tantum qui se nimis et solum amat, seu plus quam amari deceat, nec cujusquam alterius habens rationem. Quod utrumque in doctrinâ expositâ aliter se habet.

IV) Ultima hoc loco movenda quæstio est de affectuum nostrorum utilitate, proinde quousque iis favere deceat.

219. Eam quæstionem non ut philosophi solvendam susceperunt, sed potius ut insulsi humanæ naturæ irrisores et rabidi societatis perturbatores, ii qui his temporibus omnes affectus et passiones emancipandas esse voluerunt, et quoad potuere allaborarunt in abrogando matrimonio, familiâ, jure hæreditatis, privato bonorum dominio, etc. quique sibi et aliis persuadere conati sunt, ubi omnia passionum frena rupta essent et usus bonorum et personarum communis, tum tandem orbem terrarum in pacis perpetuæ domicilium et felicissimum omnibus bonis redundantem paradisum esse conversum. Ipsi scilicet contra veritatem ponunt hominem ex primigenio suo statu non esse delapsum, et affectus nostros omnes naturæ voto necessarie respondere, atque ipsorum ignem eo magis humanæ felicitati prodesse, si nullo limite circumscriptus omnia præsentis prosperitatis et securitatis elementa incendio suo delere permittatur. Ipsi quidem existimant, ubi affectus humani omnes simul incitantur, foventur, aluntur, futurum esse ut alii alios temperent atque ita efficiant ut nullus eorum noceat.

220. Neque recte de affectuum utilitate senserunt Stoici, qui duce Zenone docuerunt, affectus omnes sine discrimine esse morbos animi, præternaturales motiones, aversas a rectâ ratione, contra naturam animi commotiones (1); proptereaque nihil viro sapiente minus dignum existimabant quam moveri affectu quocunque, atque adeo omnes affectus quoad ejus fieri possit esse

(1) Diog. Laert. *De Vit. Philos.* lib. 7, segm. 110.

extinguendos. Heroem sane se præstat, qui virtutem strenue colit, pravis affectibus obstrepentibus et nullo boni affectûs incitamento adjutus, ut adeo omnis illius actio, præter divinum auxilium, a solâ repetenda sit rectâ et firmâ voluntate. At non omnes debent aut possunt esse heroes, vel ipsâ deficiente occasione. Prætcrea, ut recte monet Antonius Genuensis, *Elem. metaph.* p. 2, c. 6, prop. 59 : « Ratio recta, nullo impetuosiori affectu concitante, constantius operatur et æquabilius; sed eximium quidquam et distinctum efficiet nunquam. Eadem, ubi natura vehementissime affecta est, velut erigitur, ac, licet paulo turbulentius, efficit tamen, quæ mira videri possent naturæ humanæ vires omnes ignorantibus. Itaque Plato sæpe scribit, magnorum virorum fuisse neminem sine enthusiasmo quodam, id est, sine vehementiori affectu. »

221. Etiam male ratiocinantur, qui omnes affectus proscribendos esse ducunt, quod ex ipsis multa exorta sint mala. Nam, si propter mala ex rerum abusu nata harum usus quoque tolli deberet, homo ne ullâ quidem facultatum suarum legitime uti posset. Affectus autem, si apte reguntur, utilitates habent plurimas et maximas. Quid enim? non tantum serviunt ad virtutis exercitium et victoriæ laudem (1); sed sæpe, ubi prompte agendum est et pacatus animus rem ponderando tempus perniciose tereret, ipsi nos expeditos et alacres faciunt ad mala prævertenda. Adhæc, dum necessitas postulat, præsertim in periculis animum addunt et robur, ut illa efficiamus quæ secus vires nostras longe excederent (2). Tandem in iis, quæ labo-

(1) Aristoteles ad Nicomachum sapienter dicit : affectus virtutum materiam esse, virtutemque in eo consistere, ut animi affectus temperet, et ita coerceat, ut apta efficiantur subsidia ad veram beatitatem consequendam.

(2) Bossuet, quum animadvertisset quî auctor naturæ vires nostras in periculis gravioribus per affectuum excitationem duplo augeat, hæc sapienter addit : « Cette augmentation de forces proportionnées à nos besoins nous fait voir que les passions, dans leur fond et dans la primitive institution de la nature, étaient faites pour nous aider, et que, si maintenant elles nous nuisent aussi souvent qu'elles font, il faut qu'il soit arrivé depuis quelque désordre. » *Connaissance de Dieu et de soi-même*, chap. IV, § 2.

rem, pugnam vel tolerantiam diutius poscunt, ipsi voluntatem sustinent et adjuvant, ne, si sola laboret, lassitudine deficiat. Hinc vir prudentissimus Storchenau recte : « Labor noster, inquit, non tam in eo versari debet, ut omnes animi affectiones radicitus evellantur, id enim humanæ naturæ conditio minime patitur, quam ut easdem injectis frenis rationi obtemperare doceamus (1). »

222. Ut autem affectum quemquam fovere liceat, hæc necessaria sunt : *a*) ut ejus objectum hujusmodi sit, ut rationi minime adversetur nos erga illud hunc conservare affectum ; *b*) ut affectûs vehementia justam servet proportionem cum momento, quo nos ejus objectum ponderare debemus ; *c*) ut ipse rationis et liberi arbitrii gubernationi subjectus maneat ; *d*) denique ut amor nostri, omnium affectuum principium, sit recte ordinatus et neutrâ ex parte modum excedat.

CAPUT III.

DE VOLUNTATE.

223. Quemadmodum cognitionem affectus ita affectum sequitur voluntas; sicut enim cognitio excitat affectum, ita affectus movet voluntatem ; quæ, cognitione illustrante et affectu invitante, deliberat, eligit, et quid mavult agere decernit. Voluntas igitur, quæ et facultatis et actûs nomen est, animi potentiam summam et maxime completam designat, quâ homo jam non amplius inhæret in amore vel odio, quo afficitur erga res cognitas, atque iis attrahitur, sed ipse eas suâ actione prosequi definite statuit.

Voluntatis præcipua proprietas est libertas sive liberum arbitrium. Hæc non raro cum ipsâ confunditur voluntate; quanquam ab hâc adeo differat, ut multi sint voluntatis actus non liberi.

(1) Psycholog. p. 1. sect. 2, c. 3, § 103.

224. I) Itaque operæ pretium est ab ipso nunc exordio apprime distinguere, quid spontaneum, quid voluntarium et quid liberum vocare oporteat, quæ vocabula, quantumvis diversa, sæpe sive imprudentiâ sive deditâ operâ et confusionis pariendæ causâ promiscue usurpantur.

225. *Spontaneum* est quidquid ab ipso animo suapse agente producitur, sive a voluntate sive ab aliâ quâdam animi facultate procedat. Voluntarium seu volitum est quidquid fit a voluntate, sive libere sive necessario agente. *Liberum* denique est quod a voluntate procedit, quæ illud omittere vel ejus oppositum facere potuisset si maluisset. Ergo quidquid liberum est, illud etiam voluntarium est et spontaneum; item quidquid voluntarium est, hoc spontaneum quoque est. At non vicissim. Nam multa spontanea sunt quæ non sunt voluntaria, atque multa voluntaria sunt quæ minime sunt libera. Nimirum quidquid liberum est hoc procedit a voluntate, et quidquid a voluntate fit sponte facimus; at non omnia quæ sponte fiunt a voluntate veniunt, nec omnia quæ a voluntate fiunt libere efficiuntur.

226. Quum autem quæ hic de libertate tractanda est quæstio maximi sit momenti, ad amussim distinguere juvat tum varia quæ hoc nomine passim significentur, tum quæ ad veram libertatem conditiones necessariæ sint.

227. Hic utique non agitur *libertas civilis*, sive immunitas a servitute, nec *libertas politica*, sive jus agendi quæ nemini nocent seu legibus justis non sunt prohibita, nec *libertas moralis* illa perfecta quâ quis ab omni pravo immunis affectu bonum facere sine obstaculo et summâ cum facilitate possit; sed quæstio est de solâ *libertate psychologicâ*.

228. Hæc libertas passim duplex distinguitur, nempe *libertas a coactione* et *libertas a necessitate*. Prior consistit in immunitate ab omni vi externâ, quæ agentem invitum cogeret ad hoc et non alio modo agendum; posterior adhæc exigit immunitatem ab omni necessitate internâ, quâ agens ita astringeretur ut aliter quam agit agere non posset, etiamsi hæc necessitas agenti gratissima esset, isque illâ motus ageret libentissime.

Libertas a coactione etiam *spontaneitatis* appellatur, quia proprie nihil aliud est quam spontaneitas non impedita, et ejus actio non vere libera est, at spontanea tantum. Libertas a necessitate alio nomine vocatur *libertas indifferentiæ*, quia hujus virtute homo indifferenter agere ex pluribus potest quod mavult, et *libertas electionis*, quia ejus vi homo, non limitatus ad unum, ipse eligere potest inter plura quod vult. Huic soli veræ libertatis et *liberi arbitrii* nomen, ubi proprie sumitur, tribui potest, quippe sine quâ nulla nostra actio moraliter bona aut mala esse possit. Quî enim laude aut vituperio, mercede aut pœnâ digna haberi possit actio, quæ, etsi non vi externâ, necessitate tamen internâ ita fit, ut ea omitti aut aliter fieri nequeat? Nonne hoc tam evidens est, ut nullâ prorsus indigeat probatione?

229. Vera igitur libertas seu liberum arbitrium recte definitur animi facultas, quâ homo, omnia quæ ad agendum requiruntur possidens, agere potest vel non agere, prout vult, vel saltem hoc agere potest aut aliud quidpiam. Ubi eligere potest inter duo contradictoria, libertas *contradictionis* nuncupatur, ubi inter duo vel plura contraria, libertas *contrarietatis*, ut ipsa nomina satis declarant (1).

230. II) Itaque ut actus noster vere liber sit, hæ requiruntur conditiones : *a*) cognitio intellectûs, quâ percipitur quid boni et quid mali actus ille contineat, et quâ voluntas illustratur et incitatur. *b*) Ut ratio simul aliquid nobis boni et aliquid mali in eo actu deprehendat, atque ut homo ex perspecto bono et malo, quod actus ille nobis offert, in neutram partem necessario seu ineluctabiliter trahatur, sed ut in perpendendis iis, quibus ad agendum incitatur, sui compos maneat ad deliberandum et seligendum quod pro libito sibi placuerit. *c*) Ut id, quod voluntas statuit, nullâ violentiâ seu vi

(1) In moralibus disciplinis *directe liberum* apte vocatur id quod ipsum libere volo, et *indirecte liberum* id cujus causam libere volo, ex quâ illud secuturum esse prævidere possum et debeo.

externâ impediatur. Breviter : ut cognoscatur agendi ratio, ut ratio cognita voluntatem non invincibiliter inclinet, ut absit violentia. Etenim vere liberum appellari nequit, *a*) in quod cæco instinctu tantum prorumpamus, vel quod sine ullâ cognitione alio quocunque modo efficiatur, quanquam illud spontaneum esse possit, *b*) nec id quod omittere vel cujus oppositum eligere non possimus, seu ubi non possumus indifferenter eligere inter plura, etiamsi illud forsan voluntarie, quin et libenter faciamus; *c*) nec id quod vis externa, non ipsa voluntatis electio produxerit.

231. Quæ quum ita sint, actionem vere liberam his tribus constare conspicitur, quæ ejus velut elementa constituentia sunt : *a*) de re agendâ et agendi rationibus cognitis *deliberatio*, *b*) ex pluribus unius pro libito *electio*, *c*) *potentia faciendi* quod electione decretum est. Singuli illi etiam seorsim actus liberi sunt, at simul tantum actionem liberam vere completam constituunt.

232. Ex iis quæ de libertatis conditionibus diximus colligi potest, quæ ipsius excercitio opponi possunt *obstacula*. Quæ quidem obstacula, prout actûs cujusdam libertatem vel tollunt vel infirmant, generatim dividuntur in *impedientia* et in *minuentia*. Speciatim vero utriusque generis sunt hæc tria: 1° quæ actûs et agendi rationum cognitionem vel omnino impediunt vel infirmant; 2° quæ deliberationem tollunt aut minuunt, et ita vel omnino vel partim prohibent optionem; 3° quæ invincibiliter, vel plus minus cohibent optionis factæ aut faciendæ executionem. Aliis verbis, libertatem impediunt: absentia motivi (ut vocatur) cogniti, actio motivi invincibilis et vis externa quæ superari nequit (1).

233. Hinc facile concipitur, cur in scholis plerumque quatuor

(1) Libertati ex adverso opposita est *necessitas*, quæ passim triplex distingui solet: *metaphysica* seu *absoluta*, cujus oppositum nullo prorsus pacto fieri potest, ne per potentiam divinam quidem, *physica*, cujus oppositum nullâ vi humanâ aut naturæ creatæ effici potest, et *moralis*, cujus oppositum fieri quidem, at difficillime possit. — Itaque ea tantum quæ metaphysice vel physice necessaria sunt libertatem nostram penitus tollunt, non autem quæ moraliter. Necessitas moralis tamen subinde alio sensu accipitur.

hæc libertatis impedimenta nominatim recenseantur : *ignorantia* (quo nomine intelligitur quævis inscitia, error et defectus attentionis), *concupiscentia* (quo nomine omnes veniunt affectus et præsertim passiones), *metus* et *violentia* seu vis externa.

234. Ad moralem disciplinam pertinet seorsim definire, quousque illa singula libertatem in quovis casu peculiari impedire vel minuere possint, atque adeo actionum meritum aut culpam augere, minuere vel tollere; sed nostrum est paucis verbis dicere, cur et quomodo ipsa libertatis exercitium prohibeant vel debilitent.

Ac 1° quidem, quum voluntas sit potentia cæca, ut ejus actio rationi tribui possit, illustranda et excitanda est lumine quod ipsi præfert intellectus. Ut enim generatim nemo vere liber est nisi rationis usu fruatur, ita nulla actio singularis libera dici potest, quam nunc rationis lumen non illustret et ad quam faciendam vel omittendam hâc illustratione voluntas non incitetur. Ut autem ad movendam voluntatem efficax sit hoc rationis incitamentum, voluntati exhibere debet boni vel mali aliquid illâ actione consequendum ; voluntas enim æque ac affectus in actum non procedit, nisi incitetur alicujus boni vel mali apprehensione. Proinde ubi nulla cognitio, seu ubi ignorantia aut error invincibilis, ibi nulla libertas, imo ne voluntas quidem; *nihil volitum nisi præcognitum.*

2° At sicut incitamento absente non movetur voluntas, ita incitamenti vi nimiâ impeditur vel saltem minuitur libertas. Nam eo minor est libertas, quo vehementius in unam potius quam in alteram partem trahimur, et eo major, quo facilius inter plura cognita pro libito eligere et decernere possumus. Unde sæpe fit ut, quo magis voluntaria ac libens est actio quædam, eo minus sit libera.

Duobus autem modis fieri potest ut incitamentum invincibile sit : *a*) ubi subita cujusdam affectûs vehementioris motu in actum proruimus, antequam deliberando rem in utramque partem versare nobis licuerit ; atque adeo eo minus libera præsens actio est, quo minorem deliberationi locum

relinquat affectus. *b*) Ubi mens, rem considerando, in eâ faciendâ vel nihil nisi bonum vel nihil nisi malum deprehendit, rursus eligere nequit ; nam in priori casu actionem necessarie facimus, in posteriori necessarie omittimus ; quandoquidem, quod supra notavimus (230), nihil velle possumus nisi ratione boni, nihil nolle nisi ratione mali cujuscunque, quod recte vel errando in re voluntati propositâ deprehendimus. Hinc etiam fit ut bonum in universum spectatum seu bonum tanquam bonum nunquam nolle, et malum universe consideratum seu malum tanquam malum nunquam velle possimus ; quanquam singula quæ bona sunt pro libito velle aut nolle, et singula quæ mala sunt itidem possumus amare vel adversari, quum præsens nostra conditio ea sit, ut in singulis bonis etiam aliquid mali et in singulis malis etiam boni aliquid nobis possimus reperire (1).

3° Quæ invincibili violentiâ externâ in nobis producuntur, vere libera nobis non esse, tam evidens est quam quod maxime. Si cui libera hæc sint, ei profecto soli sunt qui violentiam infert, non illi qui violentiam patitur.

235. At necesse est hic diligenter exponere, qui actus violentiæ obnoxii esse possint, qui non possint. Eum in finem distinguunt actus a voluntate elicitos, sive ipsas internas voluntatis electiones, et actus a voluntate imperatos sive voluntatis imperii executiones ope organorum sive aliarum potentiarum extra voluntatem. Violentia autem solum impedire potest actus a voluntate imperatos; sed actus a voluntate elicitos directe attingere aut prohibere non potest; nostram in his libertatem minuere tantum potest, quatenus rationes agendi mutat, seu quatenus minus incitamur ad illa eligenda, quorum executionem violentiæ nos exponere vel violentiâ prohibendam esse prævidemus.

(1) Eam ob causam merito hæc notavit Bossuet (*Connaissance de Dieu et de soi-même*, c. I, § 18) « Nous sommes déterminés par notre nature à vouloir le bien en général; mais nous avons la liberté de notre choix à l'égard de tous les biens particuliers. »

256. Si ea quæ hactenus exposuimus rite considerantur, liquebit hominem, etsi vere liber sit, neque absolute neque semper et in omnibus esse liberum. Non absolute liber est, quatenus nec libertatem ipsam nec incitamenta quæ ipsi ad volendum necessaria sunt a se ipso habeat, sed quantum ad hæc et ad illam a causis sive conditionibus pendeat externis. Non semper et in omnibus liber est, quum conditiones ad libere agendum non ubique adsint; modo enim deest sufficiens cognitio, modo homo aliam ob causam suî non est compos ad animo deliberato eligendum.

257. III) Ea tamen non obstant quo minus homo in multis vere liber sit, quum in multis conditiones necessariæ ipsi non deficiant, neque ipse ab iis passive pendeat ut libra a ponderibus ex eâ pendulis, sed ut causa actuosa quæ suâ ipsius virtute agit in ipsa illa incitamenta, quæ ad agendum necessaria sunt, siquidem illa augere, minuere, negligere pro libito possit.

Hominem vere liberum esse veritas est quam fides hominum communis experientiâ intimâ et ratione nixa tam evidenter ostendit, ut in eâ probandâ tempus inutiliter tereremus, nisi inter philosophos ejus hostes essent et plures et acerrimi, quorum alii libertatem aperte negant, alii libertatem quidem defendunt, sed non eam quæ a necessitate vocatur, seu liberum hominis arbitrium nomine propugnant, re tollunt. Quare, quum hæc res sit maximi momenti, breviter exponemus præcipua quædam argumenta quibus libertas a necessitate invicte probatur.

258. 1° Communis hominum consensus hominem vere liberum esse probat. Ea enim omnium populorum et hominum sive doctorum sive indoctorum persuasio communis est et semper fuit, hominem in plerisque suis actionibus libertate vere et proprie dictâ frui, utpote quâ coram Deo et hominibus mereri possit. Hæc persuasio omnes veri sensûs sive consensûs communis criterii conditiones habet (*Logic.*). Nam *a*) non ex causâ hominis assensu indignâ orta est, quippe quum pravis affectibus maxime adversetur. *b*) Communis et perpetua est; reperi-

tur enim ubique gentium. *c*) Rationi non adversatur, sed ratio eam evidenter expostulat. Quare merito dicimus, sive Deo docente sive naturâ sponte ingerente, sive utroque eo fonte simul enata sit, persuasionem illam non tam alte, tam firme, tam constanter, tam communiter hominum mentibus insessuram, nisi eo moverentur incitamentis seu rationibus maxime naturalibus, præsertim iis quæ deinceps tanquam alia libertatis argumenta proferemus. Ergo naturalis est, rationabilis, vere humana, philosophica veritatis testis igitur.

239. Communem porro esse hanc persuasionem apud homines sive indoctos sive doctos, præsertim meliores et sapientiores (præter philosophos, de quibus mox agetur), probatur tum apertâ ipsorum confessione, tum maxime receptis ubique moribus, institutis, legibus, fide, etc. quæ sine libertatis persuasione esse non possunt. Hinc S. Augustinus optime dixit : «Etiamne libri obscuri mihi scrutandi erunt, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut *id non faciat quod facere non potest?* Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et in orbe terrarum genus humanum (1)?»

240. « Quod ad philosophos attinet, ut recte monet Storchenau, omni ætate et plures et doctiores et probiores id senserunt suosque docuerunt. Alia Dei providentiâ, alia consilio nostro et libertate, alia fato fieri, opinio erat Pythagoræ (2). «Plato fatum « quidem in hominum vitas et actiones introducit, sed et volun« tatis libertatem cum eo conjungit, » scribit Plutarchus (3). Clarissime ipse passim libertatem professus est (4). Aristotelis verba sunt : « in nostro arbitrio esse bona malaque facere (5). » Quid multa? Veterum philosophorum hac in re consensio adeo ma-

(1) *De duabus anim.* n° 15, alias 11.
(2) Stanleius, *Hist. phil.* tom. 2, Doctr. *Pythag.*
(3) *De placitis philos.* cap. 27.
(4) *Gorgias* et *De republ.* lib. ult.
(5) *Moral.* lib. 1; *Metaph.* lib. 9, c. 1; *Ethic.* lib. 3, c. 5.

nifesta est, ut ne Calvinus ipse (1), quanquam vel maxime optaret, eam negare ausus fuerit. Mihi omnium loco Tullius est (2), qui tam acriter pro libertate depugnavit, ut, quum prævisionem Deorum cum nostrâ libertate conciliandi modum non inveniret, maluerit eam tollere, ut hanc defenderet, sicque, « ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos, » quemadmodum S. Augustinus (3) de eo scripsit (4).

« Quod si jam his posteriorum temporum philosophos addamus, juniores nimirum Platonicos, Peripateticos recentiores, Gassendistas, Cartesianos, Newtonianos, facile patebit, tanti numeri comparatione nullam eorum rationem habendam esse, qui in oppositam sententiam recesserunt (5). »

241. 2° Sensus intimus hominem liberum esse probat. Nulla in universum probatio sensu intimo potentior est, nihilque magis aperte nos liberos esse testatur quam suus cujusque sensus intimus. Nec ullum dubium est, quin una ex præcipuis causis, cur homines, invitis pravis affectibus et philosophorum sophismatis, semper et ubique judicare pergant se vere liberos esse, hæc sit, quod sensus intimus hanc veritatem tam clare, tam asseveranter, tam indubie proclamat. Quid enim? « Sentit animus se moveri, recte inquit Cicero; quod quum sentit, illud una sentit, se vi suâ non alienâ moveri (6). »

(1) *Instit.* lib. 2, c. 2, § 2.
(2) *De fato*, *De divinat.* *De nat. Deor.*
(3) *De civ. Dei*, lib. 5, c. 9.
(4) « At vero dubitabunt fortasse aliqui, sic loqui pergit Storchenau, utrum Tullius eam, quam statuimus, a necessitate libertatem defenderit. Quid igitur? Eam defendit, quam cum prævisione Deorum stare non posse autumabat : quænam vero illa? Spontaneitas certe sive libertas a coactione nullo negotio cum prævisione conciliatur; alia ergo fuerit necesse est, pro quâ ipse pugnavit : quæ illa? Libertas a necessitate; alterius enim præter has duas ideam non habemus. Libertatem itaque a necessitate propugnavit Cicero, ac pro eâ velut firmissimum argumentum generalem hominum consensionem attulit; quæ res palam facit, eamdem libertatis notionem in aliorum quoque, ac præsertim antecedentium philosophorum animis insitam fuisse. »
(5) Storchenau, *Psychol.* part. 1, sect. 3, c. 3, § 123.
(6) *Tusc. Disp.* *I*, 23.

242. Nobis reverâ esse hujusmodi sensum, experientiis constat certissimis, quas et quovis momento repetere licet. Etenim non tantum voluntatem nostram in hanc aut illam pro libito possumus flectere partem, sed etiam, si libeat, quo volumus momento voluntatis nostræ decreta seu statuta jam posita cohibere, de iis iterum deliberare, eadem denuo statuere vel ipsis contraria facere possumus. Possumus etiam hac horâ jam ante decernere, prout placet, quæ sive brevi sive diu posthac sumus facturi. Quin imo, quod libertatis nostræ vim maxime probat, possumus, dummodo plura adsint incitamenta, ut plerumque adesse constat, eligere partem aliam, ac affectus fortissimi et incitamenta voluntati externa potentissima eligendam suadeant. Profecto nihil nobis facilius quam hoc ipso momento experientiâ simplicissimâ et maxime indubiâ libertatis nostræ periculum facere et argumentum proferre.

Et hæc experientia, quatenus ab intimo facultatis nostræ sensu distinguitur, novum et firmum libertatis nostræ argumentum est (1).

Verissime igitur scripsit philosophus Gallus : « Entia vere libera majorem nostro libertatis sensum non haberent; quare nos liberos æstimare debemus (2). »

243. 3° Recognitio eorum, quæ ad veram libertatem necessaria sunt, hominem liberum esse probat. Ut supra vidimus, conditiones quæ ad veram libertatem et requiruntur et sufficiunt, hæ sunt, ut mens cognoscat rem quæ facienda est, ut adsit incitamentum quod sufficit ut moveat voluntatem ad agendum, ut voluntas suî compos amplecti possit utrumlibet, puta actionem vel omissionem, prout vult. Actus autem libertatis sunt deliberare rem quæ agenda proponitur, eligere ex pluribus id quod volumus, facere quæ eligere placuit. Jam vero nemo sanus igno-

(1) Cf. De la Luzerne, *Disert. sur la liberté de l'homme*, chap. 4.

(2) « Des êtres véritablement libres n'auraient pas un sentiment plus vif de leur liberté que celui que nous avons de la nôtre. Nous devons donc croire que nous sommes libres. » D'Alembert, *Mélanges de li térature*, t. IV, n. 7.

rat, et quotidiana experientia docet, plurimas esse actiones, in quas conditiones illæ et hi actus plane concurrunt omnes, ut neganti a quovis perito multis exemplis illico probari possit. Hæc tam manifesta sunt, ut ad libertatem negandam contendere debeas, nullam ab homine deliberationem, nullam fieri electionem, sed hominem machinæ instar rem sibi ad faciendum propositam spectare et ad hanc rem alteri anteferendam sine electione passive induci; quæ asserta quidem nimis evidenter absurda sunt, quam ut longiori redargutione indigeant.

244. 4° Ex Dei sapientiâ hominem liberum esse probatur. Ut sensûs appetitum ita rationis libertatem complementum naturale, atque adeo necessarium esse, docet S. Thomas, ut sine his illa in genere suo perfecta et nisi entia manca et ad finem suum non sufficientia esse non possent. Quare sapientissimus Euler dicere non veretur, libertatem ita menti essentialem esse, ut divina potentia creare nequeat mentem non liberam (1). Quod sane verum censeri debet, non hoc sensu intellectum ut per Dei omnipotentiam seorsim ab aliis divinis perfectionibus spectatam fieri non possit ut existat ens quoddam ratione non libertate præditum, sed eo sensu ut Deus suâ potentiâ facere nequeat quod pugnet cum sapientiâ; pugnaret autem cum sapientiâ divinâ productio entis intellectu et ratione præditi, libertate vero carentis; nulla enim prudens ratio Deo digna esse potest ens ejusmodi creandi, quippe quod instrumentum non completum foret, seu ad finem cum intellectu et ratione suâ consentaneum consequendum non sufficiens.

245. 5° Eodem fere recidit argumentum quod ex fine creationis petitum ita proponitur. Omnino fieri non poterat ut Deus mundum crearet et nulla in eo entia intelligentia et libera faceret; nullus enim finis Deo dignus esse potest creandi res intelligentiâ et libertate destitutas, nisi hæ proxime referantur ad entia ratione et libertate utentia, quæ Deum ex iis cognoscere et amorem, animum gratum, honorem libere ex-

(1) *Lettres à une princesse d'Allemagne*, Lettre XXI, ed. Laurentie.

hibere possint, atque adeo omnia ad ipsum tanquam finem suum ultimum referre. Itaque existentia entium intelligendi et libere volendi facultate præditorum in universum non minus certa est, quam certum est existere rem præter Deum ullam quamcunque. Quis autem aliud in mundo ens liberum esse probabit, qui hominem non vere liberum agnoscat, in quo tam multa et tam firma libertatis reperit argumenta? Nonne qui hoc tentaret, idem faceret ac is qui aquæ humiditatem negaret ut hanc aliis tribueret elementis?

246. 6° Apagogica libertatis demonstratio. *a*) Nihil in omnium hominum animis altius insitum est, nihilve ratione aptius probatur quam hæc duo : *α*) Nullam actionem moraliter bonam aut malam, nullam virtutem aut vitium, nihil laude aut vituperatione dignum, nihil præmio aut punitione juste affici sine verâ libertate posse ; *β*) in hominum actionibus alias moraliter bonas alias malas esse, alias virtutum alias vitiorum nomine vere vocari, alias laudem alias mereri vituperium, alias denique justâ mercede alias pœnâ justâ donari. Ergo, nisi animi sensa et ideas naturæ insita, ipsamque rationem humanam esse res omnino inanes nec ullâ apud philosophum attentione dignas stolide contendas, hominem vere liberum esse agnoscas necesse est.

b) Quin etiam mores et instituta humana libertatis persuasione nixa et fundata sunt. Quid enim preces, quid præcepta, quid leges, quid ipsa religio, aliaque quæ ubique gentium recepta sunt, sine libertatis notione, nisi vana et falsa nomina, quibus nihil significatur rei? Eum utique a quo aliquid postulamus, cui quidquam præcipimus, quem lege quadam regere volumus, etc. eum procul dubio, si sapimus, liberum esse censemus ut nobis obsequatur. Ergo nisi genus humanum universum, quod moribus et institutis illis paret, stolidum vocare, et ipsam societatem humanam, quæ tota iisdem nititur, pessumdare et, quoad per theoriam possit, evertere velimus, hominem libertate proprie dictâ frui fateamur necesse est.

c) Omnibus hominibus tandem prorsus naturale est ut, ubi

bene agunt, suavi conscientiæ approbantis affectu perfundantur, ubi autem male faciunt, acerrimis remordentis et exprobrantis conscientiæ stimulis agitentur, donec malum quoad fieri potest resarciant. Duplex illa conscientiæ actio adeo ab ipsâ naturâ morali procedit, ut vel maxime invitos agitet, nec minime tamen hominem cordatum afficiat, nisi se liberum in agendo fuisse agnoscat; at, ubi libere se egisse novit, eum etiam illo momento efficacissime moveat, quo effectus bene vel male actis obtentus ipsum physice aliter afficere deberet. Itaque moralis conscientiæ testimonium communis naturæ vox est; illud autem plane nititur persuasione libertatis, et sine libertate vana chimæra esset; ergo, nisi ipsâ naturâ nostrâ in perpetuum errorem ineluctabiliter inducamur, quod cogitare philosophum dedecet, homo vere liber dicendus est.

247. 7° Ex ipsâ adversariorum agendi ratione hominem liberum esse probatur. Nam, ut Storchenau recte docet, « universim in omnibus humanæ libertatis hostibus nullo non tempore observatum est, ipsos ad eam sententiam, quam ore negant, vitæ suæ rationes accommodare; quod naturalis propensionis, quam inviti sentiunt neque ullo conatu prorsus delere possunt, clarissimum signum est. Certe hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem colant; puniunt, si quid deliquerint; cavent sollicite, ne quid vel a se vel a suis admittatur, quo ipsis vel ignominia vel damnum quoddam accersatur. At quorsum hæc cura, hæc sollicitudo, si necessario fiant quæcunque fiunt? Deinde cur ægre adeo ferunt injurias sibi illatas? Unde tantum vindictæ studium? Annon vel eâ vindicandi cupiditate ipsas libere sibi illatas profitentur? Nisi enim in aliorum potestate situm fuisset talia nocumenta non inferre, nulla foret ratio injuriæ, nulla iræ justæ aut vindictæ. Vide Eusebium. Nemo unquam ab homine amente aut a furiosâ belluâ injuriam sibi illatam fuisse conquestus est. Quum igitur illi ipsi, qui verbis libertatem tollunt, in periculis admodum solliciti, in rebus dubiis apprime cauti, in ulciscendis injuriis valde feroces sint; neque æqualiter perfidiam ac fi-

delitatem, parricidium ac parentum observantiam æstimare queant, nonne hac agendi ratione manifeste sibi contradicunt, occultaque animi sensa, quod ore nolunt, operibus produnt? Profecto, si omnia necessario agerentur, possemus quidem amare virtutem et probitatem tanquam rem nobis commodam, æstimatione ac præmio dignam censere non possemus; quemadmodum horologium commodi causâ amamus, non tamen seriâ mente æstimatione aut compensatione dignum judicamus. (1) »

248. IV) His utique rationum momentis hominis libertas ad oculum patet luculentissime; ea tamen hujus veritatis osorum vesania est, ut illa singula explodere sibi sumpserint. Scilicet 1° argumento primo opponunt antiquos passim fato credidisse. 2° Secundum et tertium argumenta nulla esse dicunt, quod in omnibus quæ volumus causis variis ad volendum moveamur, quæ nos tam sponte ad agendum incitent, ut falso putemus nos libere operari. 3° Quartæ et quintæ rationi opponunt Dei præscientiam et bonitatem, quas cum hominis libertate conciliari posse negant. 4° Sextæ et septimæ probationis vim elevare conantur novâ a se confectâ justi et injusti definitione. Et hæc omnia subinde tam callide componunt, ut captionum insuetis fucum faciant, et nodi solutio difficultatem habeat maximam (2). Verumtamen, ne quis argutias forte pro rationibus habeat, singula quæ opponuntur singulatim expendemus.

249. Itaque 1° negant aliqui consensum de libertate univer-

(1) Storchenau, *Psychol.* § 135. Cf. Fenelon, *Lettres sur divers sujets de métaphysique et de religion*, Lettre II, chap. 3, *Du libre arbitre*.

(2) Quamobrem recte dixit doctissimus Holland (*Réflexions philos.*) : « Il en est des arguments contre la liberté comme de ceux qu'on fait contre la possibitité du mouvement et contre l'existence des corps. Ces arguments sont quelquefois très-subtils, difficiles à résoudre, surtout pour ceux qui ne connaissent pas les charlataneries dialectiques; mais, comme ils contredisent des sentiments vifs, profonds, irrésistibles, universels, ils éblouissent l'esprit sans le convaincre. »

salem fuisse, quod veteres philosophi plerique fatum docuerunt aliave placita, quæ cum libertate manifesto pugnant.

250. At *a*) doctrina de fato minime fuit universalis. *b*) Si doctrina de fato, quam multi philosophorum professi sunt, minime componi cum libertate posset, hoc unum sequeretur, aliquot philosophos inter se pugnantia docuisse. Nostrum non est omnia cujusvis philosophi asserta secum conciliare. *c*) Fati nomine plures philosophi intellexerunt velut summi numinis cujusdam voluntatem in aliis necessariam in aliis autem liberam, seu cui alia ita subjecta sunt ut aliter se habere omnino nequeant, alia ita ut ad tempus ei subtrahi possint, alia tandem ita ut quibusdam positis etiam possint aliter fieri (1). Quæ sententia cum christianorum de Dei voluntate doctrinâ sat commode conciliari potest. *d*) Hinc etiam evenit, ut plures philosophi fatum simul et hominis libertatem conceptis verbis asseruerint, ac nominatim quidem Stoici plerique (2).

(1) Cff. Dissertatio de fato (*Destin*), quæ legitur in *Nouveau Conservateur Belge*, t. IV, p. 121, et Benjamin Constant locis in eâ dissert. indicatis, item S. Augustinus, *De civ. Dei*, V, 10, atque ornatissimi juvenis Demoor dissert. *Des idées d'Hérodote sur la Divinité et sur son action dans le monde*, quæ reperitur in *Choix de Mémoires de la Société littéraire de l'Université cath. de Louvain*, t. III, p. 153.

(2) « Stoici, inquit Storchenau, *Psychol.* § 125, paucis solum qui Cleanthem secuti sunt demptis, libertatem minime negarunt. Testatur enim Plutarchus (*De plac. philos.* lib. 1), Stoicos maximam partem quoad libertatem cum Platonicis consensisse; et generatim de illis S. Augustinus scribit (*De civ. Dei*, lib. 5, c. 10) : »Nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent; atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. « Chrysippus præcipuum disciplinæ stoicæ lumen, testibus Cicerone (*De fato*, XVII) et Aulo Gellio (*Noctes Att.*, VI, 2), voluntates humanas a fato exclusit, easque et liberas esse, et propterea pœnam vel præmium promereri posse docuit. Vid. Baylius (*Dict. crit.* tom. 2, art. *Chrysippe*). *e*) Qui deinde fatum astrologicum statuerunt, ita loqui pergit Storchenau, nullam sane auctoritatem hoc loco habere possunt; opinionem enim aperte absurdam et nullo non tempore a sapientioribus explosam tenuerunt. *f*) Epicurus denique, qui Democriti paucissimos sectatores numerantis systema excoluit, ut hominum libertatem defenderet,

251. 2° Maximos nervos intendunt adversarii in impugnando argumento quod ab intimo sensu et experientiâ petitur. In illud quidem præcipue congerunt quæ sequuntur : *a*) Nos sensu intimo decipi posse patet ex amentibus, delirantibus et somniantibus. *b*) Reipsâ autem decipimur, quod variis causis necessariis impellimur, quas quia sponte naturâ sequimur, nos libere agere censemus ; sicut lapis, addit Spinosa (1), qui, quod ex naturæ suæ inclinatione cadit, se libere cadere putaret. Causæ illæ præcipuæ sunt : *c*) constitutio nostra physica, quod temperamentum vocant, affectus, passiones, habitus et alia quæ corpus præsertim afficiunt; *d*) stimuli quivis interni, ut ideæ honoris, honestatis, religionis, quin et ipsa vana gloria quâ nos liberos dictitare amamus (2). *e*) Iis porro, ut libra ponderibus ex eâ pendulis ducimur in eam, in quam ratio potior seu incitamentum fortius nos trahit, partem. *f*) Nihil enim sine ratione sufficiente velle aut facere possumus, et illud necessario facimus quod suadet ratio quæ nobis gravior apparet, *g*) seu quod, omnibus perpensis, magis ex re nostrâ esse judicamus, *h*) seu quod nobis præplacet, et *i*) quod ultimo judicio practico faciendum esse decrevimus.

252. Verumtamen tota illa cavillatio nititur hac falsâ hy-

motum illum tertium atomorum, seu ut Lucretius ait, *clinamen principiorum* confinxit. Fuse de hoc Cudworthus agit (*Systema intell.* c. 5, s. 2, 14). Stanleius ex Laertio (*Hist. phil.* tom. 2, *De philos. Epicur.* p. 3, c. 6, p. 1067). Epicurum sic ratiocinantem inducit : » Verum est quidem in rebus ratione carentibus fieri aliqua necessario... at in homine ratione utente, et quatenus quidem illâ utitur, necessitas prorsus est nulla, ac nos ideo conati sumus declinationem motuum asserere atomis, ut deduceremus, quî posset fortuna humanis rebus invenire, ac illud, quod in nobis est, liberum arbitrium minime periret. » Miserum quidem ac ridiculum effugium, aptum tamen ut inde nobis Epicureorum de nostrâ libertate sensus patefiat. »— Hæc postrema asserta luculenter ostendunt, libertatis persuasionem tam alte philosophorum mentibus insedisse, ut cum eâ placita sua vel maxime ei adversa conciliare studuerint.

(1) *Epist.* LXII, ed. G. Paulus. Cf. *Theodic.* n. 386.

(2) His armis libertatem impugnat inter alios F. J. V. Broussais, *De l'irritation et de la folie.*

pothesi, voluntatem nostram similem esse instrumento inerti seu passivo. At voluntas non movetur, sed ipsa se movet, et incitamentum ei conditio, non causa actionis efficiens est.

a) Peccat autem primum argumentum, quod, etiamsi certum esset amentes, etc. sensu suo intimo decipi, a non utentibus ratione concludat ad rationis usu nunc utentes.

b) Minime verum est, actiones nostras quas liberas vocamus a causis necessariis pendere; eas enim non tantum sponte, sed ita facimus, ut etiam ab actione abstinere nos posse sentiamus. Voluntas nostra a Spinosæ lapide hoc differt, quod illa, docente experientiâ quæ quovis momento renovari potest, actiones suas liberas possit, hic autem casum suum non possit cohibere, differre, intermittere, iterum prosequi, aut variis modis pro libitu temperare.

c) Constitutio physica aliaque physica corporis incitamenta profecto vim magnam et continuam exercent in plerasque nostras actiones; hæc tamen non ejusmodi est, cui resistere non possimus; sed agit velut invitatio, sollicitatio, cui pro libitu obsequimur vel obsistimus, modo facilius, modo difficilius, ut quisque suâ ipsius experientiâ, quoties lubet, experiri potest. Ignavi soli se suo temperamento aliove corporis incitamento aut affectibus se circumduci sinunt. Affectus enim, passiones et habitus plerique libere acquiruntur, ac libere deponuntur aut conservantur; et quamvis sæpe magnum negotium facessere possunt, nolentem tamen cogere seu necessitatem inferre nequeunt; atque ita non raro fit ut in iis, quæ minus voluntaria nobis sunt, nos maxime liberos ostendamus.

d) Honoris, honestatis, religionis, aliæve ideæ profecto incitamenta sunt, quibus, quamdiu animo præsentes conservantur, mens quodammodo ad volendum invitatur; sed tantum abest ut mentem cogant, ut mens aperte contra earum invitationem agere possit; quin imo mens non tam ab ipsis quam ipsæ a mente pendent, ut mens eas vel conservare, eas meditari et ipsis vim addere, vel eas negligere, eas a se repellere, aut earum pondus efficaciamque aliter extenuare omnino

queat. Unde enim maxima idearum vis nos ad actum impellendi, nisi a liberâ mentis nostræ æstimatione?

e) Is maximus adversariorum error et cæterorum errorum fons est, quod voluntatem æquiparent rebus quæ causâ alienâ moventur, a quibus et speciatim quidem a librâ seu bilance differt, ut certis constat experientiis; nam *α*) libra movetur, voluntas se ipsa movet; *β*) libra sibi appendere aut a se abjicere pondera nequit, voluntas incitamenta sua quovis momento rejicere et nova adsciscere potest; *γ*) libra ponderibus inæqualibus appensis in æquilibrio stare non potest, aut non in eam inclinare partem ex quâ pondus est gravius, voluntas quibusvis incitamentis positis (excepto casu supra relato, 234) suspensa manere, in neutram inclinare partem, et in alterutram pro libitu ire potest, etiam in eam ex quâ præter ipsam voluntatem incitamentum est minus.

f) Falsum etiam est, nos necessario aut semper facere quod suadet ratio quæ nobis ex se gravior apparet; sed pluribus rationibus positis utramlibet æqualiter sequi, seu utram volumus proprio marte graviorem facere nos ipsi libere possumus. Quod autem præmittitur de ratione sufficienti, etsi illud in universum verum sit, falso tamen intelligitur de ratione voluntati externâ; stare enim potest et sæpe stat pro ratione sola voluntas, quæ utique efficacissima ratio est. Sic etiam, ut hoc commemorem, qui ex vanâ gloriâ se liberum dictitandi ex oppositis alterutrum pro libitu facit, se liberum esse certe probat.

g) Neque necessario aut semper facimus quod maxime ex re nostrâ seu optimum nobis esse judicamus. Prudentia quidem illud faciendum esse dictat, sed voluntas consilia prudentiæ pro beneplacito suo libere sequitur vel respuit; eligere potest quidquid quomodocunque bonum sibi apparet, et non raro eligit minus bonum, relicto majore, probe conscia penes se esse eligere utrumlibet.

h) Similiter inepte dicitur, nos necessario velle quod nobis præplacet. Cujus asserti duplex est sensus. Significat enim primo nos necessario eligere quod ex se maxime nos allicit, quod

falsum est ; item significat , nos facere quod præferimus seu malumus, et hoc est verum, hoc enim pertinet ad libertatem. Quæstio tota inde pendet, quæ causa sit cur hoc illudve malimus ; nam si ipsa rei voluntati propositæ bonitas ex se seu ex modo quo proponitur præferentiam nostram extorqueret, nulla esset libertas ; at , si voluntas ipsa hujus præferentiæ causa efficiens sit, ut reipsa est , rei autem quæcunque bonitas solummodo conditio sine quâ voluntas suam efficaciam exerere non possit, libertas sarta tecta manet.

i) Denique judicii ultimi practici nomine duo diversa intelliguntur, nempe actus judicii, quo quis aliquid faciendum hic et nunc esse judicat, quia bonum est, vel omittendum, quia malum, et actus decretorius, quo quis post deliberationem hoc illud se facturum esse statuit. Priori sensu intellectum, nos judicium ultimum practicum necessario aut semper sequi, quam falsissimum est; posteriori sensu ea assertio significat, nos facere quod facere ultimo statuimus ; quod si sane intelligitur, verum est , quum idem significet ac nos libere facere quæ libere statuimus, necessario facere quæ necessario statuimus. Adhæc notari debet, ultimum judicium esse quod ultimum esse volumus , seu post quod non libet sententiam mutare. Minime igitur nocet libertati judicium practicum quodvis.

Itaque explanatis assertis ambiguis, libertatis causa non tantum non deterior facta est, sed discussione eorum quæ objecta sunt patentior, clarior et melior evasit.

253. 3° Attamen aiunt libertatis osores, hominis libertatem manifesto pugnare cum Dei præscientiâ , quum id quod a Deo præscitur necessario eveniat, et cum Dei bonitate, quum libertas donum funestum esset, quod Deus non magis hominibus committere possit, quam pater infanti cultrum, quo hic se vulneraturus prævideretur.

254. Sed prior illa difficultas alio loco soluta est (*Theodic.* 486-489). Ad posteriorem solvendam satis est observasse : *a*) libertatem esse conditionem sine quâ nullum haberi possit meritum ; *b*) hominem neque necessario neque ignoranter abuti

posse libertate; c) atque adeo non posse hominis liberum arbitrium æquiparari cum cultro infanti permittendo, et quod infanti cultro illo non est opus, et quod infans, utpote ratione nondum utens, malum quod prævidetur evitare non potest. *d*) Itaque Dei bonitas et providentia non obstat hominis libertati, sed præcipua causa est cur homini concessum sit illud donum, sine quo mundus non potuisset creari, nec homo præstantissima bona sibi proposita consequi. Quod si libertatis abusus ingens malum sit, profecto sequitur libertatem maximum esse bonum, quippe quod Deus tanti facit, ut illud propter prævisum abusum (qui tamen minime necessarius est) homini non negaverit.

255, 4° Adversarii tandem et hæc objiciunt : « Falsum est ab eo, qui omnia necessitati subjecta esse contendit, confundi et destrui notiones justi et injusti, boni et mali, meriti et noxæ. Etenim, quamvis homo necessario faciat quæcunque facit, actiones ejus justæ, bonæ ac præmio dignæ sunt, quoties utiles sunt aliis hominibus sive societati in quâ vivit, easque non distinguere non possumus ab iis quæ societati nocent; unde evidenter sequitur, systema fatalismi non incitare ad perpetranda crimina aut retundere stimulos conscientiæ. Nam conscientiæ stimuli seu animi morsus sunt ingrati sensus ex dolore quem excitant effectus passionum præsentes aut futuri. Si effectus illi nobis semper utiles sunt, nullis premimur conscientiæ stimulis. Sed statim ubi certo scimus, actiones nostras nobis aliorum odium vel contemptum adsciscere aut punitionem quamcumque, solliciti fimus, et in nos ipsos animo offensi, nobis quæ fecimus exprobramus, et penitus erubescimus, timentes judicium eorum quorum existimationem et benevolentiam nostrâ interesse didicimus et sentimus. Itaque, repeto, omnes actiones hominum necessariæ sunt; illæ quæ semper utiles sunt et ad verum generis nostri bonum conferunt, virtutes appellantur (1). »

256. « Mira, inquit Card. de la Luzerne, fatalistarum doctrina moralis. Igitur non a principio, sed ab effectu actionum

(1) *Système de la nature* t. I, chap. 12; *Le bon sens*, t. III, chap. 8.

humanarum meritum pendet et noxa. Ad bonitatem moralem nihil confert agentis voluntas, solus computatur effectus. Utrum homo nocere voluerit aut prodesse, res plane indifferens est. Si ex actione aliquid boni secutum fuit, virtus est; si quid mali, noxa est. Hoc systema funditus evertit omnes, quas ratio offert et quas genus humanum semper habuit, notiones virtutis et vitii. Ex omnium sapientum judicio, qui opus bonum facit ubi malum facere voluit, vituperio et pœnâ dignus est; qui autem, ubi aliquod bonum facere sibi proponit, contra mentem suam malum quoddam infert, non tantum excusandus est, sed et laudem meretur. Pone aliquem, mihi obsequium præstare cupientem, rem non gessisse ex sententiâ, alterum vero, qui nocere mihi conabatur, commodo meo allaborasse, jam ab ipsis peto fatalistis, utri illorum gratum debeam animum. Qui occidere quemquam volens, ipsi vomicam aperit eumque a gravi malo liberat, laude dignus est; sed medicus, qui ad morbum sanandum utitur remedio quod ex voto non succedit, scelestus habebitur! At semper et ubique omnium hominum sententia fuit, actiones non ex eventu, sed ex voluntate liberâ et ex agentis proposito judicandas esse. Homines duo ad unam et eamdem actionem producendam concurrunt, unus ut mandans vel ut auctor, alter ut instrumentum passivum; nonne evidens est, actionem totam imputandam esse priori, huic soli tribuendam laudem aut vituperationem, huic uni mercedem aut pœnam deberi? An famulus qui domino suo potum præbet, cui alius illo inscio venenum miscuit, condemnandus est ut veneficus? Infans, amens, delirans actiones quæ maxime nocent efficere, at non crimina possunt. Hoc enim differunt ab eo qui facultatum suarum usu fruitur, quod hic liber, illi autem non sint liberi. Sensus naturæ vel maxime vulgaris crimen voluntarium a non voluntario distinguit, et illud solum pro vero crimine habet.

« Si virtus et vitium solum essent in iis quæ hominibus prosunt aut nocent, quidquid ipsos non tangit indifferens foret. Atque adeo primum tollerentur nostra officia erga Deum; deinde

luxuria, avaritia, otium, aliaque plura quæ hactenus pro vitiis habentur, omni vacarent culpâ. Ejusmodi conscientia pravis affectibus arridere potest, at cuique viro bono et honesto semper horrori erit.

« Quæ de conscientiæ stimulis adjecta sunt æque falsa sunt et perniciosa. Imprimis falsum est, conscientiæ stimulos nihil aliud esse quam dolorem quem passionum nostrarum effectus excitent. Si duas efficio actiones, quæ mihi vel alii cuiquam nocent, unam non libere, alteram libere, plane sentio, me ex iis omnino diverse affici : prior dolorem, non animi morsum excitabit ; eam dolebo, at ejus me non pœnitebit. Contrà posteriorem mihi dabo vitio, ejus me pudebit, ejus reum me habebo, ejus mordebor conscientiâ. Deinde si, prout ponitur, conscientiæ morsus solum veniant a malo, quod nobis inferimus, sive aliorum existimationem amittendo, sive supplicia nobis parando, jam nullus erit animi morsus a sceleribus occultis, longe minus ab iis quæ felicem habent exitum. Hæc doctrina, scelestis maxime commoda, moralem disciplinam evidenter tollit omnem (1). »

CAPUT IV.

DE MENTIS HUMANÆ NATURA.

257. Expositis, quoad necesse fuit, actibus præcipuis, quibus homo distinguitur, et facultatibus quæ ad eos actus efficiendos necessariæ sunt, rerum ordo postulare videtur, ut nunc principii, a quo actus illi emanant et cujus velut organa haberi debent illæ facultates, naturam sive essentiam, quoad fieri possit, declarare conemur.

258. Profecto nullum dubium esse potest, nec ab ullo viro sano unquam motum fuit, quin facultates et actus, quos homo

(1) Card. de la Luzerne, *Dissertation sur la liberté*, c. 5.

exhibet, in homine inesse probent principium, quod illorum actuum causa et facultatum subjectum sit. Omnis enim actus hujus actûs causam esse arguit, et omnis facultas ejusdem facultatis subjectum probat existere, in quo ipsa resideat. Hæc rationis sive sensûs naturæ communis principia plana et aperta sunt.

259. Principium porro, quod hominis cognitionum, affectuum et volitionum causa efficiens simul et subjectum haberi debet, omnes *mentem* appellant, etsi non omnes de mente recte sentiant, aut rem eamdem hoc nomine intelligant; quandoquidem sunt quibus mens humana nullo pacto substantia haberi posse videtur, vel saltem non distincta a corpore.

260. Itaque operæ pretium est diligenter hoc loco exponere, quæ vere sit natura mentis humanæ, sive illius rei quæ nostrarum facultatum et actuum intellectualium subjectum et principium est, quocunque etiam illud vocetur nomine.

I. *Quæstio prævia.*

261. At priusquam mentis naturam explicemus, duas prævias quæstiones solvere juvat : 1° quid intelligatur nomine naturæ sive essentiæ tum rei cujuspiam in universum, tum speciatim mentis humanæ; 2° quousque rerum natura nobis pervia et cognita sit.

262. 1° Quod ad priorem quæstionem attinet, dum quæritur quæ rei cujusdam natura sit, plerumque hæc duo postulantur : *a*) utrum res de quâ agitur substantia sit an substantiæ modus seu qualitas tantum; *b*) quæ ex omnibus iis, quæ in re illâ deprehenduntur, primigenia, primaria sive rei constituentia sint, hoc est, vere essentialia. Quæ ut recte capiantur, hæc habeas :

a) In ente quovis, quod in se ipso subsistit, seu quod non est membrum vel qualitas entis alterius, distinguuntur *substratum*, in quo subsistunt ejus proprietates, et *modi* seu qualitates sive proprietates quæ in eo substrato subsistunt. Age vero substantiæ nomen modo tribuitur substrato illi soli, modo subs-

trato simul cum suis proprietatibus, at non propter has sed propter illud ; nunquam enim tribuitur solis proprietatibus. Itaque, dum quæritur an ens quoddam substantia sit, hujus quæstionis sensus est, an ens illud ita in se ipso subsistat ut non alterius membrum vel qualitas sit, sed ut potius ipsum suas qualitates sustineat, seu harum sedes et substratum haberi debeat.

b) Proprietates rerum in universum triplicis generis recte distingui videntur : *α*) *primariæ*, seu *constituentes*, sine quibus res esse aut concipi nequeunt, seu quæ faciunt ut res ad hanc rerum speciem pertineant, ideoque proprietates rerum *essentiales* nuncupantur ; *β*) *secundariæ* seu *consecutivæ*, quæ primarias necessario et naturaliter consequuntur, ut adeo sine illis res in suo genere perfectæ non sint ; *γ*) *fortuitæ* sive *accidentales*, ut passim vocantur, quæ ita prioribus accedunt, ut sine eis in rebus inesse non possint, minime tamen necessariæ sint rebus in quibus reperiuntur, quandoquidem res sine ipsis vere existere in suo genere possunt. Ita v. g. in homine rationabilitas est proprietas primaria, rationis usus secundaria, eruditio fortuita. Homo enim non rationabilis esse aut cogitari nequaquam potest, sine rationis usu ad naturæ suæ perfectionem non pervenit, seu in naturali suâ conditione non est, at cum eruditione æque ac sine eruditione vere homo esse potest.

263. Ex his jam plane intelligitur, quum de mentis humanæ naturâ inquiritur, quot quæstiones ponantur et qui sit earum quæstionum sensus, videlicet simul quæri : *a*) utrum mens humana sit ens vere in se subsistens, an alterius hujusmodi entis proprietas tantum, et *b*) quænam illius proprietates primariæ sint et essentiales. Harum quæstionum priorem, quum ex alterâ solvi debeat, postea tractabimus ; posteriorem autem discutiemus, statim ac secunda quæstio prævia soluta fuerit.

264. 2° In hac autem quæstione, ut recte dirimatur, nonnulla discernenda veniunt. Nempe

a) Nullam substantiam absolute cognoscimus, hoc est, sine ullâ consideratione earum proprietatum quibus præcipue constituitur, aut sine illius collatione cum aliis rebus, quæ ipsi

plus minus similes vel dissimiles sunt; substantias enim ex se ipsis cognoscere et distinguere alias ab aliis per se solum non possumus, sed eas novimus per suas proprietates; nec eas aliter describere possumus quam velut ignotum in se quoddam proprietatum subjectum permanens, quod tale sit quale proprietates illæ ipsum esse produnt aut perhibent.

b) Etiam nullam rerum proprietatem ex se et per se solam a nobis plane cognosci putamus; sed ex effectibus, quos substantia per eam operatur, et ex ipsius cum aliis comparatione nobis innotescere censemus quamque rerum proprietatem, quæ et quatenus nobis vere cognita sit.

Præterea *c*) ultro fatemur, nos nullius rei proprietates omnes cognoscere, imo ne omnes primarias quidem usque adeo nobis esse perspectas, ut nobis tuto asserere liceat res ex aliis nullis constare posse. Quin etiam non raro fit, ut a nobis tanquam primariæ habeantur proprietates, quæ vere secundariæ tantum sunt.

265. Sed his ultro concessis, et his exceptis, nos naturam rerum bene multarum apprime cognoscere etiam atque etiam affirmamus, hâc scilicet viâ: ratio, principiis causalitatis et substantiæ sibi congenitis innixa, ex effectibus sive actionibus, quas experimur et observamus, naturaliter adscendit ad ens vere et in se subsistens, quod eorum effectuum sive actionum causa sit, quodque iis sit insignitum proprietatibus quæ ad ejusmodi effectus sive actus producendos necessariæ sunt. Itaque ex effectibus et ex effectuum qualitatibus et differentiis ipsa substantiarum existentia, qualitates et differentiæ nobis innotescunt vi principiorum rationi insitorum a suâ ipsius naturâ.

266. Hac igitur viâ modo exponamus, quæ sit natura sive essentia mentis humanæ, seu principii illius quod in nobis cognoscit, appetit, vult.

267. Ubi autem quærimus, quæ essentiales sint ex iis proprietatibus quas mentis exercitium palam facit, jam statim plures occurrunt quæ inter ejus constituentes proprietates haberi nequeunt, quod non semper in homine vel non in omnibus ho-

minibus reperiuntur. Hujusmodi sunt eruditio, prudentia, pietas, mansuetudo, diligentia, etc. quæ non nisi accidentales animi sunt modi. Aliæ quædam, ut cognitio, amor, voluntas, forsitan nunquam omnino interrumpuntur a primo momento quo ut actus in mente existunt. Sed illud in primis nullo prorsus certo argumento probari poterit; præterea, etsi non semper hos actus exerceat, mens tamen ut vere existens concipi potest tanquam principium sufficiens seu causa idonea ad hos actus efficiendos; denique non admodum difficile est assignare proprietates quasdam illis saltem logice anteriores.

268. Nihil autem prius in mente reperimus quam quod una sit seu simplex, semper eadem, singularis, item sui conscia, incitabilis, sponte suâ actuosa, sive ipsa suorum actuum causa; unde aperte sequitur, ipsam vere esse substantiam. Atqui hæ non tantum ut proprietates omnium primæ in mente concipiuntur, sed etiam his cogitatis mens omnino concipitur, qualis concipi debet ut ejus actus explicari queant, seu qualem actus sui ipsam esse perhibent, et contra his non cogitatis, vel unâ earum omissâ, mens non concipitur, qualem actus eam sui exhibent. Igitur plane evidens est, in his consistere mentis essentiam sive naturam, quam quærebamus. Quare ut hæc prorsus cognoscatur, eas nunc oportet paulo uberius explanare.

269. Quo eas facilius explanemus, primum ipsas universas dividimus in proprietates operantes, sive primarias *facultates*, et in quiescentes, sive primaria *attributa;* deinde illas eo ordine tractabimus, ut prius illas exponamus ex quibus quomodocunque constat cæteras earum in mente revera inesse. Hinc prius loquemur de primariis facultatibus, nempe de conscientiâ, excitabilitate et spontaneâ activitate, tum de primariis attributis, eo ordine quo illa supra recensuimus.

II. *De primigeniis mentis facultatibus.*

270. 1) *Conscientia sui*, seu potius, ut hic intelligitur, *rationabilitas* est facultas, quâ animus potest sentire, percipere,

imo et concipere, ubi conditiones necessariæ adsunt, ea quæ in ipso præsentia sunt, sive quæ agit, sive quæ patitur, sive quæ cum ipso quomodocunque idem aliquid sunt. Aliis verbis, est animi facultas, quâ hic sentire potest sui ipsius actus, potentias et affectiones quasvis. Atque adeo est animi facultas seipsum cognoscendi, saltem mediis suis operationibus et affectionibus, et in se ipso cognoscendi quæcunque potest cognoscere.

271. Bifariam porro sentire potest animus seu conscius esse eorum quæ sibi sunt præsentia, nempe *directe*, nempe ita ut ea quidem vere sentiat, at secum non reputet, aut se hæc illave sentire nunc sibi non dicat, et *reflexe*, seu cum in modum ut ea quæ sentit secum recogitet, et intra se expresse agnoscat se hæc illa sentire et experiri. Prior *conscientia directa* vocari solet, et a scholasticis *prima;* altera *conscientia reflexa*, et a scholasticis *secunda*. Prior quodammodo comparari potest cum memoriâ habituali, dummodo fateamur eum habitum non omni actu esse destitutum; posterior cum memoriâ, quam actualem nuncupant.

272. Conscientiâ suî homo prærogativis utitur maximis; et sicut amor omnium affectuum ita conscientia omnium rationis actuum initium et fundamentum dici debet. Speciatim vero hæc facultas radix est omnis humanæ 1° cognitionis, 2° certitudinis, imo 3° et libertatis; quippe quum ejus virtute fiat, ut possimus vere cognoscere, certi esse ac liberi, ut nunc paucis declarabimus.

1° Profecto qui suî conscientiâ non fruitur, multa more animantium percipere posset, nihil autem vere cognoscere, nihil rationaliter discernere. Illâ enim solâ fit: ut nos ipsos distinguere sive tanquam distinctos noscere possimus ab omnibus aliis sive quæ intra nos existunt sive quæ extra; ut sciamus, quid simus, quid faciamus, quid patiamur, quid possimus; ut cognoscamus quæ ex iis quæ intra nos fiunt a nobis, quæ ab aliis efficiantur; atque adeo tandem ut noverimus extra nos existere entia, item quæ et qualia extra nos existant. Quid enim? sine hoc mentis oculo, quo solo nos ipsos lustrare

possumus, homo sibi velut liber clausus foret seu cujus litteræ legi non possint; nam sine illo, si qui actus mentis fierent, aut si qua perciperemus aut experiremur, omnino nesciremus utrum a nobis fierent excitarenturve an ab aliis, utrum sponte an coacte. Nunc autem, quum nostrî conscii sumus, ex iis quæ ipsi agimus, nos existere videmus, et ex modo quo agimus, quales simus; item ex iis quæ in nobis non a nobis fieri experimur, alia entia existere cernimus, et ex modo quo illa in nos agunt, qualia sint, conspicimus. Denique ex ideis, quæ nobis insitæ sunt, veritates generales et supra sensus positas cognoscimus. A conscientiâ igitur omnis nostra cognitio.

2° Similiter a conscientiâ omnis pendet humana certitudo. Id quidem multipliciter probatur. Nobis hæc notasse sufficiat. Primo vera certitudo nihil aliud est quam firma mentis adhæsio veritati satis cognitæ seu cognitio congruis stipata conditionibus; ergo quemadmodum quævis cognitio ita certitudo, quæ est cognitio κατ' ἐξοχὴν, necessario pendet a conscientiâ. Deinde nullius rei certi esse possumus nisi ejus, quæ vel ipsa menti nostræ præsens est, vel per aliud quidpiam menti repræsentata, nempe per sensationem, imaginem, ideam, aut aliud hujusmodi. Atqui, si mens suî conscia non esset, ea quæ sibi præsentia vel repræsentata sunt, pro mente, seu quod ad cognitionem et certitudinem attinet, eodem prorsus modo forent ac si non essent; ergo sine conscientiâ iterum nulla certitudo. Quin etiam, quum conscientiâ solâ teste noverimus, quæ mentis affectiones, ideæ, imagines, etc. a nobis sponte excitentur et quæ a causis externis, rursus sine conscientiâ nulla certa internorum ab externis distinctio sive discretio. Igitur certitudo omnino nulla nobis esse potest sine nostrî conscientiâ, etsi hæc non sit unica cujusvis certitudinis conditio.

3° Liberum arbitrium itidem nititur conscientiâ. Etenim vere liberi non sumus, nisi quatenus actionum nostrarum domini, sive hæc illa eligendi agendive potestatem habemus, hoc est, quatenus penes nos est, ob motivum cognitum hæc illa agere vel omittere, prout libuerit. At, nisi homo suî conscius sit, si

quos mentis actus efficeret, manifesto hos cæce solum et spontanee produceret, sicut arbor gemmas, folia, flores et fructus; sed nedum libere eos eliceret, ne adverteret quidem a se illos elici aut provenire. Conscientiâ autem duce distinguimus motiva, atque valorem quem hæc non tam sensibus quam rationi offerunt; eâdem duce deliberamus et eligimus; eâdem novimus, quomodo illa quæ actioni obstant vincere viâ rectâ vel obliquâ possimus. Ejus virtute igitur nostrî compotes et actuum nostrorum domini sumus.

273. Quæri tandem hoc loco solet, an conscientia, seu actus quo homo suî conscius est, continua et nunquam interrupta perseveret. Quæstio utique agitari non potest de conscientiâ reflexâ; tot enim ac tantæ mentis nostræ vicissitudines sunt, ut hoc modo semper suî conscia haberi nequeat. At de directâ conscientiâ longe aliter est sentiendum.

274. Verum quidem est, nullâ experientiâ eam non interruptam continuationem constare, siquidem ejusmodi experientia fieri sine reflexæ conscientiæ continuatione non intermissâ non possit. Nihilominus multa sunt quæ mentem directâ conscientiâ continuo frui suadent. Ac 1° quidem nullo probabili argumento probari potest hujus conscientiæ actum unquam intermitti. 2° Homo ad reflectendum idoneus, quum, reflexâ conscientia nunc fruens, ad mentis suæ statum proxime præcedentem animo redire et attendere conatur, saltem plerumque plane comperit, in quâ re mente detinebatur, seu cujus rei conscius erat, quin etiam quâ viâ et quibus interpositis cogitatis non reflexis ad præsentem cogitationem reflexam pervenerit. 3° Vix aut ne vix quidem concipi potest, quî fieri possit ut mens sive intelligentia vel uno momento existere possit, nihil agens, nihil intelligens, nihil cogitans, hoc est, nullius rei conscia. Nonne ipsa est vera activitas? et intelligens quidem seu cogitans activitas? Num activitas hujusmodi existere queat sine ullo actu intellectuali, sive quod idem est, nec se ipsam nec ullam suî ipsius affectionem sentiens? Iisdem igitur argumentis, quibus continua mentis ctivitas infra probabitur, conscientiæ arguitur continuatio. Præ-

terea sicut memoriam actualem memoria habitualis non interrupta, seu prioris notitiæ conservatio, præcedat necesse est, ita sine continuatâ conscientiâ directâ conscientia reflexa fieri non posse videtur. Mitto dicere omnis directæ conscientiæ cessationem non dissimilem videri ab extinctione mentis, quæ proinde non suapse sed per externam causam tantum resuscitari et reviviscere posset. 4° Hinc præstantissimi philosophi, inter alios Cartesius, Leibnitius et horum discipuli plurimi, præsertim optimi, aperte docuerunt, fieri non posse ut mentis activitas, quæ sine conscientiâ directâ esse nequit, unquam penitus interrumpatur (1).

275. II) *Incitabilitas*, sive *irritabilitas*, quæ et *receptivitas* vocari potest, ea animi facultas est, quâ excitari potest iis, quæ forinsecus ipsi accidunt, vel aliâ quacunque ratione in ipso apparent, ut ea non tantum percipiat, sed etiam ipsis grate afficiatur vel ingrate. Itaque, quemadmodum conscientia cujusvis cognitionis initium est, ita incitabilitas, quam vocamus, est radix sive principium internum omnis affectûs. Non male *sensibilitas* generalis seu primigenia vocatur, quâ utique percipimus non ea tantum quæ nos per sensus corporeos percellunt, sed et alia quæ mentem nostram quomodocunque etiam afficiunt. Est autem velut mentis oculus semper apertus aut auris semper patula, continuo vigilans et observans, sive præsto sint sive non sint res ad videndum et audiendum, videlicet ut mens indesinenter ejus ope moneatur et frui possit iis quæ cum ipsâ communicantur. Et hæc quidem sufficiunt ad describendam fa-

(1) Cartesius et Cartesii schola conceptis verbis animi essentiam in eâ activitate consistere docent quam nos conscientiam directam vocamus. Leibnitius non tantum animis sed etiam corporibus activitatem nunquam intermissam tribuit. Vid. ad calcem hujus operis APPEND. *Not.* G. Attamen neque Cartesius neque Leibnitius putarunt eam conscientiam idearum et affectionum nostrarum quæ continua est, ejusmodi esse ut actuales cognitiones nostræ continuæ sint; quin imo expressis verbis contrarium docuerunt. Quare ita intelligendi sunt, quasi voluerint, animum semper ideas et affectiones suas *sentire* quidem, non autem *percipere* (118-120). Atque hoc sensu ipsis plane subscribimus.

cultatem, quam longe facilius experientiâ intimâ noscere possumus, quàm vocabulo communiter recepto nominare. Eam porro ad mentis vitam tam necessariam esse, ut hæc sine illâ concipi nequeat, nemo qui animum ad rem attendit non videt.

276. III) *Spontaneitas* seu potius *spontanea activitas* mentis in eo consistit quod mens, secus ac entia mere passiva et inertia, vere actuosa dici debeat, et suapse quidem seu suâ ipsius indole et virtute naturali. Itaque spontanee agere dici debet mens, si agit vi suâ non vi alienâ tantum, ut instrumentum quoddam aut machina, quæ tunc solum agit quando forinsecus impellitur et quousque propellitur, sed si ipsa vere suæ actionis principium, auctor sive causa efficiens est.

277. Mentem autem reipsa frui activitate spontaneâ, ipse testatur sensus intimus. Ut enim optime edixit Cicero : *sentit animus se moveri; quod quum sentit, illud una sentit, se vi suâ non alienâ moveri.* Unde hæc veritas tam est certa, quam certum est sensûs intimi sive conscientiæ testimonium. Ea etiam liquido probatur ex eo, quod spontanea activitas conditio est, sine quâ liberum arbitrium esse nequeat, ut ex actionis liberæ et spontaneæ collatione manifestum fit (230). Quid enim actio libera, nisi actio spontanea quam conscientia at nulla comitatur necessitas? Igitur quæcunque mentem liberam esse probant, ipsam sponte agendi facultate frui comprobant a fortiori.

278. Nec dicas, mentem nostram non sponte suâ agere, quandoquidem : *a*) ut agat, semper forinsecus excitari debeat; *b*) nihil cognoscat, nisi institutione alienâ doceatur ; *c*) nihil velit aut faciat, nisi a Deo moveatur. Nam quæ in his assertis vera distinguuntur, unum tantum probant, spontaneam mentis activitatem non esse absolutam sive omnino perfectam aut æqualem divinæ ; sed ea minime probant mentem non vere suâ sponte agere, aut ipsam suorum actuum non veram esse causam.

279. Adhæc falsum est : *a*) menti ad agendum semper opus esse ut forinsecus excitetur; multa enim agit sine hujusmodi excitatione , et dum ita excitatur v. g. sensatione aliquâ externâ , agit simul et patitur; nam sine mentis actione omnis

excitatio externa animo *indifferens* esset, hoc est animo perinde esset ac si omnino non esset. Etiam falsum est, *b*) mentem omnino nihil cognoscere, percipere aut cogitare, nisi doceatur; doctrina enim ad hoc tantum necessaria est, ut nostræ cognitiones et cogitationes non solum spontaneæ, directæ, vagæ sint, et in rerum sub sensus cadentium superficie inhæreant, sed ut præterea reflexæ, claræ, distinctæ ac certæ evadant, et ut ea quæ intelligibilia in rebus sunt intelligantur. Falsum denique est, *c*) mentem nihil velle aut facere, nisi a Deo eâ ratione moveatur, quâ voluit Malebranchius. Procul dubio opus est, ut Deus homini vires ad agendum necessarias donet et conservet, et hoc pacto ad omnes nostras actiones concurrat; sed hoc minime impedit, quominus homo vi sibi concessâ ipse vere agat, seu sponte suâ agere potius quam non agere, item hoc potius quam illud agere statuat, possit, incipiat, pergat; etsi enim homo causa prima non sit quæ a nemine pendeat, vera tamen causa est, non occasionalis tantum, sed efficiens, ut cuique sua testatur conscientia; unde et humanæ naturæ pro mentis spontaneitate communis vox est.

280. At hic jam quæritur, an mens semper actuosa sit, seu activitatem suam ita exerceat, ut nunquam eâ desistat sive eam intermittat?

Fatendum utique, mentem non semper æqualiter activitatem suam exercere; sed ipsam nunc fortius agere nunc remissius, modo paucioribus modo pluribus esse intentam, item alias cum reflexione alias autem sine reflexione vacare suis operationibus, nemo prudens negare potest.

His positis, plures et graves esse rationes dicimus, quæ mentem nunquam non agere probent.

a) Ac primo quidem illud censent, saltem post Cartesium et Leibnitium, philosophi quique præstantissimi, quorum plerique, non tantum semper agere mentem, sed etiam non posse fieri ut ea unquam non agat, aperte contendunt (1).

(1) Cf. Leibnitii locus supra laudatus (274) et in Append. *Not.* G.

b) Dum vigilamus, mentem semper actuosam esse, satis facile ex his probatur. Vigilantes vel ad nos ipsos animum reflectimus vel non reflectimus : si prius, profecto mens agit; ut per se patet ; sin posterius, mentis activitatem intermissam non fuisse patebit, ubi postea reflectentes animum retorquere velimus ad ea temporis momenta quibus non reflectebamus. Tum enim non difficulter reperiemus, et mentem vere actuosam fuisse, imo et in quibus detinebatur ; nisi forsan tempus illud nimis diu præteritum sit, vel pavore aut aliâ causâ nimis præcipitanter agente, atque adeo animo turbato ad reflectendum incitati fuerimus, quo fit ut præsentem cum præterito animi statu colligare non possimus. Attamen, etiam ubi hoc ultimum accidit, non raro evenit ut aliquanto post, dum animo pacato sumus, ad præterita redeamus, et in quibus mens sine reflexione detenta fuerat, certo deprehendamus.

c) Nec somno mentis activitatem intermitti, hæc probant. Dormiens somnio detinetur vel non detinetur. Si somniat, continuata mentis activitas evidentissima est. Si non somniat, plura adferri possunt quæ cum omnis activitatis cessatione conciliari nequeant. Ejusmodi inter alia hæc sunt : α) Post somnum maxime quietum sæpe fit, ut expergiscentes problemata, quæ ante somnum meditantes et agitantes extricare minime poteramus, illico et sine ullo novo studio solvamus facillime. Nonne hoc argumento est mentem meditari inter somnum perrexisse, tum ut nodum quæstionis inveniret, tum ut evigilans eam statim solveret non aliunde revocatam. β) Dum noctu expergiscimur, plerumque facillime conjicimus, quota circiter hora sit et quamdiu somno indulserimus. Nec dici potest, hoc inde fieri, quod nos magis aut minus lassos vel quietos sentiamus. Nam illa quæ diximus non minus tuto conjicimus post somnum inquietum quam pacatum, sive bene sive male pro temporis effluxi duratione quieverimus. γ) Non admodum difficile est, modo velimus, horâ ante dormitionem statutâ expergisci et somnum deponere. Quod utique facere non possemus, si per somnum cogitatio aut voluntas surgendi penitus interrumperetur.

d) Nec ipsum animi deliquium, quæ potius defectio corporis est, mentis activitatem cessare sive intermitti probat. In hoc statu mentem continuo agere censemus, seu nisum et conatum ad organa movenda semper continuare, quæ continuatio vera actio est, at corpus non moveri, non propter mentis cessationem, sed propter suum ipsius defectum; quemadmodum fieri potest ut elaterium tensum agere pergat nec moles tamen quam impellit moveatur, non propter elaterii defectum aut cessationem, sed propter molis ipsius inertiam aut impedimenta. Et hoc ideo censemus, quod non raro post ejusmodi deliquium fiat, ut propositio ante incepta et partim prolata, statim ubi corporis impedimentum cessavit, tota deinceps absolvatur, perinde ac si mens toto defectionis tempore niti perrexisset ad loquendum, et tum demum eloquatur, ubi corporis organa redintegrata sunt. Vide plura de hac re infra (371).

Huic explicationi non obest, quod verum esse novimus, mentem nullius sui inter ejusmodi defectionem actûs postea recordari. Nam et alii animi status sunt, ubi mens certissime agit, et tamen postea actûs sui non reminiscitur; quales saltem plerique sunt actus ambulantium, loquentium et alia multa agentium dum somniant.

e) Illud hodie plerique maxime urgere solent, quod mentis naturæ prorsus contrarium videatur ab agendo cessare; quod minime concipi possit mens non agens; quod, siquando ab agendo cessaret, velut vitâ suâ destitueretur, unde causâ alienâ restaurari et quasi ad vitam revocari deberet, quoties a cessatione ad agendum rediret. Quod quidem ita fere intelligunt: quemadmodum elaterium, quod omnino agere cessavit, non se ipso sed causâ externâ tantum restitui potest ut iterum agere possit, ita mens, si ab actu prorsus omni cessaret, non vi suâ sed alienâ tantum redintegrari et agendi vim recipere deberet.

f) His addunt, quod omnino verum et magis ad rem esse videtur, neque in animantibus neque in plantis actionem vitalem unquam cessare aut interrumpi omnem, nisi quum earum vita ipsa prorsus desinit.

g) Ex his omnibus simul consideratis plane sequitur, pro mentis actione continuâ stare rationes gravissimas; at contra eam nihil proferri quod alicujus sit ponderis. Quod enim actus suos non omnes recordetur aut reflexe sentiat, argumentum mere negativum est, argumento positivo nunquam prævalens. Pleraque quæ facillime peragit animus sine molimine, sine dolore vel gaudio peculiari, hæc ejusmodi sunt, ut ea nec postea recordemur nec nunc reflexe sentiamus, eo quod ad recordandum et reflexe cognoscendum aliæ conditiones quædam necessariæ sunt quam ad agendum.

Denique et hoc notandum putamus, si cui forte videretur continuam mentis activitatem non omnino certo probatam esse, spontaneam ejusdem activitatem non minus firme stabilitam manere.

281. Si modo quæris, quomodo facultates primigeniæ, quas exposuimus, se habeant ad præcipuos mentis actus quos antea descripsimus (Cap. I-III), illas omnes ad hos singulos necessarias esse reperies, attamen magis speciatim referri conscientiam ad cognitionem, excitabilitatem ad affectum, spontaneitatem ad voluntatem et liberum arbitrium, ut adeo illas singulas horum singulorum velut radices peculiares seu fontes proximi sint.

III. *De primigeniis mentis attributis.*

282. I) *De mentis unitate.* Mentis unitas non significat negationem multitudinis actuum, facultatum vel attributorum, sed unitatem subjecti sive suppositi, in quo illa reperiuntur. Quæ subjecti unitas ita concipi debet, ut mentis actuum, facultatum et attributorum substratum, quod simul ipsorum omnium principium est, non multa sint sed unum, non conflatum ex partibus, sed simplex et omni expers concretione; illa vero ita sunt concipienda, ut attributa nihil aliud sint quam variæ cogitandi formæ quibus subjectum magis vel minus imperfecte concipiamus, facultates varii modi quibus illud possit agere,

actus autem variæ rationes quibus circa varia occupetur ipsum unum, indivisum et indivisibile principium; quod proinde totum est sub quolibet actu, totum sub qualibet facultate, totum sub quolibet attributo. Unde unum idemque est id quod in nobis cognoscit, desiderat, vult; nec ita ut una ipsius pars cognoscat, alia desideret, alia velit; sed hæc omnia simul perficiat unum totum, seu potius unum partibus carens ens omnino simplex.

283. Mentis nostræ unitatem etiam fortasse melius intelliges, si eam comparas cum corpore sive nostro sive quovis alio, a quo per hanc proprietatem non unice quidem, sed præcipuâ ratione quadam evidenter differt.

Age vero *a*) omne corpus constat seu conflatum est ex innumeris moleculis juxta-positis, ut aiunt; quare illud non vere unum sed multiplex est, non simplex sed ex pluribus compositum. Mens contra ens omnino unum, non multiplex, non compositum, sive in quo nullæ moleculæ aliave elementa juxta alia posita sint.

b) Corpus quodvis dividi potest in plures partes, quæ ipsæ corporeæ seu vera corpora sunt, et quorum singula istius corporis partem vel mediam, vel tertiam, vel centesimam, etc. efficiunt. Similiter corporis *effectus* dividi et horum divisionis gradus mathematice supputari possunt. At mens dividi nequit; in ipsâ nullæ sunt partes, quæ separari possint; nihil insulsius dici possit quam pars media, tertia, decima mentis, sive mentis actûs aut facultatis, ut notionis, judicii, voluntatis, conscientiæ, etc.

c) Singularum partium, ex quibus corpus quodvis constat et in quas dividitur, eædem sunt proprietates physicæ, ut gravitas, extensio, divisibilitas, impenetrabilitas, dimensio, figura, etc. Sed in mente neque ulla ex his proprietatibus reperitur, neque aliæ quævis proprietates similares; in eâ non multæ cogitandi facultates sed una, non plures voluntates sed una, et ita porro de reliquis facultatibus, quarum quælibet una tantum est, et omnes simul una mens, nec multiplicata, nec multiplicanda, quæ mirâ activitate suâ plurimis actibus efficiendis simul sufficit sola.

284. Mentem porro unam esse eo sensu quo modo diximus, et recta probari potest, et ex eo quod illa quæ nunc in eâ deprehendimus secus nec concipi nec esse possent.

a) Recta quidem illud inde probatur, quod sensu intimo, omnium testium in hac re optimo, aperte percipimus, unum prorsus idemque esse, quod in nobis patitur et agit, sentit, percipit, cogitat, reminiscitur, afficitur, vult, quantumvis innumeri etiam sint mentis actus qui simul a nobis efficiuntur.

b) Nullus mentis actus concipi aut fieri potest, nisi ejus causa efficiens simplex et omni compositione expers sit; neque conscientia, neque judicium, neque ratiocinatio, neque memoria, neque voluntas, imo ne ipsa quidem comparatio haberi potest ab ente composito. Ut hoc brevissime probetur, in exemplum proferimus comparationem, quod hæc in plerisque aliis actibus inest, et ejus probatio paucis verbis absolvi poterit. Ut ens quoddam comparationem instituere possit, necesse est ut duos simul habeat affectus vel ideas duas. Age vero ponatur ens illud esse compositum ex partibus, sive multis sive tantum duabus; ubi, quæso, jam pones duas illas ideas? utrum ambas in unaquaque parte, an earum unam in hac et alteram in illâ parte collocabis? Elige quod mavis. Medium non datur. Si separatæ sint ideæ, comparari inter se nequeunt; si autem in unaquaque parte conjunctæ sint, duæ sunt comparationes, proinde duo entia quæ comparant, duæ mentes, ac mille quidem, ubi eam ex mille ponis constare partibus. Ergo mens composita poni seu cogitari nequit, quin hoc ipso vel ab eâ tollas facultatem comparandi, vel plures mentes, atque adeo plures personas in eodem homine inesse ponas. Atqui mens comparare potest, nec plures in homine mentes aut personæ sunt; mens igitur una, simplex, minime composita est. Ita optime ratiocinatur Laromiguière (1).

Nec dicas, comparationem posse fieri per duarum idearum præsentiam in unâ tantum simplici corporis parte. Nam α) quid

(1) *Leçons de philosophie.*

corporis pars simplex sive atomus sine extensione sit, clarà descriptione, præsertim a materialistà explicatum velim (1). β) Si pars illa una et simplex ponitur, unitatem entis quod comparat necessariam esse ad comparandum plane conceditur. Et hoc omnino sufficit ad rem nostram, quæ hac ratione adversariorum negatione confirmatur. At, ne quis sibi in animum inducat, posse comparationem fieri in atomo corporeâ, quam quomodocunque simplicem fingas, γ) addimus, ut omnia ex materialistarum voto succedant, necesse esse, ut duæ ideæ jam simul eamdem atomum commoveant; at vero, si ideæ illæ identicæ sint, atomus eas distinguere non potest, quippe in quâ motum eumdem excitent; si vero contradictoriæ sint, non magis distinguuntur, quum duarum motionum ex diametro oppositarum altera alteram prorsus impediat seu tollat. Igitur saltem in his casibus comparationem fieri non posse, evidens est (2).

c) Argumentum pro mentis unitate, quod ex singulis ejus actibus separatim sumptis deducitur, evidentius et effacius fit, ubi plures actus, quos ea simul efficit, attente consideras. Quid enim? uno eodemque temporis momento plures sensationes tum unius tum plurium sensuum ope habere, item plures alias ideas et affectus varios simul percipere possum, siquidem ea omnia inter se comparare, de iis judicare, et ex iis seligere queam. Atqui hoc facere non possem, nisi unum idemque ens simplex illa in me omnia simul perciperet et cognosceret, ut patet ex iis quæ modo b) notavimus. Ergo... Ipse Bayle, postquam vim hujus argumenti perpendisset, affirmare non dubitavit, sine

(1) Si pars illa extensa ponitur, hoc est ex aliis partibus conflata, in priorem recidimus hypothesim.

(2) Hæc tam certa et manifesta sunt, ut viginti abhinc annis, quum vir clarus, qui hodie ex collegis nostris est, hoc argumentum in scripto publico opposuit celebri Broussais, hujus filius Casimirus non aliter respondere potuerit quam asserendo, duas ideas, quæ comparantur, non simul præsentes esse debere in eo ente quod eas comparat, sed aliam post aliam. At responsum tam aperte falsum proferre nonne prorsus idem est ac manus victas dare? Vid. de hac re *Eclaireur de Maestricht* 1828.

hyperbole dici posse, hanc demonstrationem æque certam esse ac geometricam (1).

d) Illud argumentum etiam firmius evadit, si advertis non solum quæ simul percipit animus, sed et qui omnia quæ unà percipit, sentit, patitur et efficit, solus moderetur, regat, et in unum finem sibi præstitutum dirigat maximo cum consensu et ordine. Quod ut rite intelligatur, paulisper pone sensationes, cogitationes, affectus nostros non omnes in eodem inesse subjecto, item volitiones, motus, actus non ab eodem proficisci aut dirigi principio, sed alios ad hoc alios ad illa pertinere supposita; jam quæro, quid aptiorem confusionis et perturbationis imaginem exhibeat quam homo? Nisi omnia, quæ in homine et ab homine fiunt, uni eidemque prope vel eminus subessent principio agenti, nonne major ordinis turbatio et anarchia in nobis foret quam in republicâ, ubi plures essent principes quorum nullus penderet ab alio? Nonne ipsa momentanea luctatio, quæ contra mentem quandoque in nobis oritur, manifesto indicio est eam a principio menti externo venire? Igitur, si ordo est inter omnes mentis perceptiones, affectiones et actus, mens ipsa una et simplex sit necesse est.

e) Hinc etiam philosophi quique præstantissimi, præsertim *quorum aut ingenio aut virtute animus excellit*, ut Cicero loquitur (Tusc. I, 15), *quia naturâ optimâ sunt*, *naturæ vim cernunt maxime*, *τὸ ego* seu mentem nostram unam et omnino simplicem esse expresse profitentur.

Itaque non aliud est subjectum cogitationis, aliud affectùs, aliud voluntatis, sed quæcunque cogitamus, appetimus aut volumus, ens unum efficit omnia integrum, non autem per varias sui partes, quippe quarum penitus expers est.

285. II) *De mentis identitate.* Identitas idem est ac eadem

(1) *Nouvelles de la République des lettres.* — Hoc argumento etiam evidentissime probatur, non ipsa sensuum organa videre, audire, aliasve percipere sensationes; etenim nec organum visûs percipit sonos, nec organum auditûs lumen aut colores, et tamen ens unum et idem et sonos percipit et colores, siquidem idem eos comparât ac judicat.

unitas seu maxima unitas. Mentis porro identitas bifariam intelligi potest, nempe ut ipsa una eademque sit in omnibus quæ simul peragit, de quâ unitate modo disseruimus, et ut una eademque sit in omnibus quæ alia post alia toto vitæ humanæ tempore perficit non immutata quantum ad essentiam, de quâ identitate nunc agendum nobis est.

286. Itaque quum menti identitatem tribuimus, hoc significatum volumus, omnes mentis actus tum præsentes, tum præteritos sive nuper sive olim, tum futuros quamdiu vita manebit, eidem tribuendos esse principio; proindeque hoc non aliud esse in infantiâ, aliud in adolescentiâ, aliud in ætate virili, aliud in senectute; item non aliud esse in somno, aliud in vigiliâ, nec interrumpi morbo aliquo, nec absumi tempore, sive partim sive totum; sed illud semper idem esse, quamdiu est, integrum sine ullâ partium amissione, acquisitione aut immutatione, utpote quibus plane caret, adeo ut omnis ejus immutatio in eo consistat quod aliter atque aliter agat, at nunquam aliud, ne ex parte quidem, agendi principium sit.

287. Hoc autem sensu mentem nostram semper unam esse et eamdem, his probatur argumentis :

a) Hæc naturalis et invicta omnium hominum persuasio est, quæ quidem non strictum sensûs intimi testimonium est, quippe qui de solo præsenti animi statu testatur, fide tamen spontaneâ et in sensu intimo fundatâ plane nititur, et cui argumentum serium nullum opponi poterit. *b*) Sine subjecti identitate memoria esse nequit (174); atqui recordari vere possumus; ergo, etc. *c*) Si mens nostra ita immutaretur ut ipsi vel tota simul vel succedente tempore per partes altera substitueretur, quemadmodum corporum viventium ac speciatim nostri corporis partes aliæ post alias absumuntur et aliis supplentur, tum post aliquod tempus totus homo in alium mutaretur, nec idem esset homo senex qui vir, qui juvenis, qui puer quondam fuerat. Atqui homo toto vitæ tempore idem manet, quod ad essentiam attinet. Ergo et mens manet prorsus eadem. *d*) Quin imo, quum mens simplex sit nullis constans partibus, per partes mutari

aut innovari nequit; atque adeo aliter mutari non potest quam extinctione; ac proinde quoties mutaretur, homo vivere cessaret donec novâ substitutâ mente reviviseeret. *e*) Nisi per omnes ætates mens nobis eadem esset, actus sive boni sive mali, quos alio vitæ tempore fecimus, nobis imputari non possent; hoc autem consequens tum recto hominum sensui tum legibus omnibus contrarium est; hinc patet, quo loco habendum sit antecedens. *f*) Ex simili consideratione etiam evidens est, mentis immutabilitatem tum in hac tum in alterâ vitâ conditionem omnino necessariam esse animi immortalitatis; ut nec animum vere immortalem ponas, si mentem non eamdem manere vel suì conscientiam tantum amittere dicis; utque ea ipsa, quæ animum immortalem esse probant, mentem semper in hac et in alterâ vitâ prorsus eamdem manere, simul ostendant.

288. Frustra mentis unitati et identitati opponitur: 1° multitudo ipsius actuum qui simul efficiuntur; 2° multitudo ejusdem attributorum et facultatum; 3° olim in eâ distingui consuevisse partes superiorem et inferiorem; 4° a multis in eâ discerni partes vegetativam, sensitivam et rationalem; 5° somno, amentiâ, animi deliquio mentis unitatem interrumpi.

289. Etenim 1° multiplices mentis actus difficultatem nobis facescere possent, si sine conscientiâ fierent; tum enim an ab uno an a pluribus principiis veniant, forsan nesciremus. Nunc autem, quum horum actuum conscii simus, ipsius conscientiæ lumine, quo nullum est splendidius, aperte videmus, eos omnes ab uno et eodem simul percipi et dirigi principio.

2° Idem dici debet de mentis facultatibus sive primariis sive aliis, quæ nihil aliud sunt quam multiplices modi, quibus mens agere potest, et quas omnes ejusdem entis varias potentias esse sensu intimo percipimus. Longe minus attributorum multitudo aut variatio mentis unitati nocere potest. Quid enim attributa, nisi varii modi quibus ens unum et idem percipi potest vel concipi? Et si eveniat ut modi illi mutentur, v. g. ut mens ex ignavâ gnava fiat, docta ex indoctâ, etc. num tunc attributorum subjectum ipsum aliud est quam ante fuit?

Num attributorum multitudo aut immutatio in aliâ quidem re ullâ subjecti immutabilitati obstat ?

3° Mentis facultates inferiores, quibus ipsa ad corpus suum aliaque infra se posita refertur, et superiores, quibus refertur ad nobiliora, distinguunt omnes, sive his iisdem utantur vocabulis, sive aliis; quod sane ad rem non pertinet. At, si qui facultates inferiores omnes simul sumptas partem mentis inferiorem vocent, et facultates superiores superiorem partem, ii quidem utuntur voce minus aptâ, sed e quâ vir sapiens ne contra ipsos quidem aliquid grave inferri posse putet.

4° Eodem fere modo loquendum est de eo quod quarto loco objectum fuit. Re enim verâ, sive ad mentem pertineant sive non pertineant vis vegetativa et sensitiva, quæ quæstio ad rem præsentem nihil facit, quid illi voluerunt, qui menti partem vegetativam et partem sensitivam tribuerunt, nisi hoc unum, eas, non minus quam rationem, esse animi facultates? Quod assertum si a vero abest, saltem mentis unitatem non inficiatur.

5° Somnus, amentia, deliquium tantum abest ut mentis identitatem tollant, ut ne activitatem quidem ejus impediant. Si in his statibus mens aliter agit quam ubi sana vigilat, in iis tamen agere non desinit (280). Et nemo prudens, postquam ejusmodi casibus obnoxius fuit, sibi eamdem mentem esse negabit, quam quum dormiret, insaniret, defecisset. Eadem ergo mens erat, sed propter rationes verosimiliter sibi externas non tam suî compos quam in homine sano qui vigilat.

290. III) *De mentis spiritualitate*. Hac voce significatum volumus, mentem esse vim simplicem, expertem omni concretione, et suâ ipsius naturâ actus suos producentem. Itaque hoc attributo tam aperte differt ab omni corpore et materiâ, ut tanquam synonymâ voce etiam appelletur *incorporalis* et *immaterialis*.

291. Quum hæc res sit hujusmodi ut ei diutius inhærendum sit, capite sequenti tantum datâ operâ probabimus spiritualem esse mentem; hoc loco solum notamus, illud ejus attributum manifesto contineri in iis quæ hactenus exposuimus.

Facultates enim et attributa, quæ hoc capite descripsimus, a materiæ naturâ prorsus aliena sunt. Quod nunc animadvertisse sufficit, ut hic, ubi mentis proprietates primarias recensemus, spiritualitatem ipsis tuto accensere possimus, quanquam plura hujus attributi argumenta postea tantum simus allaturi. Maxime autem hoc loco probare convenit mentem vere esse substantiam.

IV. *De mentis substantiâ.*

292. Quid *substantiæ* nomine universe intelligatur, supra declaravimus (262); quare, dum mentem nostram substantiam esse dicimus, eam non alterius entis proprietatem aut consequentiam esse affirmamus, sed esse ens in se ipso existens, ipsum suorum attributorum et facultatum substratum actuumque principium.

293. Hujusmodi porro mentem reipsa esse, probatur ex iis sensûs communis seu rationis principiis, quæ *causalitatis et substantiæ principia* vocari consueverunt. *Causalitatis principium* hoc est : ubicunque aliquis actus aut motus deprehenditur, recta ratio ejus actûs aut motûs causam agnoscat necesse est, et talem quidem causam, qualem istius actûs aut motûs proprietates indicant. *Substantiæ principium* vult, ut ubicunque phænomena quædam, sive actus sive proprietates, percipimus, eorum phænomenorum substratum agnoscamus, sive subjectum, in quo proprietates illæ subsistunt, et a quo actus illi efficiuntur ; atque adeo ut hoc substratum tale esse fateamur, quale phænomena ipsum esse probant.

294. Quod si hæc principia jam ad mentem nostram accommodas, non solum reperies plurimas proprietates, facultates, actus, seu phænomena, quæ substantiam sive subjectum, in quo insunt, apertissime arguunt, sed unà senties, quod de cæteris substantiis non poteris, te ipsum, τὸ *ego* tuum, ut vocant, seu ipsam mentem tuam esse substratum in quo phænomena illa subsistunt. Sive, ut magis distincte loquar, ipsâ conscientiæ voce addisces : *a*) in mente multas esse pro-

prietates, multas facultates, multos actus; *b*) ipsam esse horum actuum auctorem seu causam efficientem, non autem instrumentum ex alterius impulsu agens; *c*) ipsam se unum et idem sentire omnium horum phænomenorum subjectum; *d*) etiam addisces, ipsam minime consciam esse eorum quæ fiunt in nostro corpore, quod præterea nec unum nec semper idem esse novit; *e*) tantum abesse ut alterius rei accidens seu proprietas sit, ut contra ab omnibus aliis rebus se plane distinctam sciat, speciatim a corpore nostro, quum modo grate vel ingrate ab eo afficiatur, modo cum eo ejusque inclinationibus pugnet, modo eo tanquam instrumento ad nutum suum utatur. Ex quibus luculenter sequitur, et phænomenorum, de quibus per tria capita jam disseruimus, substratum seu substantiam propriam in nobis esse, et hanc substantiam aliam esse a corpore nostro; quippe a quo se aliam esse sentit et cui proprietates omnino oppositas esse novit.

Mens igitur seu animus noster certo certius vera et separata substantia est.

295. Animum humanum vere substantiam esse, aperte negant materialistæ, et saltem oblique pantheistæ omnes.

Materialistarum argumenta, quæ eo collineant ut nulla alia in homine agnoscatur substantia quam corpus, expendemus et plane confutabimus cap. seq. Pantheistarum difficultates duplicis generis sunt, nempe quæ ad pantheismum in universum asserendum proferuntur, et quæ ad substantiarum multitudinem rectà impugnandam adducuntur.

Quæ porro pro pantheismo universe spectato allegari solent, quum alibi uberrime exposuerim et refutaverim (*Theod.* part. III), hoc loco non iterum memoranda esse duxi. Qui Theodiceæ locum indicatum legere voluerit, vix ullum errorem pantheismo pluribus premi malis et pluribus rationibus refelli conspiciet. Quæ autem a pantheistis dicuntur ut unam tantum substantiam posse existere probent, eo recidunt ut unam tantum substantiam absolutam et infinitam esse posse arguant. Nam omnes ipsorum substantiæ definitiones eæ sunt, ut plane vi-

deas, ipsos confundere substantiam absolutam cum substantiâ in universum, et non hanc sed illam definire. Age vero ultro concedimus, etsi omnia pantheistarum argumenta id non ostendant, ut nos ipsi probamus, unam tantum esse posse substantiam absolutam et infinitam; sed inde minime sequitur, non plures existere posse substantias finitas et contingentes; quin contra ex eo, quod existat substantia vere infinita, evidentissime sequitur, posse fieri ut existant substantiæ finitæ; quum illa reipsa infinita non esset, nisi substantias finitas libere posset producere (*Ontol.* 90 *Theod.* 347). Pantheistarum cavillationes igitur minime infirmant veritatem supra probatam, animum humanum veram esse substantiam.

V. *Corollarium.*

296. Si modo in unum colligimus, quæ de essentiâ mentis seu principii actuum nostrorum intellectualium hoc toto capite disputavimus, eam apte significari his videbimus verbis: *mens* sive *animus est substantia una*, *secum semper eadem*, *spiritualis*, *incitabilis*, *sponte agens et suî conscia* seu *rationabilis*, atque adeo iis fruens dotibus quæ in his revera continentur. Hæc igitur accurata mentis descriptio est.

Quod si eam in pauciora verba contrahere libeat, mentem merito vocaveris *substantiam individuam* et *personalem*. Saltem hæ proprietates ex supra recensitis proxime sequuntur, ut ex ipsarum descriptione manifestum fiet. Quid enim?

297. 1° Animum individuam seu singularem substantiam vocamus hoc sensu, quod cuilibet homini suus sit animus omnino alius ab animis hominum aliorum, non autem aliquis sit animus humanus universalis, cujus singulorum hominum mentes solum transeuntes formæ seu modi existerent.

298. Singularem porro hoc sensu reipsa esse cujusque hominis animum, eodem fere modo probatur, quo supra probavimus eum esse vere substantiam. Ut hujus veritatis probationes brevissime indicemus, notamus: *a*) hanc esse naturalem hominum per-

suasionem; *b*) ex bene adhibito causalitatis principio confici non unum sed plures esse hominum animos; *c*) quemque nostrum probe conscium esse suorum mentis actuum, at minime aliorum; *d*) hypothesim oppositam, quæ pantheismi consequentia est, cum pantheismo ruere; *e*) eamdem hypothesim, quatenus veræ animorum immortalitati contraria est, tolli argumentis quæ hanc immortalitatem certam faciunt.

299. Omnibus hominibus unum tantum animum esse, cujus singulorum hominum animi solummodo modi fugaces sint, medio ævo docuerunt monopsychistæ, Averrhoëm secuti, qui suis in Aristotelem commentariis arabicis pantheismum orientalem admiscuit (1). Hic error adeo propagatus, est, ut anno 1270, Stephanus episcopus parisiensis, et anno 1513 generale concilium Lateranense eum damnandum judicaverint (2). Hodie eum leviter mutatum docet H. Ahrens, philosophiæ professor Bruxellis, cujus pantheismi unum ex præcipuis elementum est (3). Facile concipitur, qui pantheistæ, ut sibi constent, hoc vesa-

(1) Vid. Leibnitz, *Essais de Théodicée,* n. 7—9.

(2) Vid. quæ de hac re habentur in nostro opusculo : ***Du problème ontologique des universaux***, p. 28, et *Revue catholique*, t. 3, p. 233, Liége 1845. — Tennemann, *Geschichte der philosophie*, t. VIII, p. 945, memorat anno 1465 a facultate Artium et Theologiæ Parisiis damnatum fuisse Joannem Fabri nominalistam quemdam, qui hanc propugnabat propositionem : « Unus homo est infiniti homines, infinitorumque hominum est eadem » anima; nullus homo unquam corrumpetur, quamvis aliquando corrum» petur homo; quælibet pars hominis est homo. »

(3) *Cours de psychologie*, t. 2, leçon 10, omnium eorum quæ sunt unam tantum essentiam esse docet, atque adeo hoc sensu omnia ens unum esse et idem. Huic enti duo attributa concedit, totalitatem sive naturam, mundum corporeum, et spontaneitatem sive spiritum universalem. Hunc spiritum habet pro synthesi omnium spirituum particularium, seu ipsum constare censet ex omnibus spiritibus singularibus in unum conjunctis; quemadmodum, ait, in singulis hominibus omnes cogitationes, affectus et volitiones simul unum tantùm spiritum conficiunt, ita omnes spiritus simul unum solummodo constituunt spiritum universalem. Quod argumentum profecto simile est huic : multa phænomena quæ in uno ente subsistere sensu intimo percipiuntur, hoc ens substantiam unam esse evincunt; ergo plures substantiæ una tantum res sunt.

num paradoxum amplecti debeant, at in ejus probationem argumentum seriâ consideratione dignum non inveniunt.

300. 2° Animum similiter esse substantiam personalem, nemo negaverit qui animo advertit, personam vocari quodlibet individuum rationis particeps seu suì conscientiâ fruens cum iis prærogativis quæ hujus naturales consequentiæ sunt. Animum quidem stricte nec humanum individuum nec personam vocamus, quum hæc nomina non soli animo, sed homini, qui animo constat et corpore, tribui debeant; sed animus proprie facit ut homo persona sit, et ideo eum potius quam corpus personalem nuncupamus. Cf. de hac re *Ontol.* 117—126.

Postquam mentis naturam, quoad ejus fieri a nobis potuit, diligenter et pro instituto nostro breviter definivimus, jam operæ pretium erit speciatim ejus spiritualitatem contra materialistas paulo uberius demonstrare.

CAPUT V.

DE ANIMI SPIRITUALITATE.

301. Materialistæ non negant quidem homini inesse mentem, et hanc aliquid esse immateriale; sed mentem nihil aliud esse contendunt quam collectionem omnium actuum mentalium uno vocabulo nuncupatam, quos actus effici volunt a corpore, præsertim a cerebro; asserunt enim in homine solam agnosci debere substantiam corpoream, substantiam autem spiritualem inficiantur. Unde materialismum non refutaret, qui solum ostenderet in homine præter corpus etiam aliquid immateriale, incorporeum seu spirituale inveniri, nisi præterea substantiam immaterialem, incorporalem sive spiritualem in homine reipsa inesse probaret. Itaque hoc loco probandum est præter corpoream substantiam in homine distingui debere substantiam non corpoream, actuum nostrorum mentalium auctorem. Hoc autem duabus viis effici potest: obliquâ seu indirectâ, nempe materialismum confutando, et rectâ, ostendendo plura in homine

fieri quæ non nisi substantiæ non corporeæ tanquam causæ tribui possint. Alterutra ex his viis sufficit ad rem plane conficiendam; sed utramque sequemur, quo clarius pateat, quam falsa et perversa doctrina sit materialismus, quacunque ex parte consideretur. Unde hoc caput in tres § dividemus, in quorum 1° animi spiritualitas indirecte probabitur, in 2° recta, in 3° satisfiet difficultatibus.

§ I.

Animi spiritualitas indirecte probatur.

302. Eadem ratione quâ alibi (*Theod.* 45) atheismum ex quinque capitibus confutavimus, et materialismum confutare possemus, nempe ex materialismi historiâ, causis, methodo, principiis et consequentiis, sed brevitatis causâ de tribus ultimis tantum disseremus.

303. I) *De materialismi methodo* pauca dicemus, quod præcipua ejus vitia et impotentiam alias indicavimus (*Logic.* 583—587 et *Theod.* 57). Ea tota revocari potest ad hoc nimium celebris Broussais paradoxum : *Animus sub nullum e sensibus nostris cadit, ergo non existit*, seu nihil certum est quam quod sensibus externis percipi possit. Mira utique philosophandi methodus. In quam satis erit hæc notasse : *a*) præter sensus etiam alias in homine facultates et cognoscendi vias esse, et a præstantissimis philosophis, hominum persuasione communi et sensu intimo nixis, agnosci. *b*) Materialistarum philosophandi rationem æquivalere ejus qui diceret, sonos non esse quod eos non videamus, colores quod eos non audiamus, sapores quod eos non olfaciamus, etc. *c*) Si animus nullo observari possit ex sensibus, quibus materialistæ fidunt, is non minus distincte percipitur sensu intimo, quem Broussais propterea omni modo deridendum propinat, et tanquam pessimum erroris magistrum quavis datâ occasione exsibilat. Utrum se an illam hac agendi ratione ridiculum præstet, norunt sapientes. *d*) Profecto,

si animus iis sensibus percipi posset quos materialistæ volunt, non esset, qualem omnes vere philosophi eum esse sciunt, corporis et cujusvis concretionis expers; itaque non nos sed aerem verberant materialistæ, ubi animum nullo sensu prehendi posse clamant. *e*) Qui recte inquirit, quid sensuum testimonium possit, ipsos nullam substantiam attingere posse reperiet, sive corpoream sive non corpoream; ipsi nos docent corporum proprietates externas, ad substantiam ipsam penetrare nequeunt; corpora vere substantias esse, æque ac mentes, aliâ viâ novimus quam sensuum testificatione (*Logic.* 467). *f*) Quum materialismus aliam methodum philosophandi nec habeat nec habere possit quam sensualismum, evidenter sequitur, omne ejus fundamentum penitus everti, ubi vel una res nobis certa est aliter quam per sensus. Hujusmodi autem sunt omnes veritates generales, necessariæ, quæque rationis et cujusvis demonstrationis prima principia vocantur.

304. Discerpit igitur materialismus facultates humanas, quæ rationem nostram constituunt, et arbitrario aliis earum rejectis unam conservat, cujus actio angustissimis limitibus circumscripta est, quæque, ut a materialistis separatur, nullam probandi vim retinet. Omnium enim facultatum nostrarum vis probandi eodem nititur fundamento, nempe ratione naturali; quod materialistæ vel inviti tollunt, quum illud solum tutum habeant, quatenus sensuum testificationem certam esse declarat, sed falsum, quatenus cæteras facultates indubios veri testes asseverat. Quo fundamento ita sublato, quidquid superstruatur nullam habet firmitatem. Unde etiam ea, quæ materialistæ forsan vera affirment, ipsi suâ methodo certa esse probare nequeunt (*Logic.* 586).

305. II) *Materialismi principia* ad duo asserta recidunt: A) Animi tanquam substantiæ incorporalis neque ideam neque naturam neque existentiam neque agendi rationem certo capere possumus; ergo ejusmodi substantia agnosci nequit. B) Omnes mentis actus pendent a corpore, corporis legibus et vicissitudinibus obnoxii sunt, pro corporis bonâ aut malâ valetudine

bene vel male exercentur ; ergo corpus non animus ipsorum causa efficiens est.

306. Hæc porro materialismi propugnacula, si diligenter distinxeris quid veri et quid falsi contineant, nedum materialismo prodesse, contra dupliciter obesse videbis, et quod materialismum nullo firmo niti principio ostendunt, et quod plura contegunt quæ, ubi recte exponuntur, præter corpus in homine aliud actionis principium inesse manifesto arguunt. Ideo illa argumenta hic paulo latius expendenda videntur.

307. A) In priori quidem quatuor præsertim distinguimus puncta, nempe quæ ad animi *ideam*, *naturam*, *existentiam* et *modum agendi* attinent; de singulis singulatim pauca dicemus.

308. 1° Nostram animi *ideam* contemplantes, *a*) ultro concedimus, nos animum non comprehendere, seu nos ejus naturam cogitatione omnino *æquare* non posse, quum hoc in re prorsus nullâ possimus. *b*) Etiam ejusmodi ideam animi habere non possumus, qualem vellent materialistæ, nempe imaginem seu repræsentationem phantasticam ; ea enim de solis rebus corporeis haberi potest. Unde, si per eam animus perciperetur, animus non esset qualis nunc esse noscitur. *c*) Sed animum vere concipimus, ejus verum, clarum, distinctum et completum (ut hæc vox in *Logicâ* accipitur), conceptum seu notionem habemus. Hoc autem ita reipsa esse ex eo probatur, quod animi aptam definitionem conficere possumus, cujus verba et sensum facile intelligit quisquis ea attente consideraverit. Hujusmodi definitio supra allata fuit (296). Ac tuto asserere licet, corpus aut materiam a nemine unquam tam clare fuisse definitum, quia ejus notio nobis minus perfecta est.

309. 2° Ex iis quæ modo diximus ultro colligitur, animi tanquam substantiæ immaterialis conceptum nobis omnino perspicuum esse, seu substantiæ non corporeæ *naturam* sive *essentiam* nobis vere cognitam, et longe melius quidem quam substantiæ corporeæ.

Quid enim ? Ut substantiam quamdam secundum suam essentiam intelligamus, debemus concipere ens quoddam in se

subsistens, iis proprietatibus insignitum quæ in ipso non immutantur et illud semper funditus idem esse ostendunt, etiamsi aliæ in eo proprietates forsan immutentur. Jam vero quid facilius concipitur quam vis, seu ut loquitur Leibnitius, *potentia activa*, iis proprietatibus ipsi immutabiliter inhærentibus insignita, quas capite proxime præcedente exposuimus?

310. At vero non item se res habet cum substantiâ corporeâ. Si enim quæras, sive *a*) quid in se sit id quod existit sub corporis proprietatibus quæ sensus nostros afficiunt, sive *b*) quænam sint ejus proprietates immutabiles quas essentiales vocare oporteat, difficillime reperies quod intellectu capi, nostro sciendi desiderio satisfacere, aut omnium doctorum assensione comprobari possit.

311. Ac primo quidem *a*) quis ignorat quam ex adverso oppositæ sint philosophorum sententiæ de quæstione, quid sit illud quod in corpore sive materiâ proprietates sustinet? utrum illud dynamis, vis seu potentia activa sit, quod multis præclaris philosophis certum videtur, an contrà aliquid extensi seu ipsa extensio, ut cum Cartesio volunt plures naturalistæ et materialistæ omnes? Quidquid horum seligas, illud non tam nitide concipies, quam id quod mentis nostræ sustinet proprietates. Hoc enim *α*) vim in se ipsâ subsistentem esse plane concipio, quia sensu intimo sive meî conscientiâ me actuosum sentio; sed materiæ substratum esse vim ei quodammodo similem, etsi concipere possim, non tam recta tamen et tam certo probare queo. Præterea qui illud agnoscit, hoc ipso materialismo valedicit, et in viam oppositam etiam longius et apertius incedit quam plures naturalistæ, in quos nulla materialismi suspicio cadere potest, et qui illud tamen negant. Quod si *β*) materiæ substratum extensionem esse velis, in longe majores incidis difficultates, tum quod extensio, si recte perpenditur, non proprietatum substratum, sed proprietas tantum dici debeat, tum quod ne stricte essentialis quidem proprietas materiæ haberi possit, ut mox probabimus. Sin vero, non extensionem, sed extensum seu aliquid extensi ut materiæ subjectum ponis,

bifariam obstas ne materiæ substantiam nitide concipiamus, et quia non dicis quid sit illud quod extensum est sive extensionem habet, et quia extensionem tanquam stricte essentialem materiæ proprietatem perhibes.

512. *b*) Age modo inquiramus, an substantiam corpoream melius per proprietates suas primarias capere nobis datum sit. Eum in finem primo notandum est, nihil enti essentiale dici posse, nisi quod ipsi immutabiliter insit, et sine quo illud esse aut concipi nequeat. Jam vero quænam sunt illæ proprietates quæ a plerisque naturæ corporeæ studiosis primaria et essentialia materiæ attributa habentur? Ex iis qui dynamismum rejiciunt alii asserunt extensionem, alii resistentiam, alii impenetrabilitatem, alii eas omnes simul; atque adeo materia ex horum auctorum mente vocari deberet illud quod extensum est sive compositum ex partibus (profecto materialibus), vel quod resistit, ut aiunt, nostris organis (hoc est, materiæ), vel quod penetrari non potest (scilicet aliâ materiâ). At, quanquam verum sit, eas, quas nominavimus, materiæ proprietates esse, iis tamen materiæ essentia minime dilucidatur. *α*) Nam primo in omnibus materiæ definitionibus, quæ per has proprietates fiunt, diligenti analysi institutâ, vox definienda ipsa deprehenditur, et proprie nihil aliud dicitur quam materiam esse materiam, seu materiam esse quod se hac illâve ratione habet ad materiam. *β*) Nullo firmo argumento probari potest, has proprietates tam necessario materiæ inesse ut sine iis nec esse nec concipi possit. Dynamistæ quidem, quibus ego omnino assentior, se materiam concipere aiunt sine iis proprietatibus, quas propterea non essentiales, sed naturales tantum et consecutivas materiæ proprietates nuncupant (*Ontol.* 124). Et revera si corporea moles nunquam sine iis proprietatibus a nobis percipiatur, aut si velis, nec in suo statu naturali esse possit, nihil tamen probat, ipsi materiæ, ex quâ moles illa coaluit, easdem necessario esse proprietates. *c*) Iis proprietatibus, præsertim extensione (quam plerique alii priorem esse censent) materiæ essentiam non intelligi, aperte monstrat id quod de materiæ divisibilitate

et primis corporum elementis disputant. Nam quod molis instar est extensum, id hoc ipso divisibile est. At jam duæ quæstiones hic occurrunt, quarum neutra ita soluta est ut omnis obscuritas et dubitatio sublatæ dici queant : α) Utrum materia adeo divisibilis sit ut, quantumvis dissoluta jam sit, continuò magis ac magis sine fine dividi possit, an contra dividendo eo tandem veniatur ut elementa residua non ulterius possint dispesci? β) Quid et quales sint ultimæ particulæ, ad quas perveniatur : extensæ-ne sint an inextensæ? Solidæ-ne et impenetrabiles an fluxæ? Continuæ-ne an ad distantiam retentæ viribus sibi propriis et essentialibus (1)? Quod horum cunque teneas, nihil dixeris quo corporea substantia plane intelligatur, aut quo substantia spiritualis non longe melius concipiatur. Nam, ut hoc unum memorem, si materiam quamlibet coalescere dicis ex partibus quæ semper extensæ manent et ulterius divisibiles, quomodo hanc divisibilitatem mente concipere possis? et quî materiam aliter definies quam materiæ molem? Sin contra dividendo tandem perveniri ais ad elementa non extensa, non amplius divisibilia adeoque simplicia, tum et ipsi materiæ primam spiritûs qualitatem tribuis, ob quam materialistæ spiritûs existentiam impugnant, et non sine difficultate expones quî ex elementis simplicibus et non extensis oriri possint corpora extensa... Manet ergo spiritualem substantiam melius, facilius, perfectius capi a nobis quam substantiam materialem.

313. 3° Corporeas æque ac spirituales substantias vere *existere* nemo sanus dubitat; si tamen ejus rei quamtumvis certæ

(1) De ea quæstione legantur LEIBNITIUS, *De primæ philosophiæ emendatione et notione substantiæ*, Opp. edit. Dutens t. 2, p. 18, et *Systema theologicum*, edit. Lovan. 1845. p. 136; ROSCOVICH, *Theoria philosophiæ naturalis*, etc. edit. Venet. 1763; D. STEWART, *Essais philos. sur les systèmes de Locke, Berkley, Priestley*, etc. IIe Essai, c. 1, § 2; M. DE SAINT-VENANT, *sur la question de savoir s'il existe des masses continues, et sur la nature probable des dernières particules des corps*, Mémoire lu à la Société philomatique de Paris, séance du janvier 1844, *Revue cath.* t. 3, p. 636, Liége 1846; H. B. WATERKEYN, *La science et la foi*, *etc.* p. 7 et, *Revue cath.* t. 1, p. 279, item quæ nos de hac re habemus *Ontol.* 124.

probationem ad severæ scientiæ regulas exactam postulas, hanc minus strictam corporum quam animorum existentiæ fieri posse deprehendes. Cujus discriminis hæc ratio est, quod quisque nostrûm mentem suam et mentis affectiones nullâ re aliâ interpositâ cernat seu potius sentiat, corpus autem non nisi mediis mentis affectionibus. Quâ enim viâ philosophus spiritualem substantiam existere probat, quâ item corpoream? Hâc utique priorem : Mens percipit seu sentit suas affectiones, hoc est cogitationes, affectus, volitiones, etc. quas quum sentit ut suas et a se natas, sentit se ipsam tanquam illarum subjectum sive substratum ; seu immediate et necessario concludit, se esse rem subsistentem, in quâ illæ affectiones sunt velut proprietates seu facultates, actus et modi. Itaque spiritualem substantiam existere certo probare possumus, nullâ re adhibitâ præter ipsam rem probandam. Sed, ut corporeas substantias existere philosophice demonstretur, duæ res probari debent, quarum utraque viam postulat multo longiorem : nempe probari debet, existere extra mentem nostram phænomena corporea, et his esse subjectum permanens, quod subsistat in semet ipso. Horum prius ex eo probamus, quod mens nostra in se sentiat quasdam affectiones, scilicet sensationes sive imagines, quarum ipsa se non solam causam esse sentit, et quibus propterea tribuit originem alienam, seu concludit sensationes, quas in se percipit, oriri a phænomenis menti externis, quæ corpora vocantur. Posterius tandem hac ratione probamus : quum mens nostra per suas internas affectiones se esse percipiat earum subjectum permanens, et vi naturæ suæ sub phænomenis quibusvis sibi agnoscendum esse sentiat susjectum, in quo illa subsistant, hinc naturaliter infert, ea quibus afficitur phænomena inhærere subjectis quibus sustinentur, seu existere vere substantias corporeas. Ex quibus liquido patet, quod ostendendum assumpsimus, viâ multo breviori, longe faciliori, magis rectâ et cavillantium difficultatibus minus expositâ probari spirituales quam corporeas existere substantias.

Hæc mire confirmantur tum ex ambagibus et difficultate quam

in probandâ corporum existentiâ experti sunt, qui ea existere cum Cartesio stricte demonstrare voluerunt, tum ex confessionibus philosophorum materialistis non invisorum, quarum nonnullas retulimus in *Logic.* 585—591.

314. 4° Deinde spiritualem substantiam rejiciendam esse aiunt, quod non concipiamus *modum*, *quo* sive agat in corpus, sive aliam quamcunque actionem producat.

De commercio animi et corporis postea disseremus, ubi ea quæ huc pertinent latius exponentur quam ad confundendos materialistas necesse sit. Hoc autem loco hæc consideranda breviter proponimus : *a*) Quænam est illa philosophandi ratio, quâ id, quod aliunde congruis et firmis argumentis certum esse probatur, negetur aut in dubium revocetur, quia non concipiamus, quomodo illud aut sit, aut agat, aut ad alia se habeat (*Logic.* 300)? *b*) Adhæc a materialistis quærimus, ut nobis clare explicent, quomodo agat, se aut alia moveat, aut effectum quemcunque producat materia, nullâ re aliâ sibi adjunctâ quâ impellatur? Materiam utique plurium effectuum instrumentum esse cernimus, at vere causam esse non videmus; materiam ubique ex se inertem esse notamus, sed accedente vi alienâ illam varie moveri conspicimus. Quin imo, quum nulla causa efficiens per se cadere sub sensus corporeos possit, nonne longe strictius quam materialistæ solent ratiocinaretur, qui inde colligeret, omnem vere causam, efficientem scilicet, rem immaterialem esse, et materiam non nisi instrumentum esse posse? *c*) Materialistarum principes ultro fatentur, actus mentis, etiam quum circa res corporeas versantur, esse phænomena sive effecta immaterialia. Ipsi autem minime explicant aut explicare possunt, quomodo res corporea producat effectum non corporeum (1). Hinc summo jure vel ex ipsâ materialistarum diffi-

(1) » La perception du blanc et du noir, inquit Broussais (*De l'irritation et de la folie*, Suppl.), comme celle du rond et du carré, ne sont des choses ni visibles, ni tangibles, ni concrètes ; il n'y a que les corps à l'occasion desquels nous avons eu ces perceptions, et les organes sensitifs qui nous les ont fournies, qui jouissent de ces qualités. » Et alibi

ficultate hæc duo inferuntur, et eam difficultatem virum philosophum morari non debere, et effectum immaterialem longe potius causæ immateriali quam materiali tribui, atque adeo hoc jam indicio probari existere causam non materialem, etiamsi hujus rei alia argumenta non haberentur.

315. Itaque, his rite pensatis, sequitur, priorem illam quadripartitam assertionem, quæ a materialistis pro principio ponitur (307), materialismi causæ multo magis nocere quam prodesse.

316. B) Posterior autem materialistarum assertio tripliciter deficit. Nam, 1° etiamsi mentis actus a corporis statu tantum pendere concedas quantum primâ specie videtur, non ideo tamen a corpore tanquam a causâ suâ pendere dicendi sunt; 2° falsum est, mentem iisdem cum corpore legibus esse subjectam; 3° minime verum est, mentis actus adeo pendere a corpore. Sed expedit hæc paulo latius exponere.

317. 1° Mentem in suis actibus corpori plus minus obnoxiam esse, nullus negat psychologus; quin contra confitentur omnes, tum corpus ipsum, ejusque statum internum, ætatem, constitutionem, valetudinem, tum ea quæ corpus forinsecus afficiunt, ut clima, alimenta, dolores, etc. in mentis exercitia multum valere, ut obsint aut prosint. Sed inde minime sequi existimant, corpus aut corporis affectiones veram illorum actuum causam esse; quum probe cognoscant, mentem in suis exercitiis necessario a corpore pendere hoc ipso, quod corpore tanquam instrumento utitur in suis actibus, sive plerisque, ut multi sentiunt, sive omnibus, quæ aliorum est sententia. Necesse enim est, ut omnis actus, qui sine hoc illove instrumento fieri nequit aut non fit, pro istius instrumenti variâ naturâ et conditione sit varius, præsertim si

(*Traité de la physiologie appliquée à la pathologie*) : « La sensibilité est immatérielle comme la pensée, dont elle est la base... J'observe bien que la pensée se manifeste à l'occasion du mouvement de la matière ; mais je ne saurais en saisir le *quomodo*... Quelle est la condition du cerveau qui produit ces phénomènes ? *je l'ignore.* »

instrumentum non solum occasione datâ adscitum, sed intime et ipsâ naturâ causæ conjunctum sit, quemadmodum corpus cum animo ita conjunctum est ut cum eo unam personam constituat.

318. Hæc autem ita se habere, non tantum hac ratione generali probantur, sed etiam ex absentiâ, præsentiâ, conditione et variâ actione eorum, quæ ab ipsis materialistis in homine instrumenta non causæ habentur, nempe ex modo quo organa externa, quæ ab omnibus non nisi instrumenta esse censentur, agunt in organa interna, quæ nobis instrumenta, materialistis autem causæ sunt. Quid enim? Sint organa illa externa firma aut infirma, expedita aut impedita, sana aut ægrota, vel alio quocunque modo affecta, jam etiam ea quæ effici debent internis organis, quæ cum organis illis externis connexa sunt, hoc ipso bene vel secus efficientur, non secus ac si externa illa instrumenta harum actionum causæ essent. Oculus v. g. aut lingua, quæ omnibus consentientibus non causæ, sed instrumenta tantum sunt visionis et loquelæ (harum causam materialistæ cerebrum, nos substantiam immaterialem esse dicimus), faciunt ut actus videndi et loquendi recte vel secus fiant, prout ipsa se bene habent vel male. Ergo illud, a quo pendet ut actio quædam hoc aut illo modo fiat, e. c. ut facile aut difficulter exerceatur vel etiam omnino impediatur, non ideo istius actionis causa dici potest. Ergo ex eo quod mentis actus vario corporis statu impediantur, turbentur, adjuventur, vel aliter ab ipso pendeant, minime inferre licet, corpus ipsorum esse causam, aut non aliam esse in homine substantiam, a quâ tanquam a causâ efficiuntur.

319. Itaque, etiamsi mentis operationes corporis conditioni, legibus, vicissitudinibusque obnoxiæ tantum forent quantum materialistæ perhibent, horum conclusio tamen non legitima esset. At duo puncta nunc tractanda probabunt, ex iisdem rebus, quibus materialistæ tanquam fundamento nituntur, nempe ex modo quo mentis actus a corpore pendent et ad corpus se habent, conclusionem sequi omnino contrariam. Nam

320. 2° Mentem a corpore penitus, et substantiâ quidem differre, hinc patet, quod mens et corpus legibus non tantum diversis sed plane oppositis reguntur. Etenim corpus in omnibus necessitatis legi subjectum est, et ejus operationes omnes sine conscientiâ peraguntur; mens autem saltem in plerisque suis actibus libertatis legi paret et suî suorumque operum conscia est. Hæc tam aperta sunt, ut nullâ probatione amplius indigeant (237). Differentia autem mentis et corporis inde tam evidenter elucet, ut ea, etsi nullo alio argumento probari posset, omnino tamen certa foret. Et hæc quidem de hoc puncto utut gravi indicasse sufficit. Sed maximi momenti in re præsenti illud est quod sequitur :

221. 3° Materialistæ, quum spiritualem hominis substantiam negandam esse, et omnes mentis actus a corpore tanquam causâ suâ pendere volunt, cum antesignano suo Cabanis strenue affirmant, morbis sive læsionibus aliisque perturbationibus cerebri, quod mentis actuum causam efficientem habent, continuo adferri mentis operationum perturbationes similes cerebri morbis et pro horum gravitate graves (1).

322. Jam ostendimus, si verum esset, mentis exercitia ita se ad cerebrum habere ut materialistæ hic asserunt, inde non sequi, quod illi volunt, quum ad id sufficiat ut cerebrum sit necessarium mentis instrumentum, seu conditio sine quâ hæc suos actus perficere nequeat (317). Sed a veritate prorsus alienum est, mentis operationes ita a præsenti cerebri statu pendere ut illæ semper pro hujus morbis et vicissitudinibus turbentur et immutentur. Idque non tantum nostri psychologi, sed etiam aperti materialistæ testantur. Hi enim, ubi, systematis sui paulisper obliti, historicos se præbent, et ea quæ experientiâ docentur fideliter describunt, hæc duo ingenue referunt eventa, quibus materialismi principium funditus evertitur : *a*) Sæpissime

(1) « Ses maladies (les maladies du cerveau) apportent des altérations analogues et proportionnelles dans les opérations de l'esprit. » Vid. Append. *Not.* H.

fieri, ut cerebri graves sint læsiones, tum recentes tum veteres, sive casu sive morbis sive operationibus chirurgicis effectæ, magnis quandoque cerebri partibus ablatis aut corruptis, nec ulla tamen vel minima mentis operationum turbatio observetur, quin contra animi vigor præstans et immotus (1). *b*) Reperiri amentes, in quorum cerebro nulla deprehenditur læsio, turbatio, aut difformitas, sed, quousque sensuum observatio ducit, cum sanorum hominum cerebro similitudo maxima (2).

323. Verum quidem est, cerebri læsiones non raro cum mentis perturbationibus esse conjunctas et has ab illis oriri; sed nulla cerebri læsio noscitur, quæ certo seu semper mentis operationes turbet; nulla cerebri pars est, cujus læsio, corruptio vel amputatio mentis turbationem necessario conjunctam habeat, quamdiu vita ipsa durat. Hæc, Cabanis ipso teste, constant experimentis omnino certis et omni exceptione majoribus...

Sunt qui, ut quomodocunque explicent cur cerebri læsiones amentiam modo producant modo non producant, causantur, subitas morborum et læsionum invasiones plerumque funestas esse, sed mentem, ubi cujusdam cerebri partis privationi pedetentim assuefieri potest, sine eâ actus suos perficere ordinarie posse. At, quid horum cunque sit, etsi unus tantum casus cognitus esset, ubi gravis cerebri morbus aut læsio men-

(1) In Appendice *Not.* II. ipsis auctorum verbis referemus plura hujus veritatis exempla et testimonia, præsertim ex materialistarum libris deprompta, quibus longe plura addere potuissemus, nisi brevitati consulere vellemus, et ea quæ afferentur id quod proposuimus sat superque demonstrarent.

(2) Id quidem aperte fatetur Dr Pinel, qui nomen europæum sibi fecit studiis et libris editis de alienatione mentali (Cf. De Bonald, *Rech. philos.* c. 9). Idem agnoscit æque celeber Dr Esquirol, *Des maladies mentales*. Quin et ipse Broussais illud confitetur. Quare Dr Forichon ita recte concludit : « Les recherches qu'on a faites sur les aliénés n'ont également rien enseigné sur la cause organique de leur démence; dans la plupart des cas on ne trouve aucune lésion appréciable, et les folies les plus diverses se sont trouvées coexister avec une simple adhérence du cerveau à ses enveloppes; ce résultat est confirmé par les observations de tous les jours. (*Le matérialisme et la phrénol.* p. 147). »

tem illæsam reliquit, plane sequitur, cerebrum mentis operationum causam efficientem non esse, sed aliam præter cerebrum substantiam existere, a quâ illæ efficiantur.

Et hæc iterum invicte probant, iis ipsis rebus, quas materialistæ tanquam systematis sui demonstrationum principia ponere solent, si integræ considerantur et ad veritatis regulas exiguntur, materialismum plane confutari.

324. III) *Materialismi consequentias* expositurus, non longe persequar, quî doctrina illa animos, qui eâ imbuti sunt, ita deprimere soleat, ut ad magna quæque, ad artes et litteras præsertim sublimiores velut inepti sint, aut quam turpiter hominem suâ dignitate privet, atque infra vilissima animantia dejiciat et cum caducâ inertis materiæ mole confundat; brevitatis causâ illa tantum obiter tangam moralia, quæ ipsi materialistarum principes sui systematis corollaria habere consueverunt. Ea autem huc reduci pleraque posse videntur.

325. Ex materialismi placitis moralis hominum vita plane evertitur et tollitur. Nam *a*) ut jam supra (255) vidimus, *virtutis et vitii notiones* omnino falsas effingit, et plurima, quæ ad bonos mores pertinent quæque hominem maxime decent, ad aniles fabulas amandat. *b*) Quidquid etiam de virtutis laudibus et vitiorum infamiâ prædicet, et quæcunque illa sint quæ inter virtutes et scelera computat, quum verum *liberi arbitrii usum* penes hominem esse neget (251), vitium non posse vitari, nec ullam vere virtutem ab homine exerceri posse fateatur, necesse est. *c*) Denique, quæ docet tum *de hominis post hanc vitam conditione*, tum de ratione quâ homo se habeat ad auctorem suum, ea ejusmodi sunt, ut omnis bene vel male factorum sanctio (si quæ moraliter bona aut mala ex illo systemate esse possent) penitus tollatur.

326. Quænam porro inde consequuntur? Primo quidem, eas omnes, quas de charitate, justitiâ, cæterisque morum principiis persuasiones omnibus bonis hactenus insederunt, penitus esse mutandas et evellendas. Secundo, singulis hominibus hoc unum curandum esse, ut quam cautissime possint suæ solius præsentis

vitæ commoda augeant, etiam, ubi hoc expedire judicaverint, cum summo detrimento aliorum omnium. Quin imo, quum vita præsens summum bonum esse censeatur, et omnia licita sint quæ ad summum bonum obtinendum sunt necessaria, nullum facinus quantumvis immane vitio verti vel malum haberi poterit, si in præsentiarum prodesse aut placere tantum possit. Tertio, quisquis hæc doctrinæ monstra combiberit, jam nihil sibi non licere ultro colliget, omnibus suis cupiditatibus frena laxabit, et ex quorumlibet affectuum suorum præsenti impulsu pecudum more vivet.

327. Quæ autem inter hanc principiorum, rerum et morum perversitatem, omni alterius vitæ spe abjectâ, privata hominum felicitas, quæ societatis publicæ, ubi hæc invaluerint, pax, securitas aut prosperitas esse possit, hoc loco non late prosequar, quum illud per se pateat, et alibi jam expositum sit (*Theodic.* 111).

328. Atque hæc paucis verbis indicasse satis est ad materialismi falsitatem ostendendam et justum horrorem incutiendum cuique viro bono et ingenuo. Tam naturalia enim homini sunt moralis legis præcepta, et quæ ad ea servanda et sancienda requiruntur, ut quisquis humanam naturam non exuit ad vana et turpia sequendum placita, hoc ipso solo materialismum respuat ceu doctrinam vilem ac insulsam, quod pugnat cum principiis morali hominum naturæ insitis.

329. Interim hoc declaremus necesse est: etsi materialistæ ex negatâ hominis spirituali substantiâ monstrosa illa quæ protulimus consequentia deducere soleant, præsertim futuræ vitæ negantiam, ipsi tamen hominem totum morte interire non probassent ex hoc solo, quod nullam spiritualem substantiam homini esse probarent, nisi præterea ostenderent, nullum esse Deum, et hominem non esse ens morale, nullamque moralem necessitudinem inter Deum et hominem intercedere. Namque, ut postea videbitur, potissima immortalitatis nostræ philosophica argumenta ex Dei naturâ petuntur, qui, etiamsi, contra ac fecit, nullam nisi materialem substantiam nobis dedisset, hanc im-

mortalem reddere deberet, vel hoc ipso quod nobis eam moralem indidit naturam, quæ nunc nobis certissime inest.

Itaque et methodus, et principia materialismi, et ea quæ inde doducunt consequentia aperte commonstrant, illam doctrinam futilem esse, insulsam, horrendam.

§ II.

Animi spiritualitas recta probatur.

330. Tribus potissimum modis generatim probabimus præter corpus homini esse substantiam spiritualem : I) ex communi hominum sensu et consensu, II) ex mentis actibus, qui in omnibus hominibus reperiuntur, III) ex phænomenis quibusdam apud nonnullos homines peculiaribus.

331. I) Ex hominum consensu spiritualem substantiam ostensuri, primum distinguimus philosophorum et reliquorum hominum persuasiones.

332. Inter philosophos utique et olim et nuper fuerunt, qui negarunt mentem esse substantiam spiritualem; verum celeberrimi, maximi et majorum scholarum principes sive in Oriente, sive in Græciâ, sive Romæ, sive alias, et antiquitus et medio ævo et hac ætate tum in Germaniâ, tum in Galliâ (1), Angliâ, Italiâ etc. omnes uno ore animum substantiam spiritualem esse docent et comprobant.

Brevitatis causâ ex antiquis memorasse juvat scholarum maximarum auctores Pythagoram, Platonem et Aristotelem. Primus quidem animum monadem vocat seu numerum qui se ipse movet, destrui nequit et immortalis est (2). Plato usque adeo

(1) In Galliâ sæculo XVIII solemne fuit materialismo nomen dare, nunc autem præter aliquot medicos nemo ex ullâ philosophantium sectâ illi systemati adhæret.

(2) ARISTOTELES, *De animâ*, I, 2; DIOGENES LAERTIUS, VIII, 28; PLUTARCHUS, *De placitis philos.* IV, 2 et 3. Cf. BARTHÉLEMI DE SAINT-HILAIRE, *De la logique d'Aristote*, tom. II, p. 101.

animum substantiam spiritualem ab humano corpore distinguit, et corpori præstare commonstrat, ut in *Alcibiade* concludat non corpus sed animum hominem esse (1), et in *Phædone* corpus quidem brevi solutum iri, animum vero esse immortalem (2). Aristoteles autem, quum omnia corporea ad quatuor principia revocasset: terram, aquam, aerem, ignem, et animi actus et virtutes nihil cum his elementis commune habere probe perspiceret, hujus naturam novo nomine *entelechia* (3) appellat, quo eum veram substantiam esse significet, et una separet ab omni eo quod nos materiam vocamus (4). Cicero denique, Romanorum sapientissimus, Aristotelis argumentum tam firmum et idoneum esse existimat, ut ipse eodem ostendat animum esse spiritualem et immortalem (5).

333. Hoc argumentum, quod ex celeberrimorum philosophorum et ipsorum scholarum consensu, et rationibus quibus nitebantur, petitur, gravissimum est, etsi nonnulli, quos cum Cicerone minutos philosophos recte vocaveris, ab ipsis dissentirent; at longe firmius argumentum sumitur ex persuasione omnium populorum, et in his præter philosophos hominum omnis generis doctorum et indoctorum, quippe qui, philosophantium argutiis non decepti, naturæ et rationis vocem apertius audiunt et sequuntur fidelius.

334. Age porro omnino certum est, omnes populos sive politos sive barbaros semper et ubique in hanc duplicem consensisse sententiam, nempe homini inesse animum a corpore prorsus distinctum et hunc in se ipso subsistere, atque adeo veram esse substantiam.

335. Hujus duplicis asserti veritas hinc liquido probatur, quod omnes homines semper se ipsos distinguant a suis orga-

(1) Vid. in APPEND. *Not.* I, litt. *a*.
(2) Vid. in APPEND. *Not.* I, litt. *b*.
(3) Leibnitius hoc nomen tam idoneum esse judicavit, ut ipse eodem utatur ad significandum quam substantiæ naturam esse existimat. Notissimum porro est omnem substantiam Leibnitio aliquid immateriale esse.
(4) Vid. in APPEND. *Not.* I. litt. *c*. — (5) Vid. ibid. *Not.* I, litt. *d*.

nis, et apertius etiam, quod omnes populi, etiam illi quibus animi nomen forte ignotum esset, constanter crediderint, hominem morte non penitus interire, sed post corporis dissolutionem partem hominis potiorem manere superstitem. Etenim aliquid hominis superstes vivere corpori, gentes tenuerunt ac tenent omnes, ut in ultimo hujus libri capite ostendemus; atqui hoc ipso simul tenent, illud, quod corpori superest, et non esse corpus, et in se subsistere, sive substantiam esse.

336. Hæc populorum fides, ut pote omnibus sensûs vere communis characteribus insignita, veritatis probatio potentissima est, et hujusmodi quidem ut, si vel sola esset, nemo qui vim naturæ nostræ intelligit de spirituali hominis substantiâ dubitaret. Quid enim ? Fides hæc perpetua, constans et universalis est ; nihil habet rationi contrarium, quin imo rationibus nititur plurimis et maximis ; neque originem suam debet nisi causæ quæ omnino secundum naturam est. A pravis affectibus utique oriri non potuit, quippe quibus maxime adversetur. Itaque, sive dictante ratione, sive Deo revelante, sive potius, ut mihi quidem persuasissimum est, hâc utrâque causâ simul agente, orta sit illa opinio, non nisi viâ naturali, seu hominis naturæ omnino consentaneâ et dignâ introduci, propagari, stabiliri et conservari potuit.

337. Insulse igitur cum materialistis objiceres, eam esse opinionem præjudicatam, vanam, ex ignorantiâ natam. Primo enim, si ex ignorantiâ ortum duxisset, jam diu præ scientiarum progressu evanuisset et solis ignaris inhæsisset. Nunc autem omnino est aliter ; namque a materialistis nullum ei opponitur argumentum quod aliquid ponderis habeat ; cum indoctis ei adhærent viri in omni scientiarum genere peritissimi et propter rationes gravissimas ; hinc etiam in ipsis locis, ut in Galliâ, ubi sæculo proxime elapso ob inordinatam scientiarum naturalium culturam a multis rejecta esset, hodie, dum scientiæ magis perfectæ sunt, apud summos quarumlibet scientiarum cultores in maximo versatur honore. Deinde, si præjudicata opinio esset, non apud omnes gentes penetrasset, non

tam diu constans permaneret, non ubique cum ipso morum, litterarum et scientiarum cultu invalesceret; vanæ et fictæ opiniones nonnulla loca vel tempora pervadere possunt; sed quod apud omnes semper et ubique reperitur, illud naturale sit necesse est. Etenim nisi hæc persuasio ab ipsâ naturâ nobis indita et ipsius naturæ judicium esset, quî fieri possit ut ea tam alte, tam constanter, tam universis hominibus insideat? Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat; omni autem in re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est; de quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est (1).

338. II) Ex mentis actibus, qui in omnibus hominibus observantur, bifariam ostendi potest, animum esse spiritualem substantiam : generatim ostendendo, eos actus modis suis penitus differre ab effectibus quos corpora producunt; item præcipuos illos actus singulatim in se ipsis considerando, quo amplius pateat, quantum naturâ suâ distent a quavis causâ materiali seu corporali. Quî utrumque fieri possit, breviter declarabimus.

339. Principium rationi nostræ insitum, et æque firmum et indubium atque ipsa humana ratio, hoc est axioma : tales esse causas, quales eas effectus sui probant; atque adeo diversas esse causas quæ effectus producunt semper diversos, seu quæ modis semper diversis agunt.

Quis porro non videt, mentis actus non tantum in se manifestis proprietatibus suis prorsus differre ab omni effectu corporeo, ut proxime ostendemus, sed præsertim modis omnino diversis et contrariis, quibus hi et illi producuntur?

340. Quid enim ex unâ parte magis evidens est, quam mentis actus fieri *a*) cum conscientiâ et *b*) libertate, atque ideo *c*) varie; ex alterâ vero parte effectus, qui a materiâ ceu causâ suâ pendent, *α*) cæce, *β*) necessario, et propterea *γ*) semper uno eodemque modo produci? Age enim, quæ mens per se

(1) CICERO, *Tusc.* I, 13; *De nat. Deor.* II, 2 et I, 17.

efficit, *a*) eorum probe conscia est, et simul sibi conscia est, ea a se ipsâ fieri; *b*) ea ita facit, ut etiam probe sentiat, se aliter agere posse, et se ea hoc modo facere, quia libere vult; *c*) ea denique, etiam ubi occasiones, causæ moventes aliaque adjuncta eadem sunt, efficit modis pro libitu infinite variis. Contra quique sapientes tum philosophi tum scientiarum physicarum periti uno ubique ore confitentur, omnes, qui a corporeis substantiis producuntur effectus (¹), modis effici his plane contrariis. Igitur vel ex hoc solo certum est, in homine esse agnoscendum principium activum sive substantiam ab omni corpore et speciatim a nostro corpore prorsus distinctam.

341. At jam paucis verbis indicemus, quæ in singulis mentis nostræ actibus præcipue notanda sint, ut eos a causâ non corporeâ fieri probetur.

342. 1° *Conscientia sui* sive *sensus intimus*, qualis in homine est, certo principium seu causam habet simplicem, suî compotem et agentem in se ipsam, seu quæ simul actûs ejusdem subjectum et objectum est. Atqui nulla ex his tribus proprietatibus in corpore quopiam inveniuntur; nullum enim corpus et speciatim cerebrum nullum est simplex (²), nullum suî

(1) Non ii sumus qui putemus, corporeas substantias ita passivas esse ut ipsæ omnino nullâ activitate fruantur, aut corporum inertiam in merâ passivitate consistere, aut corporeas substantias a substantiis spiritualibus potissimum differre, quod hæ activæ, illæ autem essent passivæ. Cum Leibnitio nullam substantiam omni activitate unquam destitui censemus; corporum inertiam cum clarissimis physicarum et chimicarum scientiarum cultoribus existimamus in eo constare, quod corpora in iisdem adjunctis constituta semper uno et eodem modo agant immutabili necessitate; præcipuam vero corporearum et spiritualium substantiarum differentiam constituimus in modis agendi plane diversis, aliisque diversis ambarum proprietatibus primariis.

(2) Si res nondum satis evidens esset, quam contraria sit cerebri compositio conscientiæ simplicitati, hoc trilemmate facile probari posset: vel singulæ cerebri partes conscientiâ fruuntur, vel una earum tantum, vel tota earum collectio simul? Si primum ponas, tot erunt in homine conscientiæ quot partes cerebri. Si secundum, non intelligitur, ad quid serviant reliquæ partes; nec declaratur unde uni earum hoc sit privilegium; nec dicitur, quænam illa sit, quæ anatomistis prorsus ignota est; præterea illa esse

aut motuum suorum conscium vel compos, nullum quod in se ipsum agat. Præterea, quum sensu intimo conscii evadamus eorum quæ sentimus, si ejus principium compositum, concretum, aut multiplex foret, illud ejusmodi esse sentiremus; nunc autem omnino contrarium est, quum principium omnium mentis actuum se unum sentiat, simplex et in omnibus actibus illis idem, ut supra probavimus (285).

343. Nec putes, sensum intimum cum speculo comparari posse. Cerebrum nostrum forsan quodammodo simile est speculo, in quo mens nostra ea videt quorum recordatur; at nulli speculo cum sensu intimo nostro aliquid commune est. Speculum enim quodvis compositum, et quantumvis parva ejus imago sit, hæc omnes rerum objectarum partes alias juxta alias positas exhibet; nullum speculum suî compos aut conscium est; nullum in se ipsum agit aut se ipsum videt, sed ad rem quampiam videndam speculum indiget *speculatore*, sicut cerebrum mente.

344. 2° Perceptiones nostras sensibiles organis tanquam causis suis tribui non posse, ex eo probatur, quod earum causa necessario sit una, simplex et agens in ipsas organorum impressiones, ac proinde ab organis diversa et immaterialis. Nam *a*) perceptio sensibilis seu cognitio rei corporeæ a nobis non fit, quando organa solum commoventur; organorum enim impressio et commotio perfectæ esse possunt sine ullâ perceptione; at perceptio tunc tantum habetur, ubi mens agit in eam impressionem, et attendit ad affectionem quæ organis accedit. *b*) Diversas perceptiones, quas per varia organa accipimus, e. g. per oculos, per aures, per tactum, etc. ad unum corpus ideo solùm referimus, quia unum idemque principium eas simul recipit et in eas agit. Unde Philosophus Genevensis (*Emile*, t. 3), apprime dixit, nisi mens, quæ percipit sensuum affectiones, actuosa esset et ab organis distincta, « non possemus cognoscere,

deberet indivisibilis, et quî tunc a materialistis adhuc materialis haberi poterit? Si tertium, sequitur, conscientiam in tot partes dividi posse quot cerebrum, et quotam conscientiæ æque ac cerebri partem posse distingui. Quo nihil absurdius dici potest.

corpus quod tangimus rem eamdem esse quam videmus. Vel nihil unquam extra nos sentiremus; vel quinque sensibus quinque res sensibiles perciperemus, nec ullo modo scire possemus eas idem esse corpus. »

345. 3° Perceptiones mundi non corporei etiam minime perfectæ principium suum non corporeum esse probant, et quod iis apprehenduntur res quæ sub sensus non cadunt, et quod interventio sensuum et conditionum sensibilium, quæ ad eas primum formandas requiruntur, nequaquam illarum causæ sunt.

346. 4° Conceptiones seu notiones cujusvis generis multò clarius ostendunt suum principium non esse organum ullum aliudve corporeum quidquam. Nam *a*) actus reflexionis (*Logic.* 47), qui ad eas formandas necessarii sunt, cum cerebri et materiæ in universum spectatæ compositione, inertiâ et cæcitate recta pugnant. *b*) Res, quæ per notiones quasvis concipiuntur, sub nullos cadere possunt sensus, nec aliquid cum corpore quopiam commune habent. Notiones puræ, quæ circa res abstractas, et multo magis notiones reales quæ circa Deum, ens infinitum, versantur, quin etiam notiones quibus genera et species sive naturalia sive arbitrario ficta concipiuntur, profecto nobis exhibent res quæ nullo sensu percipi, at mente clare intelligi possunt.

347. 5° Itidem substantiam non corpoream esse mentem probant ideæ innatæ, quæ omnes cognitiones nostras antecedunt, quæque adeo mentem humanam afficiunt, adeo eidem inhærent, ut ejus proprietates essentiales et constituentes sint. Age vero, annon iis ideis, quæ vere lumen rationis nostræ naturale constituunt, animus humanus tanquam substantia ab omnibus aliis vel ipsis animantibus plane differt? Quis enim enti qualicunque præter hominem hujusmodi ideas tribuere possit? Et in quonam homine eæ non existunt?

348. 6° Nostra judicandi facultas etiam materialismum erroris convincit. Etenim pro materialistis judicare idem est ac sentire; sed *a*) aliud est sentire seu videre simul res duas, et aliud est percipere quî illæ se habeant altera ad alteram. Sensibus

res plures et diversæ ejusdem rei proprietates occurrunt velut separatæ (344); sed judicio agimus in res sensibus objectas, ut eas conjungamus, conferamus, et denique affirmemus quousque una cum alterâ eadem sit, pugnet, vel nunc conveniat nec tamen necessario juncta sit. Ad hoc autem requiritur principium omnino simplex, sponte suâ agens et intelligens, quod capiat sensum verbi *est*, nec sufficit principium mere sensitivum, ut recte notat Rousseau (1). Deinde, *b*) si judicare nihil aliud esset quam sentire, judicia nostra semper essent vera; sensus enim res aliter referre nequeunt quam sicut apparent, nec non sentire quæ sentiunt. Nunc autem judicia nostra sæpe falsa sunt, quod mens nostra agendo in sensuum perceptiones præjudicia sua iis admisceat, et res aliter se habere affirmat quam eæ sensibus exhibeantur (*Logic.* 463). *c*) Judicia tandem sæpissime versantur circa res quæ nullo corporis sensu pertingi possunt, proinde nec sentiri, ut materialistæ volunt. Et hæc quidem judicia, quum in iis versantur quæ hominis rationem præcipue commonstrant, maxime humana sunt.

349. 7° *Facultas ratiocinandi* eodem modo ac judicium probat, menti nihil commune esse cum corpore. Nam *a*) ratiocinatio judicii continuatio est, ac proinde easdem mentis proprietates exigit quas judicium. *b*) Sæpissime ratiocinamur de iis quæ nullo corporis sensu attingimus aut attingere possumus, de præteritis, de futuris, de possibilibus, de necessariis, de ordine metaphysico et morali universo. *c*) Etiam ubi ratiocinamur de iis quæ sub sensus cadunt, plerumque ad veritates principes tanquam ratiocinationis principia ascendimus, quæ totâ naturâ suâ a sensibus remota sunt.

(1) « Par la sensation, inquit philosophus Genevensis, les objets s'offrent à moi séparés, isolés, tels qu'ils sont dans la nature ; par la comparaison, je les remue, je les transporte, pour ainsi dire, je les pose l'un sur l'autre, pour prononcer sur leur différence ou leur similitude et généralement sur tous leurs rapports. Selon moi, la faculté distinctive de l'être actif et intelligent est de pouvoir donner un sens à ce mot *est*. Je cherche en vain dans l'être purement sensitif cette force intelligente qui superpose, puis qui prononce, je ne la saurais voir dans sa nature. »

350. 8° Si *imaginatio* nihil aliud esset quam conservatio impressionum quas per sensus recipimus, velut imaginum in speculo, facile intelligeremus, qui illa ad corpus pertinere posset; at saltem imaginatio inventrix, sive mechanica, sive æsthetica, eas inesse in mente imaginante arguit facultates, quæ cum materiâ stare prorsus nequeunt. Nam ut ex pluribus imaginibus una fiat, ut jam per imaginationem mechanicam fit, mens in eas imagines actus rationis, qui cum materiâ pugnant, exercere debet; eas enim intellectu debet dissolvere, et partes physice non separatas abstrahere seu mente secernere, deinde eas alias cum aliis comparare, ac tandem aliis relictis alias pro libitu in novam conjungere formam, cujus nondum ulla similitudo pro sensibus existit. Adhæc æsthetica imaginatio præcipue versatur in rebus non corporeis, quæ ipsæ sub sensus cadere non possunt, per aptas formas sensibiles repræsentandis. Quis sensus corporalis emblemata, quibus imaginatio delectatur, penetrare possit, ut, ultra ea quæ videntur et audiuntur, detegat eorum sensum arcanum, ingeniosum, mysticum? Denique multa sunt quæ sensibus placent et simul huic imaginationi quæ pulchritudinem æstimat displicent: quod manifestum indicium est, et veram idealem pulchritudinem æque ac moralem nihil esse corporeum, et in homine aliud principium actuosum esse præter sensus corporis.

351. 9° *Memoria materiæ* neganda est et incorporali tribuenda principio propter has rationes: *a*) Nihil corporeum in nobis permanet a primo memoriæ usu ad summam senectutem, quod memoriæ subjectum esse possit; corpus enim continuo mutatur, at memoriæ subjectum idem maneat necesse est (174). *b*) Nulla corporis particula in se ipsam agere potest, sicut agere in se ipsum debet memoriæ subjectum, ut in se ipso et præsentem et olim habitam cogitationem percipiat, et utramque eamdem esse agnoscat. *c*) Memoriâ non tantum res sensibiles, sed etiam res a sensibus remotissimas revocamus. Quin imo non ipsas rerum sensibilium impressiones memoria revocat, dum earum recordamur; nam sæpe nobis ingrata est recordatio

voluptatum et vicissim grata dolorum præteritorum reminiscentia. Alia igitur sensuum et alia memoriæ actio est.

352. 10° Si *enuntiationes* nostræ a corpore vel a sensibus tanquam a causâ suâ penderent, tum sive sermone, sive scripto, sive gestu sensa mentis declaremus, enuntiationes illæ nunquam mendaces esse possent, sed ipsæ sensa nostra semper plane æquarent, quantum organorum vitia non obstarent; nunc autem quum mens nostra omnino alia sit ab organis, quibus utitur ad cogitata sua enuntianda, ea organa pro libitu impellit sive ad patefacienda, sive ad celanda sensa sua, sive ad signa sensis suis prorsus contraria exhibenda.

Quemadmodum is qui utitur, ita is qui audit vel legit signa cogitationum nostrarum, se alium esse probat quam rem mere corpoream vel sensitivam. Quî enim, nisi incorporalis esset noster intellectus et prorsus alius a sensibus, *a*) ultra vocis sonos et scripturæ lineamenta sensibilia cogitationem omnino immaterialem et cum iis non necessario conjunctam perciperet? *b*) Quî vocabula homonyma distingueret? *c*) Quî sensum caperet verborum ambiguorum, vel eorum quæ v. g. jocandi causâ adhibentur ad enuntiandum contrarium ejus quod proprie significant? Hæc omnia nec in sonis aut litteris sensibilibus continentur, nec sensuum organis percipi possunt.

353. 11° Ex *affectibus* nostris cujusvis generis sole clarius liquet, in homine aliud principium actuosum inesse quam corporeum et sensitivum. Corpus nostrum utique non alienum est a nostris affectibus; sed vel infimi affectus nostri, scilicet appetitus animales, quales in nobis reperiuntur, etiam aliam causam efficientem præter sensus, et quæ contra sensus agit, apertissime commonstrant. Age enim sit homo vehementiore quodam appetitu animali, v. g. fame, siti, vel alio sive ordinato sive inordinato incitatus; jam poterit hunc appetitum sine renixu sequi, tumque duplex in ipso inesse agendi principium vix aut ne vix quidem apparebit; at poterit etiam, si velit, appetitûs sui incitamento resistere, et tunc sæpe oritur luctatio tam manifesta inter duo principia, ut horum differentia igno-

rari nequeat, quippe quum pugna inter duos homines inimicos vix esse possit vehementior, difficilior aut certior.

354. Mire ratiocinatur Richerand, ut vim hujus argumenti imminuat (1) : « Illa phænomena, quæ forte cuiquam persuadere possint hominem esse ens duplex, nihil aliud sunt quam luctatio inter impulsiones instinctûs et impulsiones rationis, inter necessitates sæpe imperiosas organismi et judicium quod eas reprimit. » At nonne hac ratiocinatione argumentum nostrum plane dilucidatur et confirmatur? Quid enim! Ubi inter instinctum organismi et rationem luctatio est, ibi duo sunt luctatores, et ubi judicium rationis instinctûs corporis impulsiones reprimit, ibi manifesto duo principia actuosa prorsus diversa hâc ipsâ pugnâ se existere probant.

355. At præter illos appetitus animales in homine plures sunt affectus, quorum objectum ad nullum pertinet sensum corporis, quique proinde a nullo corporis sensu oriri possunt. Nemo etiam ignorat, desideria nostra infinita esse, seu potius naturam nostram ita ad infinitum aspirare et contendere, ut nihil finiti nos satiare possit; at nisus ille tam verus est, utpote omnibus hominibus a naturâ insitus, quam alienus a sensibus, qui nihil nisi finitum percipere possunt.

356. *Conscientia moralis* longe minus pro corporis affectione quâdam accipi potest. *a*) Ac primo quidem, quia omnes sensûs intimi nostri proprietates ipsi quoque communes sunt. *b*) Quia conscientia præcedens (ut eam vocavimus) ex actione indifferente vel physice prorsus eâdem pro mentis proposito virtutem summe laudandam facit vel crimen pessimum. Quid enim physice differt homicidium, quod miles in bello justo, quod judex in tribunali et quod sicarius in latrocinio facit? Aut quid mentis proposito cum materiâ commune esse potest? *c*) Conscientia consequens adeo differt ab omni eo quod ad corpus pertinet, ut sæpissime eadem res quæ conscientiæ gratissima est sensibus

(1) *Nouv. élém. de physiologie.* Hic physiologista sæpius materialismo favit vel saltem nimium indulsit, obiit tamen ut verus christianus.

maxime sit ingrata, et vicissim ut eadem sensuum delicias et conscientiæ summum dolorem pariat.

357. 12° *Voluntas* forte melius quam cæteræ facultates et operationes mentem substantiam incorporalem esse probat.

a) Illud autem maxime probat libertate suâ, quæ sicut certissime voluntatis dos præcipua est, ita nullius rei corporeæ, speciatim cerebri nostri, proprietas esse potest, quippe quod non secus ac quævis alia materia cæce, necessario et semper eodem modo agit, suî non compos, sed viribus alienis obnoxium. Unde factum est ut, quidquid excogitaverint materialistæ ut liberum nostrum arbitrium sibi constantes explicarent, nihil minus absurdum invenire potuerint quam ridiculum Epicuri commentum *clinamen atomorum*. Quo quum nihil insulsius videretur, cum Broussais hominis liberum arbitrium præfracte negarunt. Hæc utique via brevior et facilior est; quid enim minus difficile quam negare quod cum systemate tuo conciliare nequis? Sed manus victas dat qui, quod luminis proprietates cum suis præconceptis opinionibus componere non potest, solem esse negat.

b) Si voluntas nostra nihil aliud esset quam vis agendi ab organis profecta, concipi non posset, quî fiat ut voluntas sæpe plus velit quam organorum vires possunt exequi; unde enim voluntati illa persuasio potentiæ suæ veniret? Nunc autem, quum voluntas ab organorum viribus omnino diversa sit, eam persuasionem facillime intelligimus; persuasio enim illa verissima est, nam voluntas multo fortior est quam vires organorum, atque ad ea efficienda, ad quæ corporis vires non sufficiunt, nova sibi construit instrumenta indefinite potentiora.

c) Tantum abest ut voluntas nostra sit organorum nostrorum productio sive consequentia, ut contra voluntas organis pro arbitrio suo utatur, atque adeo se erga organa habeat, non sicut effectus ad causam, sed potius sicut causa ad effectum, sive ad instrumenta quibus effectum sibi, non ipsis, cognitum et præstitutum assequatur.

d) De Bonald et cum ipso Blaud ex suicidio, quod voluntas

hominis præcipere potest, etiam probat, voluntatem non pendere ab organis. Probat autem præcipue hoc modo: α) Quidquid est non potest velle se non esse, quidquid vivit non potest velle se non vivere; hoc tamen fieret, si organa ipsa suicidium sibi proponerent; at illud minime evenit, ubi mens vult, non annihilari, sed separari a corpore, cujus conjunctionem et commercium non amplius vult servare. β) Quidquid esse vult, simul sibi bene esse vult, imo vult bonum quod maximum sibi est vel apparet; atqui interitus entis summum malum est; ergo nullum ens interitum suum velle potest; sed ens, quod bonum suum vult, velle potest interitum entis quod sibi nocere vel inimicum esse scit vel putat; atque adeo mens, quæ suum interitum velle nequit, velle tamen potest interitum corporis, quod sibi nocere putat; ac proinde tanquam suicidii finem aliquid sibi bonum proponere, nempe verum vel fictum solatium ex separatione ab inimico suo. γ) Denique, aiunt, si homo nihil præter materiam esset, in suicidio materia in se ipsam ageret; at ubi hominem ex animo et corpore constare agnoscis, suicidium nihil aliud exhibet quam actionem causæ superioris agentis in rem infra se positam, quam a se repellere nititur.

358. Age modo, quidquid de hoc ultimo argumento sentias, illud profecto non videre nequis, ex actibus psychologicis, quos in omnibus hominibus observavimus, aperte sequi illorum principium esse substantiam incorporalem.

359. III) Animum esse spiritualem substantiam ex nonnullis phænomenis apud aliquot homines peculiaribus probatur.

360. 1° Inter illa phænomena, quorum præcipua quædam tantum memorabimus, primo loco ea ponimus quæ offert somnologia magnetica. Nobis non est in animo phænomena quæ in somnio magnetico observantur describere, quippe quæ aliunde nota esse ponimus; sed hoc loco memorabimus tantum mentis facultatum elevationem, accuratam futurorum *præsensionem*, visionem rerum ab oculis per interposita corpora opaca separatarum, vel etiam longe ab oculorum conspectu

remotarum ; quæ phænomena utique non omnibus magnetico somnio detentis accidunt, quæque nonnulli falso comminiscuntur, sed quæ apud alios non paucos certo eveniunt; quorum exempla aliquot insignia a testibus fide dignissimis nobis relata novimus, præter ea quæ libri plures, qui omnem fidem historicam mereri videntur publici juris fecerunt (¹).

561. Age porro hæc phænomena cum materialismo stare seu sine animo incorporali explicari non possunt (²); sed si in homine animus incorporalis inest, facile concipiuntur, atque adeo ejus præsentiam testantur. Quid enim!

a) Optime concipitur, quì fieri possit ut animus, in medio organorum silentio, et organorum impressionibus non impeditus, liberius actus sibi proprios exerceat; quì facultates ejus, memoria, judicium, ratiocinatio, jam majorem alacritatem et præstantiam exhibeant; quì proinde carmina et orationes semel auditas ad amussim proferre possit; quì ex iis quæ novit majori cum perspicientià conclusiones eruere, atque adeo futura quædam mire præsentire; quin etiam quì fieri possit ut animus, etsi in hominis statu ordinario in corpore et per corpus solum agat et videat, attamen quia substantia incorporalis est, adeoque nullà absolutà necessitate corpori alligatus, nec loco semper eodem vel æque magno conclusus, etiam aliquando ultra corporis sphæram agere et sine corporis interventu videre queat (³). Ut adeo visio illa rerum ab oculis remotarum nihil

(¹) Præter alios de eâ re legi merentur : J. B. Loubert, *Le magnétisme et le sommambulisme devant les corps savants, la cour de Rome et les théologiens*, Paris, 1844; et ejusdem auctoris *Défense théologique du magnétisme humain*, Paris 1846; item Ferd. Barreau, *Le magnétisme humain en cour de Rome et en cour de cassation*, Paris, 1846, et Loisson de Guinaumont, *Somnologie magnétique*, Paris 1846.

(²) Quare doctor Parisinus Bouillaud, loquens de actione videndi oculis velamine opaco tectis : *eam non crederem*, inquit, *etiamsi viderem, quia non credo quæ fieri non possunt.*

(³) Profecto nullus christianus, qui mentis post mortem nostram statum novit, dubitat, quin absolute fieri possit ut animus sine corpore, proinde sine oculorum adminiculo videat.

aliud sit quam actio animi, corporis vinculis soluti seu minus adstricti, nunc sine oculorum ministerio res videntis (1).

b) Animum substantiam incorporalem esse, et phænomena magnetica illi causæ tribuenda esse quam modo indicavimus, agnoverunt homines magnetice consopiti, in quos nulla fraudis suspicio cadere potest; ut ille juvenis olitor qui scientiarum ignarus fere integrum psychologiæ tractatum in somnio magnetico dictavit responsis refertum sagacissimis (2).

c) Plures, qui magnetismi phænomena diligentissime observaverunt, eam ob causam materialismum abjurarunt et ad religionem reversi sunt, quorum non paucos recenset J. B. Loubert (3); inter eos nominare sufficit celebrem physiologistam Georget (4).

(1) D. Frere, *Examen du magnétisme animal*, magnetismi phænomena malorum dæmonum actioni tribuit; doctor Billot, *Correspondance sur le magnétisme vital*, contra bonorum angelorum interventui. Utriusque hypothesis substantias incorporales existere et animi spiritualitatem aperte agnoscit; at neuter probavit, magnetismi phænomena malorum aut bonorum geniorum operæ tanquam causæ suæ tribuenda esse, quanquam (quod minime inficiamur) fieri possit ut ipsi aliquando his æque ac aliis hominum actionibus interveniant.

(2) Vid. *Somnologie magnétique par Loisson de Guinaumont.*

(3) Postquam citavit hæc Deleuze verba : « J'ai plusieurs exemples de personnes ramenées à la religion par l'observation des phénomènes du magnétisme, et de ce nombre je puis citer les trois messieurs Puységur; » ita loqui pergit auctor : « Nous pouvons ajouter encore M. Tardy de Montravel, le célèbre Bergasse, M. de Cazotte, le fils, et plusieurs de ses amis, le docteur Georget, M. le docteur Billot, M. R. prêtre maintenant, M. F. Barreau, M. Possin, Mme Possin et un grand nombre d'autres personnes, que nous nous abstenons de nommer, quoique leurs noms nous soient parfaitement connus. » *Défense théol.* p. 217.

(4) Dr Georget in suo testamento inter alia hæc scripsit : « Je ne terminerai pas cette pièce sans y joindre une déclaration importante. En 1821, dans mon ouvrage sur la Physiologie du système nerveux, j'ai hautement professé le matérialisme... De nouvelles méditations, et surtout les phénomènes du somnambulisme magnétique, ne me permirent plus de douter de l'existence en nous et hors de nous d'un principe intelligent, tout à fait différent des existences matérielles... *l'âme et Dieu.* Il y a chez moi à cet égard une conviction profonde fondée sur des faits que je crois incontestables. » *Archives générales de médecine, mai* 1828.

Hinc non immerito affirmavit Schubert (1), e magnetismo argumentum sumi efficacissimum pro animi spiritualitate.

362. 2° Aliud phænomenon hic memorandum, quo animum substantiam incorporalem esse probatur, est mentis excessus seu extasis sive miraculosa sive naturalis.

Hoc loco extasim miraculosam non ut fide religiosâ recipiendam, sed ut eventum historicum philosophice credendum proponimus; et ne longiores simus (2), unum hujusmodi extasis exemplum afferemus, quod recens est, quodque veritatis indubiæ characteres omnes ita præ se fert, ut a tribunali romano, cujus severitas in hoc negotio notissima est (3), habitum fuerit pro certo argumento beatitudinis Alphonsi Mariæ De Ligorio. Nempe quum venerabilis hic vir anno 1774 in oppidulo diœcesis suæ Arienzo mentis excessum passus esset diebus fere duobus, die 22 septembris horâ circiter nonâ matutinâ velut experrectus, illico nuntiavit, hoc ipso momento Clementem XIV Romæ obiisse, cui morienti adstiterat, dum somno detentus videretur (4).

Age porro res, cujus conceptus secum pugnat, fieri etiam per miraculum nequit; at qui idem vir et Arienzo et Romæ esse potuerit facile concipis, ubi animi incorporalem naturam consideras; sed concipere nequis, si nihil præter moleculas corporales in homine agnoscas.

363. Interim ad finem nostrum, nempe ad incorporalem animi naturam probandam, sufficit extasis omnino naturalis,

(1) *Geschichte der Seele.*

(2) Nisi instituti nostri brevitas obstaret, aliquot exempla proferremus ex opere celeberrimi J. Gœrres, *Die christliche Mystik, funstes Buch*, et ad examen criticum revocaremus historiam duarum piarum mulierum hoc tempore in Tirolio viventium, de quibus legi meretur opus quod inscribitur : *Les stigmatisées du Tyrol, etc. par M. Léon Boré.*

(3) Qui novit quo rigore Romæ expendantur facta quæ afferuntur ad alicujus sanctitatem testandam, prudentissime ut certa recipit quæ judices romani in hujusmodi negotio vera esse judicarunt.

(4) Vid. *Informatio, animadversiones et responsio supra virtutibus V. S. D. Alphonsi Mariæ de Ligorio*, Romæ 1816.

quæ v. g. in poetis vel in viris scientiarum sublimiorum contemplationi deditis nonnunquam advertitur. Porro in hujusmodi mentis excessu, sive de industriâ sive sine deditâ operâ accidat, duo phænomena deprehendimus quæ cum materialistarum hypothesi stare nequeunt, scilicet *a*) quî fiat ut solâ mentis avocatione homo oculis apertis non videat, auribus erectis non audiat ea quæ visûs et auditûs organa plane afficiunt. Hæc utique sensuum et animi differentiam aperte probant. *b*) Quî fiat ut mens, nunc sine perceptionibus externis, sive nunc sensibus non excitata, operationes sibi proprias apte peragat, imo liberius perficiat, quam ubi continuæ sensuum incitationi subest, ideo profecto quod nunc sibi permissa non ad alia per sensus avocatur. Quæ iterum organorum et animi actiones, vitam et essentiam penitus differre commonstrant.

364. 3° Si materialismus verus esset, quo perfectiores omnes corporis partes et organa forent, quo melius conformatum corpus esset, necessariâ consequentiâ eo expeditiores mentis facultates et operationes ubique esse deberent. Jam vero non raro fit, ut in corpore debili, vitioso, deformi, habitet mens præclara, quibusvis optimis ingenii dotibus præstans, et contra ut corpus validissimum et optime constitutum sit domicilium mentis imbecillis et inopis. Hæc adeo aperta et nota sunt, ut supervacaneum sit exempla peculiaria adferre; et argumentum tam firmum suppeditant, ut materialistæ passim mentis operationes non generali corporis conformationi velut causæ suæ tribuant, sed unius alteriusve partis tantum, præsertim cerebri, quod solum hactenus nominarunt.

365. 4° Multa sunt exempla hominum, ut jam ante monuimus (322), apud quos sine ullo rationis detrimento cerebrum variis vitiis, morbis, læsionibus affectum erat etiam gravissimis et diuturnis, atque in ipsis iis partibus quæ rationis exercitio maxime inservire censentur. Hujus rei experimenta tam multa et tam certa exstant, ut omnino constet, singulas cerebri partes, nullâ quidem exceptâ, aliquando amputari et corrumpi sine rationis damno, dummodo tanta cerebri pars

qualiscumque maneat ut vita ipsa perseveret. Item multa sunt exempla hominum insaniâ laborantium, in quorum cerebro nullum vitium, nulla læsio aut deformitas detegi potuit (322).

Duplex illud experimentum evidenter ostendit, nec cerebrum nec ullam cerebri partem tanquam rationis causam seu mentis operationum principium haberi posse, quum illo corrupto hæc integra manere, item hæc turbari possit illo intacto permanente.

366. 5° Aliud argumentum pro animi a sensibus differentiâ suppeditant miseri illi, qui, uno vel pluribus sensibus destituti, rationis usu et mentis exercitio prorsus expedito fruuntur, etiamsi sensus, quibus carent, ii sunt, qui menti maxime serviunt, ut visus et auditus. Quid enim? si cogitare, judicare, ratiocinari, velle, etc. quæ mentis actus proprii sunt, nihil aliud esset quam varie sentire, ut materialistæ volunt, procul dubio cæci et surdi pleno rationis usu seu perfecto mentis exercitio frui non possent, eorum ratio sive mens mutila esset; nunc autem ipsorum mens ad omnia peragenda, quæ ad rationem pertinent, non minus apta est, quam eorum hominum qui sensibus utuntur omnibus et perfectis. Utique organo deficiente res pauciores cognoscent, de rebus paucioribus cogitabunt; sed nullus est sensus cujus defectus impedire possit, ne rationis usus plenus et integer fiat; noscuntur cæci, qui simul et surdi sunt et muti; noscuntur miseri, qui tribus, imo et pluribus sensibus simul carent, et quorum ratio perfecta est, et mens ejusdem ac aliorum hominum naturæ, iisdem facultatibus et operationibus præstans (1).

Itaque sensus occasiones et conditiones esse possunt mentis operationum, quatenus mentis alacritatem excitent et menti cogitandi materiam subministrent; sed mentis aut mentis operationum causæ esse nequeunt, atque a mente differunt ipsâ suâ essentiâ.

(1) Inter alios Anna Temmermans et Laura Brigman. Vid. *Recherches sur les connaissances intellectuelles des sourds-muets, etc. Louvain, 1847*, et *Notice sur Anna Temmermans, par M. l'abbé Carton.*

367. 6° Nisi animus penitus differret a corpore et a corporis viribus, profecto, ubi morte appropinquante corpus deficit et corporis vires decrescunt, eâdem proportione minui deberet animi vigor et serenitas; atqui sæpe sæpius res omnino aliter se habet. Nam *a*) sæpe fit ut, ubi corpus jam in eo est ut resolvatur et in partes decidat, velut inter medias domicilii sui ruinas posita mens æque viva, sana, serena, præstans vigeat ac olim, dum corpus sanum et validum esset. Quin etiam *b*) subinde ægroti reperiuntur, qui, eo ipso momento quo, corpore consumpto, e vita excessuri sunt, majorem mentis alacritatem, majorem animi vigorem et ingenii præstantiam experiuntur et exhibent, quàm unquam in vitâ suâ exhibuerunt, ut philosophus Herder et amicus ille physiologistæ Burdach, de quo hic loquitur in opere suo (1). Imo *c*) non rarissime fit, ut homines, qui corporis vitio jam diu rationis usu destituti fuerant, quum morti proximi sunt, probabiliter quod corporis impedimentum nunc cessat, facultatum suarum liberum exercitium recuperent. Cujus rei aliquot exempla affert scriptor Hollandus Schroeder van der Kolk (2). — Hujusmodi ingenii sui elationem ægroti nonnunquam exhibent, dum inter alia stupenda mortis suæ horam aliaque adjuncta ita præsentiunt, ut magnetismi historia nihil proferat mirabilius (3).

368. Ad finem hic pro tironibus notamus, singula argumenta quæ protulimus rem propositam singulatim conficere, atque adeo si cui unum alterumve non satis firmum videretur, quod ejus fundamentum, v. g. magnetismi phænomena, non satis cognosceret, non ideo aliorum probandi vim vel minimum minui.

(1) *Die Physiologie als Erfahrungs-wissenschaft*, tom. 3, p. 614. Hujus et nunc proxime *c*) memorandæ rei exempla plura adfert F. Devay, *Gazette médicale de Paris*, 15 *janvier*, 1848, et *Revue catholique*, *mars*, 1848.

(2) *Over het verschil van doode natuurkracht*, *levenskracht en ziel.*

(3) Præsensiones generatim spectatæ sæpissime falsæ, sed interdum omnibus certæ veritatis characteribus vestitæ sunt, nec ullâ ratione cum materialismo possunt conciliari.

§ III.

SOLUTIO DIFFICULTATUM.

369. Ut iis inhæreamus quæ juvenibus forsan negotium facescere possint, tres materialistarum difficultates ponderare nobis proponimus, scilicet quas deducunt 1° ex animi defectione sive deliquio, 2° ex naturâ materiæ cui mentis operationes tribuunt, 3° ex signis animi dotum quæ corporis forma exhibet. Nempe

370. I) Cum Broussais aiunt : Adeo verum est, mentis actus a corpore tanquam a causâ suâ pendere, ut actus illi semper pro corporis statu debiles, fortes, mediocres, etc. sint in infantiâ, in provectiore ætate, in senectute, at præsertim in animi deliquio, ubi cessante corpore etiam mentis actus omnino cessant, et *psyche*, ridendo addit, prorsus evanescit.

371. *Resp.* Jam bis ostendimus (322 et 365), mentis actus non tantum corporis statui respondere, quantum volunt materialistæ; etiam vidimus, si tantum responderent, inde quidem sequi corpus esse eorum necessarium instrumentum, at causam non item (317). Adhæc, quod ad infantiam spectat, præter organorum defectum, impotentiam, debilitatem, ignorantia, in quâ pueri versantur, rationem continet, cur ipsorum mentis actus sint, quales esse cognoscuntur. Sed hoc loco præsertim de animi deliquio, ut vocatur, nobis loquendum est.

Age vero 1° hoc ipso quod corporis organa tanquam instrumenta ad animi exercitationem necessaria habentur, qualia habentur a plerisque philosophis a materialismo maxime alienis, plane concipitur, quî necessario fiat ut deficientibus organis animi actus cessent, etsi propterea animus non cesset existere. Quid enim vetat quominus animus existere pergat, etsi nullum actum efficiat peculiarem, præsertim nullum actum qui distincte percipiatur, dummodo agendi potentiam retineat?

2° Fieri etiam potest ut organorum, saltem organi interni, cerebri, interventus in præsenti hominis statu necessarius sit,

non ad omnem quidem animi actum, sed ut animus actus suos clare percipiat et eorum aperte conscius fiat. Porro, si res se ita habeat, inter animi deliquium animus non cessat agere, longe minus existere, sed solummodo desinit distincte percipere, et hinc impeditur quominus postea actuum suorum memor esse possit. Omittimus fere dicere, organis ita deficientibus ut in animum agere nequeant, necessario cessare sensuum impressiones, quæ non causæ, sed occasiones et conditiones saltem plerumque necessariæ sunt operationum animi.

3° Fieri potest et reipsa sæpe fit ut animus certo pergat agere, nec tamen actus suos patefacere seu exhibere possit. *a*) Illud quidem sicut in somno accidit (280), ita in morbis quibus organorum functiones intermittuntur. *b*) Varia porro sunt exempla hominum qui apoplexiâ sive nervorum stupore quodam perculsi adeo rationis compotes erant, ut non solum eorum mens intra se ageret, sed etiam quæ extra fiebant clare perciperet, nec ullo tamen vel minimo signo ostendere poterant se quidquam mente agere aut percipere (1). *c*) Interdum contingit ut homines catalepsiæ vel epilepsiæ obnoxii, si loqui cœperunt dum morbo corripiuntur, quamdiu morbi tentatio durat, immoti hæreant, sed, eo ipso momento quo morbus cessat, orationem seu locutionem morbo interruptam continuent, perinde ac si sine ullâ intermissione locuti fuissent (2). Atqui casus ille facillime

(1) En hujusmodi quædam exempla in Appendice, *Not.* K.

(2) « Petétin, dans son ouvrage sur la catalepsie, cite une dame qui achevait, après ses attaques, les phrases qu'elle avait interrompues par la perte de connaissance, et continuait la conversation où elle l'avait laissée. M. Esquirol (*Mémoire sur l'épilep.* ou v. 1, p. 272.) rapporte le fait d'une autre dame sujette, par cause héréditaire, à de fréquentes attaques d'épilepsie dont la durée n'était que de quelques secondes, et qui reprenait ses phrases au mot où elle les avait suspendues, sans se douter aucunement de ce qui venait de lui arriver. Poupart (*Mém. de l'acad. royale des sciences*, an 1705, p. 50, observ. anatom.) a observé une fille qui présentait le même phénomène. « Si elle avait, dit-il, commencé un discours » que son accès ait interrompue, elle le reprend précisément au même » endroit où elle l'avait quitté, et elle croit avoir parlé tout de suite. » L'idée persistait donc dans l'esprit de ces malades et ne s'effaçait pas de

intelligitur, si mens, interea dum organa impedita erant, cogitare non destitit, et loqui velle perrexit; tunc mens erga corpus eodem modo se habet ac homo ambulans qui, dum progredi vult, vento aliove obstaculo aliquamdiu impeditur, et obstaculo cessante jam progreditur eo voluntatis impulsu qui non fuerat interruptus, sed ad vere progrediendum non sufficiebat. Sed contra si ponas, non animum ab organo distinctum, sed organum, quod impeditum erat, se ipso orationem interruptam continuare, idem facis, ut recte monet Forichon (1), ac is qui contenderet, brachia telegraphi, aliquamdiu vento retenta, aliquanto post sibi permissa, jam per se continuare motus qui significent ideas recte cohærentes cum ideis ante impedimentum descriptis. Itaque verissimum est, ex eo quod animus actus suos nullo modo patefacere potest, minime sequi animum nunc non agere, et multo minus sequi ex eo quod actus suos non patefaciat, vel etiam ex eo quod ipse se agere non sentiat, eum ita evanuisse ut jam non vere existat.

372. II) Actus mentis, inquiunt, non tribuimus materiæ rudi, crassæ et inerti; sed 1° eos tribuimus materiæ subtiliori, tenuiori, perfectiori, v. g. materiæ electricæ. 2° Eos tribuimus materiæ organisatæ, seu potius organisationi; sicut sonos musicos non tribuimus materiæ cuicunque, sed organisatæ sive in instrumentum conflatæ. 3° Eos tribuimus materiæ activæ; constat enim, materiam non ita esse inertem ut mere sit passiva; præterea receptum nunc est, saltem apud multos philosophos, materiam tanquam elementis primariis constare viribus activis, atque adeo materiam in se et essentiâ suâ nihil aliud esse quam vim activam. 4° Quum omnes materiæ proprietates nemini cognitæ sint, et indies novæ quædam detegantur, olim forsan reperiemus, cui materiæ qualitati mentis actus tribui debeant.

l'intellect avec la puissance de la manifester. » Ita Forichon, *Du matérialisme*, etc. p. 296.

(1) Ibid. p. 299.

373. *Resp.* Asserta illa minime sufficiunt ad evincendum illud quod materialistæ volunt. Nam

1° In omni materiâ, etiam subtilissimâ et tenuissimâ, reperiuntur proprietates quædam constantes quæ cum mentis actibus stare nequeunt, quippe quum his ex adverso oppositæ sint. Etenim omnis materia, etiam electrica, cæce agit ac necessario et iisdem in adjunctis semper eodem modo; mentis autem actus characteribus præstant omnino contrariis. Quantitas actionum materiæ cujusvis, dummodo actionum adjuncta cognita sint, mathematice definiri etiam in antecessum potest, mentis actuum minime, quia proficiscuntur a causâ seu a principio suî conscio et compote, libero et pro libitu varie agendi facultate prædito.

2° Organisatio, quæ stricte loquendo nihil aliud est quam ordinata materiæ compositio, nullam mutat aut mutare potest materiæ proprietatem primariam. Materia in organa conflata non minus cæca est, et necessario ac semper eodem modo agens, quam materia maxime rudis et crassa. Quod si materiæ in organa concretæ accedat aut inhæreat aliud principium, a materiâ distinctum, velut animus, huic utique aliæ et contrariæ proprietates, facultates et virtutes inesse possunt. Denique quod additur de instrumento musico, quocum cerebrum nostrum meritò comparatur, materialismo nihil proficit, tum quod hujusmodi instrumento proprietates primariæ eædem sunt ac elementis corporeis e quibus compositum est, tum quod, quantumvis perfectum sit, nullum unquam sonum ediderit, nisi causa ab ipso prorsus alia eo utatur.

3° Quidquid censeatur de dynamismo illo exclusorio, quo nititur objectio, nihil inde pro materialismo erui potest. Nec nobis materia mere passiva videtur, aut materiæ inertia in eo consistere quod hæc omnino passive se habeat; sed materiam inertem dicimus, quod ipsa suos motus variare vi suâ nequeat, at semper cæco, necessario et eodem modo agat. Demus igitur, si adversariis placeat, materiæ elementa nihil aliud esse quam collectionem virium activarum, et materiæ essentiam in vi ac-

tivâ quâdam positam esse; vis illa activa tamen a vi activâ, quæ animi essentiam constituit, omnino differt, et ipsis quidem proprietatibus suis primariis et constantibus. Vis enim activa quæ, si ita velis, materiæ essentiam constituit, certo sine suî conscientiâ, sine libertate, sine varietate agit; contra vis activa, in quâ animi essentia consistit, suî conscia est, vere libera, et pro arbitrio diverse agendi potestate prædita. Itaque, etiamsi concedatur materiam nihil aliud esse quam vim per se ipsam seu sponte suâ activam, illa tamen nihilo minus essentiâ suâ et differt ab animo et mentis actus efficere nequit.

4° Qui mentis actuum causam in materiæ proprietatibus forsan olim detegendis quærit, longe minus sapit et longe majorem inscitiam prodit, quam medii ævi physici qui naturæ phænomena, quarum causas ignorabant, generatim tribuebant corporum qualitatibus occultis. Is præterea, ut causam cognitam neget, non scientiam profitetur sed scepticismum. Attamen nec hinc opem ullam opportunam expectare potest; nam, etsi verum sit plures materiæ proprietates nondum cognitas aliquando detegi posse, certum tamen est, fieri non posse ut illæ proprietates contrariæ sint proprietatibus materiæ jam certo cognitis; atqui certum nunc est, materiam naturâ suâ esse inertem, seu cæcam, et necessariò et semper eodem agentem modo; ergo frustra et stolide exspectatur, ut olim proprietatibus contrariis ad mentis exercitium necessariis se præditam præstet.

574. III) Tam certum est, aiunt, mentis actus a corpore, præsertim a cerebro proficisci, ut corporis et inprimis capitis forma a viris sagacissimis pro certo mentis facultatum signo habeatur. Hoc utique nixi principio P. Camper ex angulo faciali, Lavater ex physionomiâ, Gall et Spurzheim ex cranii prominentiis mentis facultatum qualitatem et quantitatem dimetiebantur.

575. *Resp.* Qui mentem advertit ad intimum quod inter corpus et animum commercium intercedit, minime mirabitur, homines sciendi cupidos quovis tempore, ut Aristotelem apud Græcos, Albertum Magnum et S. Bonaventuram medio ævo, et hac ætate

plures, in corporis conformatione, constitutione, habitu signa quæsivisse quibus de interiori animi statu judicarent; nec omne ejusmodi judicium tanquam insulsum aut temerarium haberi potest. Etenim, *a*) quum providus naturæ auctor omnia condiderit ordine, pondere et mensurâ, consequens est ut generatim principiis superioribus meliora adaptaverit instrumenta, atque adeo v. g. hominum quam brutorum animalium animis organa perfectiora accommodaverit. *b*) Corpus et præcipue cerebrum animi instrumentum est, saltem ad plerasque mentis operationes necessarium; jam vero, quo aptius et commodius est instrumentum quo uti debemus, eo libentius et frequentius illo utimur; atqui usu et exercitio animi nostri facultates maxime perficiuntur; ergo eam ob rem ex corporis formâ jam aliquantulum de animi dotibus conjicere licet. *c*) Instrumentum vivum seu organum quodvis usu congruo expanditur, augetur, roboratur, perficitur; usu cessante debilitatur, enervatur, minuitur; usu naturæ suæ contrario depravatur. Unde iterum sequitur, organorum formam non omnino nihil significare posse de animi statu. *d*) Accedit, plerosque animi sensus, quo tempore iis afficimur, in oculis, fronte, vultu vel reliquo corporis habitu immutationem quamdam producere, quæ patenter distingui possit; hinc naturaliter fit ut, si animus aliquo affectu persæpe et ex consuetudine turbetur, inde corpus etiam contrahat rugas, sinus aut lineamenta quædam, quæ in facie et aliis corporis partibus velut impressa manent; quæque proinde non omni significatione destituta dici debent. *e*) Itaque negari nequit, a diligentibus et peritis naturæ scrutatoribus nonnulla cum prudenti conjecturâ ex corporis nostri formâ et habitu affirmari posse de animi nostri statu, facilitate, habitu et affectibus. *f*) Verumtamen, *α*) quum homo vere liber sit, *β*) quumque facilitas et affectus non necessario ducat ad actum, *γ*) quum denique corporis forma sæpe ab hæreditate vel ab aliâ quam cui facile tribuitur causâ veniat, indicia quæ ex corporis partium conformatione sumuntur nunquam haberi possunt tanquam animi signa omnino certa et indubia. *g*) Longe minus

inde aliquid effici potest pro materialismo. *h*) Unde etiam P. Camper et Lavater nunquam materialismi incusati fuerunt. Et quanquam phrenologia hodie a materialistis fere solis colatur, Gall et Spurzheim ejus systematis auctores se a materialismo prorsus alienos aperte declarant (1).

His in universum positis et agnitis, jam paucis verbis de tribus illis systematibus singulatim loquamur.

376. A) *Angulus facialis* qui vocatur, quod faciei formam designat, efficitur intersectione duarum linearum, quarum una ducitur ab auriculæ meatu auditivo ad basim seu infimam partem narium, altera a frontis parte maxime prominente ad maxillæ partem anteriorem cui dentes incisores infixi sunt. Ex hujus autem anguli latitudine P. Camper varias hominum gentes, alii ingeniorum præstantiam definiebant, hoc nixi principio : quo major seu quo magis apertus sit angulus facialis, eàdem proportione majus esse cujusque ingenium ; quum anguli illius latitudo indicet amplitudinem cerebri partis anterioris, quæ ingenii organum est, ut alii volunt, præcipuum, ut alii, solum. Porro P. Camper notavit (2), angulum facialem simii satyri habere gradus 58, hominis nigritæ et Kalmuci 70, hominis Europæi 80, statuarum romanarum 95, græcarum 100. At P.P. Broc (3) angulum facialem tribuit simio satyro graduum 60-66, homini nigritæ graduum 61-75, homini flavo 76-85, homini coloris ænei 80-85, homini albo 80-90 (4).

377. Age vero calculos illos libenter accipimus ut veritati passim consentaneos ; sed inde nihil pro materialismo concludi

(1) « Il n'existe suivant moi, inquit Gall (*Sur les fonctions du cerveau*, tom. I, p. 243), qu'un seul et même principe, qui voit, sent, goûte, entend et touche, qui pense et qui veut ; mais il a besoin de divers instruments matériels, sans lesquels l'exercice de toutes ces facultés lui serait impossible. » — « J'admets l'âme comme un être immatériel renfermé dans le corps, » ait Spurzheim (*Observations sur la folie*, etc. pag. 106).

(2) *Différence des traits du visage*. Utrecht, 1791.

(3) *Essai sur les races humaines*, Bruxelles 1837.

(4) Simius satyrus junior majorem habere solet angulum facialem quam ætate provectâ; unde varii scriptores ei varios repererunt gradus.

posse videt quisquis animo attendit ad ea quæ paulo ante monebamus (375). Itaque, nisi aliud constet ex signis omnino certis, angulum facialem valde apertum pro indicio facilioris ingenii habemus, quia ejusmodi angulus indicat cerebrum majus seu instrumentum animi aptius. Verumtamen turpiter erraret, qui in hujus anguli latitudine signum ingeniorum differentiæ certum reperiri crederet. Nam *a*) apud multos Europæos imo et nostrates nulla proportio inter angulum facialem et ingenii præstantiam detegitur, ut quisque facile experiri potest. *b*) Nonnullæ gentes barbaræ ac stupidissimæ angulum facialem tantum habent quantum inter Europæos populi præstantissimi (1).

378. B) *Physiognomonia*, prout Lavater eam excoluit, hominem interiorem cognoscere sibi proponit ex toto homine exteriore ; atque eum in finem animi facultatum, sensuum, affectionumque signa quærit non in vultu tantum, sed et in corporis constitutione, quod temperamentum dicitur, in capitis formâ et amplitudine, in sono vocis, in habitu et gestibus, ac singularum exteriorum corporis partium conformatione, at

(1) Hoc ultimum assertum exemplis et documentis non recusandis probavit Forichon et in opere quod inscripsit *Examen des questions scientifiques de l'âge du monde et de la pluralité des espèces humaines*, pag. 545 sqq. et in scripto sæpe laudato : *Le matérialisme et la phrénologie combattus*, liv. 1, ch. 5. Horum documentorum excerpta quædam habes in libro *De l'origine de l'homme et de l'unité de l'espèce humaine*, ed. Louvain, 1844, pag. 114-116 et 220. Hic unam tantum hanc referemus notam ex libro *Le matérialisme*, etc. p. 155 :

« Les naturalistes de *la Coquille* (Voir M. Lesson, *Suite* à Buffon, tom. II, p. 155) ont comparé les crânes de plusieurs de ces peuples ; voici un extrait du résultat qu'ont donné leurs mesures :

	Franç.	Papous.	Alfour.	N. Zél.
Diamètre occipito-frontal.	0m, 185	0,176	0,103	0,180
Diamètre bipariétal.	0 , 131	0,144	0,126	0,131
Diamètre sphéno-bregmatique.	0 , 135	0,142	0,135	0,142
De la protubérance occipitale à la symphyse du menton.	0 , 185	0,000	0,217	0,198
Diamètre antéro-postérieur du trou occipital.	0 , 034	0,036	0,034	0,054

Nomina in hac notâ abbreviata hæc sunt : Français, Papous de Waigiou, Alfourous de la Nouvelle Guinée, Nouveaux Zélandais.

præcipue in omnium illorum signorum comparatione et consensione.

379. Jam vero quatenus hoc systema hominem vere liberum esse agnoscit, et in corporis formâ nihil aliud quærit quam signa probabilia animi potentiarum, affectionum et habitudinum, profecto nihil continet quod materialismo faveat aut rectæ rationi repugnet. Et nos miramur quidem, hoc systema, quod hominem externum totum contemplatur, non majori studio coli quam phrenologiam, quæ ut hominis cognoscendi via ipsi longe inferior est, quia unam tantum corporis partem considerat, et immobilem quidem, ubi motus interni a mentis actibus in eâ excitati minime cerni possunt (1). Sed quum hæc theoria hodie plures habeat patronos, de eâ paulo longius disserere oportebit.

380. C) *Phrenologia* sibi proponit hominis propensiones, affectus, facultates cognoscere et interpretari ex solâ externâ cranii formâ. In eo systemate tanquam tres partes distinguimus : 1° cognoscendi methodum seu cranioscopiam, 2° facultatum nostrarum divisionem, 3° systematis finem et usum.

381. Etenim 1° phrenologistæ cerebrum non habent ut organum unum, sed velut compositum ex pluribus organis, quæ omnia qualitates aliquas communes habent et singula proprietates et operationes quasdam peculiares. Organa illa conflata sunt ex quibusdam fibrarum fasciculis, quos cerebri circumvolutiones appellant. Singulis illis organis singulæ mentis nostræ facultates affixæ sunt, ita quidem ut ipsa organa ab aliis ut facultatum earum instrumenta, a materialistis autem ut facultatum principia habeantur. Ea organa cranium sublevant, et ita in externâ

(1) Quum physiognomonia non tantum conducat ad hominem internum utcunque cognoscendum, sed etiam valde utilis sit ad recte interpretanda artis opera, velut statuas et picturas, operæ pretium esse duximus in APPEND. *Not.* L, brevem hujus systematis descriptionem referre ex *Compendio theologicæ veritatis*, lib. II, cap. 58 et 59, ut pateat quid de eo censuerint antiqui et medii ævi sapientes. Suademus ut cum eâ descriptione conferatur descriptio, quam habet Descuret, *La médecine des passions*, p. I, ch. 5, quæ longior est quam ut hic transcribi possit.

cranii facie prominentias efficiunt, quibus ipsa facile distinguuntur. Ubi igitur cranii prominentiæ desunt, facultates et organa deesse dicuntur; ubi adsunt prominentiæ majores vel minores, facultates æquâ proportione majores vel minores adesse putantur.

Doctor Gall, primus systematis auctor, 27 organa et totidem facultates in universum distinxit; at Spurzheim, Galli adjutor, 35 organa facultatesque agnovit, quibus paulo ante quam moreretur duo nova adjunxit. Organa illa in tres tribuuntur ordines. Primus ordo, qui complectitur propensiones hominibus et bestiis communes, cerni potest ad cranii partem posteriorem et in utroque latere inferiorem. Secundus, qui continet affectus homini proprios, reperitur in cranii parte superiori. Tertius, ad quem pertinent ingenii facultates, partem cranii anteriorem, præsertim frontem occupat (1).

2° Phrenologistæ mentis humanæ facultates eâ ratione partiuntur, ut ipsorum divisio plurimas contineat facultates, quæ apud homines plures vel pauciores, non apud omnes reperiuntur; sed frustra in eâ quæras plerasque facultates quæ omnibus hominibus communes sunt, ut memoriam, imaginationem, judicium, rationem, voluntatem. Hæ facultates a phrenologistis secundariæ censentur; quare secundum Gall singulis hominibus non una memoria, v. g. una judicandi et una imaginandi facultas est, sed facultates illæ secundariæ omnes ad quamque ex facultatibus secundum phrenologistas primariis velut ejus proprietates pertinent (2); quin imo ratio et voluntas non veræ

(1) Vid. brevis horum organorum descriptio in Append. *Not.* M.

(2) Hæc asserta ea sunt ut ipsis phrenologistarum verbis referri debeant: « La faculté intellectuelle et toutes ses sous-divisions, telles que la perception, le souvenir, la mémoire, le jugement, l'imagination, ne sont pas des facultés fondamentales, mais seulement leurs attributs généraux. » Gall, *Anatomie et physiologie du système nerveux*, tom. IV, p. 327, « Toutes les facultés intellectuelles sont douées de la faculté perceptive, d'attention, de souvenir, de mémoire, de jugement, d'imagination. » Ibid. p. 328. « Les penchants et les sentiments ont aussi leur jugement, leur goût, leur imagination, leur souvenir et leur mémoire. » Ibid. p. 344. — « Spurzheim accorde bien que la perception, la mémoire, l'imagination, le jugement, ne sont pas des facultés primordiales, mais seulement des modes

facultates sunt, sed potius aliarum facultatum effectus, *résultat* (1).

3° Secundum immoderatos, præsertim materialistas nonnullos hujus systematis sectatores, phrenologia est scientia prima et universalis, cujus finis præcipuus est juventutis educationem, vitæ instituta, legislationem universam ad normam naturæ humanæ reducere.

382. In hanc theoriam hæc animadvertenda esse videntur. Phrenologia per se nec libero hominis arbitrio obest, nec materialismum continet, nec *a priori* probari potest eam rationi esse contrariam; quin etiam suam utilitatem habere posse videtur, si, intra experientiæ externæ limites manens, non negaret quæ constant experientiâ internâ, neque ex factis externis aliud quidquam colligeret præter illud quod continent, neque phænomena quædam peculiaria tanquam leges universales proponeret. Si ita moderata esset, perfici probabiliter posset, et ad seriæ disciplinæ formam evehi; sed hactenus veræ scientiæ characteribus destituta est.

283. Nam 1° quod ad cranioscopiam seu phrenologiæ observandi methodum attinet, ea hactenus tam imperfecta est ut nesciam quid responderi possit ad hæc quæ doctor Cerise ei opposuit (2): « 1° Externa cranii superficies non exhibet formam » superficiei cerebri (3). 2° In casibus longe plurimis cranii pro-

d'action de ces dernières; mais il nie que ce soient des modes d'action de toutes sans exception. Suivant lui les facultés affectives en sont dépourvues... Ce sont les facultés intellectuelles qui ont tout cela pour les facultés affectives, et qui l'ont en outre pour elles-mêmes. » F. Lelut, *Qu'est-ce que la phrénologie?* p. 232, édition de Bruxelles.

(1) « Gall avait défini la raison *le résultat de l'action simultanée de toutes les facultés intellectuelles* (t. IV, p. 34); il définit de même la volonté *le résultat de l'action simultanée des facultés intellectuelles supérieures* (ibid.) » P. Flourens, *Examen de la phrénologie*, p. 29.

(2) *Exposé et examen critique du système phrénologique.* Hoc opus commendaremus, nisi auctor examen suum nonnullis Sansimonianis placitis corrupisset.

(3) Jam ante notavimus (64), cerebrum ipsum a cranio separatum esse fluido quodam interposito.

» minentiæ et depressiones nihil commune habent cum facul» tatibus quæ iis tribuuntur (1). 3° Plures cerebri circumvolu» tiones cranium non attingunt, atque adeo forinsecus observari » non possunt. 4° Cerebri circumvolutiones, quas prominentiæ » significare perhibentur, non possunt examinari nisi post mor» tem, et postquam cerebrum detectum est; quare accuratæ » observationes rarissimæ et difficillimæ sunt. 5° Ut circum» volutiones magis aut minus evolutæ dici possent, fieri posse » oporteret ut submitterentur mensuræ accuratæ et immutabili, » quæ in anatomià poni nequit. 6° Facultatum vis nec sem» per consentit nec semper potest consentire cum circumvo» lutionum amplitudine; etenim nutricationis, temperamenti, » educationis, medii physici, in quo vivimus, adjuncta faciunt » ut facultates illæ sæpe et necessario se omnino aliter habeant » quam cerebri evolutio. 7° Circumvolutiones ipsæ, ut probant » doctoris Gall opera anatomica de cerebro, non sunt organa, » sed formæ externæ organorum sive extremitates organorum » in interiori cerebro profunde latentium, et quorum expansio » ampla esse potest nec sensibus tamen percipi; etiam variare

(1) Hujus rei, quæ cranioscopiam penitus evertit, exempla plurima ubique obvia sunt : « Entre mille faits, inquit De Breyne, *Pensées d'un croyant catholique*, que l'on pourrait citer, je n'en rapporterai que deux ou trois des plus connus, de Fieschi, de Lacenaire et d'Avril. Les principaux traits de Fieschi ont été : absence de l'organe de destructivité et de celui de la ruse, et développement de l'organe de la bonté. Chez Lacenaire (Lacenaire a déclaré avoir participé à sept assassinats suivis de vols, il professait l'athéisme) absence complète de l'organe du vol, présence de l'organe de la bienveillance et de la théosophie, cette dernière surtout visible. Chez Avril les penchants sanguinaires, ceux du vol et de la ruse sont inappréciables; en revanche ceux de la bonté, de la théosophie, de la justice sont d'une dimension peu commune et dominent tous les autres... Voyez la *Revue médicale*, mars 1836, et la *Gazette médicale de Paris*, 1836. » — « M. le docteur Leuret, ait Forichon, *Le matérialisme, etc.* p. 148, a mesuré 2000 têtes par rapport aux organes du meurtre et autres mauvais penchants, qu'il a d'abord appréciés chez les criminels de Bicêtre, et il a trouvé que ces organes, avaient, terme moyen, 7 millimètres de moins en développement chez les criminels que chez ceux qui ne l'étaient pas. »

» possunt formæ illæ nec influere tamen in functiones. 8° Quum » plures circumvolutiones æque explicatæ sunt, distingui nequit » a quanam earum facultas quædam pendeat. 9° Cerebri læ- » siones, quas observat pathologia, nunquam aut vix unquam » unam tantum circumvolutionem afficiunt; quin etiam cir- » cumvolutionum læsiones nunquam constanter sequuntur per- » turbationes facultatum quæ ab illis pendent (1). » His animadversionibus, quas auctor late probat etsi pleræque per se patent, Cl. P. Flourens addit (2), secundum doctorem Gall animi organa sita esse ad cerebri superficiem, se tamen multis experimentis probavisse, fieri posse ut ab animalium cerebro portiones satis amplæ sive antrorsum sive retrorsum sive dextrorsum sive sinistrorsum amputentur, nec ullam facultatum suarum animalia amittant (3).

(1) Hæc animadversio, quæ vel sola cranioscopiam et materialismum plane refellit, omnino probatur tum in Append. *Not.* H, tum aliis exemplis plurimis. Inter ea quæ Forichon ex Andral exscripsit, hæc habet : « M. Andral rapporte 14 histoires d'abolition de la parole sans aucune altération des lobes antérieurs; 7 sont relatives à des maladies du lobe moyen, 7 à des maladies du lobe postérieur. En somme, M. Andral a vu que sur 37 cas, dans lesquels les lésions siégeaient dans un des lobes antérieurs du cerveau, ou dans tous les deux à la fois, la parole a été conservée 16 fois... On peut dire, en thèse générale, d'après les faits fournis par l'anatomie pathologique, qu'il n'y a pas de lésion de l'encéphale qui ne puisse survenir sans trouble des facultés intellectuelles, et par inversion que la lésion de l'une des parties quelconques du cerveau peut amener la perte d'une même faculté, celle de la parole p. e., comme aussi abolir toutes les facultés à la fois. » *Le matérialisme, etc.* p. 145. His similia hæc leguntur in *Gazette médicale de Paris*, 15 janvier 1848 : « M. Rochoux a déclaré devant l'Académie posséder deux ou trois cas de lésion des *deux lobes antérieurs* avec conservation parfaite de la parole. »

(2) *Examen de la phrénologie*, pag. 67.

(3) Hominis cum bestiis collationem phrenologiæ non favere patebit ex n. 424, atque ex his quæ habet Forichon, *Le matérialisme, etc.* p, 150 : » La plupart des organes qui sont à la partie antérieure du front et que l'on appelle intelligence de luxe existent d'une manière très-prononcée chez plusieurs animaux. L'organe de l'esprit de saillie, de la métaphysique se trouve chez le mouton; les organes qui font les philosophes, les savants, les artistes, existent aussi chez cet animal, chez le bœuf, l'âne et la chèvre... (Auctor hic plura alia adfert exempla). Mais voici un fait, très-

Vix necesse est adjicere, materialistas phrenologiæ defensores, qui cerebri circumvolutiones non pro instrumentis sed pro facultatum principiis habent, etiam confutari iisdem argumentis quibus materialismus in universum refellitur.

384. 2° Pars psychologica hujus systematis experientiæ internæ et rationi contraria est ac prorsus insulsa. Nam *a*) absonum est, tanquam facultates primarias et primigenias exhibere, quæ non apud omnes homines reperiuntur, et facultates, quæ vere primariæ sunt et omnibus hominibus communes, habere pro proprietatibus facultatum peculiarium. *b*) Absonum est singulis facultatibus phrenologicis suam præbere perceptionem, suam memoriam, suum judicium, etc. ab aliarum perceptione, memoriâ, judicio distincta. Nonne inde sequeretur uni homini, qui 20 v. g. facultates primarias haberet, item 20 esse memorias, 20 imaginandi, 20 judicandi facultates? atque adeo 20 mentes sive ingenia individua (1), 20 conscientias, 20 animos? *c*) Absonum est et psychologiæ contrarium in recensione facultatum primarum nullam habere rationem conscientiæ, rationis et activitatis omnium præstantissimæ, voluntatis. *d*) Insulse agit et sensui intimo adversatur qui rationem et voluntatem tanquam effectus tantum et consectaria (*résultats*) aliarum facultatum perhibeat. *e*) Cum sanâ ratione denique pugnat, nec minime ferendum est, quod phrenologistæ plerique volunt de libero hominis arbitrio. Gall non solum voluntatem merum effectum esse proclamat, sed etiam libertatem ita definit ut strenuissimi fatalistæ ipsi assentiri possint (2);

remarquable... Le mouton a la partie antérieure du cerveau beaucoup plus développée que le chien ! »

(1) « Chaque intelligence individuelle a son organe propre. » Gall, *Anatom.* t. 4, p. 341.

(2) « La liberté morale, dit-il (tom. II, p. 100), n'est autre chose que la faculté d'être déterminé et de se déterminer par des motifs. » Et paulo post (ib. p. 137) : « C'est une loi de la liberté morale que l'homme soit toujours déterminé, et qu'il se détermine par les motifs les plus nombreux et les plus puissants. »

» possunt formæ illæ nec influere tamen in functiones. 8° Quum » plures circumvolutiones æque explicatæ sunt, distingui nequit » a quanam earum facultas quædam pendeat. 9° Cerebri læ- » siones, quas observat pathologia, nunquam aut vix unquam » unam tantum circumvolutionem afficiunt; quin etiam cir- » cumvolutionum læsiones nunquam constanter sequuntur per- » turbationes facultatum quæ ab illis pendent (1). » His animadversionibus, quas auctor late probat etsi pleræque per se patent, Cl. P. Flourens addit (2), secundum doctorem Gall animi organa sita esse ad cerebri superficiem, se tamen multis experimentis probavisse, fieri posse ut ab animalium cerebro portiones satis amplæ sive antrorsum sive retrorsum sive dextrorsum sive sinistrorsum amputentur, nec ullam facultatum suarum animalia amittant (3).

(1) Hæc animadversio, quæ vel sola cranioscopiam et materialismum plane refellit, omnino probatur tum in Append. *Not.* H, tum aliis exemplis plurimis. Inter ea quæ Forichon ex Andral exscripsit, hæc habet : « M. Andral rapporte 14 histoires d'abolition de la parole sans aucune altération des lobes antérieurs; 7 sont relatives à des maladies du lobe moyen, 7 à des maladies du lobe postérieur. En somme, M. Andral a vu que sur 37 cas, dans lesquels les lésions siégeaient dans un des lobes antérieurs du cerveau, ou dans tous les deux à la fois, la parole a été conservée 16 fois... On peut dire, en thèse générale, d'après les faits fournis par l'anatomie pathologique, qu'il n'y a pas de lésion de l'encéphale qui ne puisse survenir sans trouble des facultés intellectuelles, et par inversion que la lésion de l'une des parties quelconques du cerveau peut amener la perte d'une même faculté, celle de la parole p. e., comme aussi abolir toutes les facultés à la fois. » *Le matérialisme, etc.* p. 145. His similia hæc leguntur in *Gazette médicale de Paris*, 15 janvier 1848 : « M. Rochoux a déclaré devant l'Académie posséder deux ou trois cas de lésion des *deux lobes antérieurs* avec conservation parfaite de la parole. »

(2) *Examen de la phrénologie*, pag. 67.

(3) Hominis cum bestiis collationem phrenologiæ non favere patebit ex n. 424, atque ex his quæ habet Forichon, *Le matérialisme, etc.* p, 150 : » La plupart des organes qui sont à la partie antérieure du front et que l'on appelle intelligence de luxe existent d'une manière très-prononcée chez plusieurs animaux. L'organe de l'esprit de saillie, de la métaphysique se trouve chez le mouton; les organes qui font les philosophes, les savants, les artistes, existent aussi chez cet animal, chez le bœuf, l'âne et la chèvre... (Auctor hic plura alia adfert exempla). Mais voici un fait, très-

Vix necesse est adjicere, materialistas phrenologiæ defensores, qui cerebri circumvolutiones non pro instrumentis sed pro facultatum principiis habent, etiam confutari iisdem argumentis quibus materialismus in universum refellitur.

384. 2° Pars psychologica hujus systematis experientiæ internæ et rationi contraria est ac prorsus insulsa. Nam *a*) absonum est, tanquam facultates primarias et primigenias exhibere, quæ non apud omnes homines reperiuntur, et facultates, quæ vere primariæ sunt et omnibus hominibus communes, habere pro proprietatibus facultatum peculiarium. *b*) Absonum est singulis facultatibus phrenologicis suam præbere perceptionem, suam memoriam, suum judicium, etc. ab aliarum perceptione, memoriâ, judicio distincta. Nonne inde sequeretur uni homini, qui 20 v. g. facultates primarias haberet, item 20 esse memorias, 20 imaginandi, 20 judicandi facultates? atque adeo 20 mentes sive ingenia individua (1), 20 conscientias, 20 animos? *c*) Absonum est et psychologiæ contrarium in recensione facultatum primarum nullam habere rationem conscientiæ, rationis et activitatis omnium præstantissimæ, voluntatis. *d*) Insulse agit et sensui intimo adversatur qui rationem et voluntatem tanquam effectus tantum et consectaria (*résultats*) aliarum facultatum perhibeat. *e*) Cum sanâ ratione denique pugnat, nec minime ferendum est, quod phrenologistæ plerique volunt de libero hominis arbitrio. Gall non solum voluntatem merum effectum esse proclamat, sed etiam libertatem ita definit ut strenuissimi fatalistæ ipsi assentiri possint (2);

remarquable... Le mouton a la partie antérieure du cerveau beaucoup plus développée que le chien ! »

(1) « Chaque intelligence individuelle a son organe propre. » GALL, *Anatom.* t. 4, p. 341.

(2) « La liberté morale, dit-il (tom. II, p. 100), n'est autre chose que la faculté d'être déterminé et de se déterminer par des motifs. » Et paulo post (ib. p. 137) : « C'est une loi de la liberté morale que l'homme soit toujours déterminé, et qu'il se détermine par les motifs les plus nombreux et les plus puissants. »

at Broussais liberum arbitrium aperte impugnat sophismatibus maxime exquisitis et portentosis (1).

385. 3° Quod pertinet ad finem et usum phrenologiæ, quatenus eam præficiendam esse volunt educationi, legislationi et societatis institutis universis, ejus utilitas semper longe minor erit quàm immoderati illius defensores dictitant. Ut autem ad illa instituta quomodocunque utilis esse possit, primo certis niti debet principiis, deinde liberum hominis arbitrium non tantum non negare sed et aperte agnoscere. Qualis enim doctrina moralis, qualis jurisprudentia, qualis legislatio, qualis educatio eæ essent, quæ niterentur principiis vagis et incertis, quæque nullam haberent rationem liberi arbitrii? Quænam societatis instituta ea esse possent, quorum fundamentum esset fatalismus, qui scelera quævis tribueret organorum cuidam vitio, atque adeo ea necessario excusare deberet et absolvere?

386. Nec dicas, phrenologiam inservire ad cognoscendas juvenum facultates, propensiones et habilitates, et ad parentes et magistros eâ notitiâ dirigendos in delectu artium et scientiarum, in quibus præ cæteris liberos instituere expediat.

387. Utilitas hæc sane magna foret, si signa phrenologica certa essent, et nisi aliâ viâ puerorum et adolescentium facilitates et inclinationes possent cognosci. Hæc via, non longa quidem, et quam ipse Gall usurpabat præ cranioscopiâ, consistit in periclitandis liberorum viribus et in observandis eorum actibus et operibus, ut hac ratione pateat, ad quæ magis propensi et idonei sint. Nunc autem phrenologiæ magna non est utilitas, et quod incerta est, et quod ea quæ offert commoda aliâ viâ facile obtineri possunt.

388. Paucis igitur verbis hæc repetimus : phrenologia, qualis hactenus est, 1° nimis sæpe pugnat cum experientiâ, et nimis cito tanquam leges generales proclamavit peculiaria quædam phænomena aliis phænomenis contraria. 2° Dum psychologiam

(1) *De l'irritation et de la folie*, part. 1, chap. 6, § 4; *Leçons de phrénologie*, leçon XVIII. — Cf. supra n. 251—252.

reformare voluit, conscientiam seu sensum intimum offendit. 3° Utilitatem maximam quam jactat habere nequit. Attamen, si ipsius sectatores moderate progredi velint, si in investigandâ hominis indole attentionem suam non nimis arcte in unâ capitis parte concludant, si præsertim phænomena diligenter observent, et nihil aliud ex iis inferant quam quod continent, fieri posse censemus ut capitis exploratio judicia quædam magis ac magis probabilia suppeditare possit de hominum affectibus et habitibus acquisitis, potissimum vero de eorum habilitate ad peculiaria quædam opera, artes, scientias.

389. Itaque, iis omnibus quæ toto hoc capite tractavimus rite consideratis, inconcussum manet, animum humanum esse substantiam ab omni materiâ distinctam et vere spiritualem. Quæ materialistæ contra hanc veritatem ex bestiarum naturâ inferre conantur, in sequenti capite diluentur.

CAPUT VI.

QUID HOMO ANIMO DIFFERAT A BESTIIS.

390. Hoc loco hominem cum bestiis comparare juvat duas ob causas, scilicet ut primo ex hac collatione hominis et præsertim animi humani natura melius cognoscatur. Quas enim res absolute seu sine earum cum aliis collatione cognoscimus? Et ubi animum humanum hac viâ cognoscere volumus, nonne convenit ut, postquam eum contulimus cum corpore, hoc est cum re a quâ maxime differt, ipsum componamus cum re quæ proxime infra illum posita est, nempe cum principio a quo bestiarum actiones proficiscuntur? Altera hujus collationis instituendæ ratio est, ut luculentissime pateat, hominem a bestiâ quâvis differre non tantum aliquot perfectionis gradibus, sed ipsâ suâ essentiâ.

391. Ut porro ad hunc finem rectà et facile pertingat, ea comparatio facienda est, 1° non inter corporis conformationem organorumve perfectionem, sed inter hominis animum et prin-

cipium actionum quibus bestiæ proxime accedunt ad hominem. Nam, si ad corporis structuram et sensuum organa solum attendis, plures reperies animantes, quarum nonnullæ corporis partes vel unius alteriusve sensûs organa longe perfectiora sunt similibus humani corporis partibus et organis. Quin imo, nisi in homine consideres ea, quibus supra corporis necessitates et res sub sensuum organa cadentes elevatur, homo cunctis brutis animalibus miserabilior est. Etenim, quamvis humani corporis fabrica maximo artificio concinnata est ut aptissimum animi instrumentum sit, non a corpore, sed ab animo vera hominis præ cæteris animantibus excellentia est.

Comparatio illa, ut brevis et utilis esse possit, 2° instituenda est inter hominem et bestias generum superiorum, scilicet illas quæ præ reliquis ad hominem proxime accedere videntur per actus e quibus velut quoddam intelligentiæ lumen effulget, seu per suas potentias internas. Quales bestiæ maxime sunt equus, elephas, canis, simia, præsertim simia satyrus (*l'orang-outang*) et simia troglodites (*le chimpansé*) (1).

(1) Cl. Flourens (*Résumé analytique des observations de Frédéric Cuvier sur l'instinct et l'intelligence des animaux*) hanc gradationem laudat, ubi adfert et approbat hæc Buffonii verba : « Les animaux qui ressemblent le plus à l'homme par leur figure et par leur organisation seront, malgré les apologistes des insectes, maintenus dans la possession où ils étaient d'être supérieurs à tous les autres par les qualités intérieures : en sorte que le singe, le chien, l'éléphant et les autres quadrupèdes seront au premier rang; les cétacés (*a*) seront au second rang; les oiseaux au troisième, parce que, à tout prendre, ils diffèrent de l'homme plus que les cétacés et les quadrupèdes; et, s'il n'y avait pas des êtres qui, comme les huîtres ou les polypes, semblent en différer autant qu'il est possible, les insectes seraient avec raison les bêtes du dernier rang (*b*). » Paulo post Flourens magis definite sic loquitur : « Le premier résultat des observations de F. Cuvier marque les limites de l'intelligence dans les différents ordres des mammifères. C'est dans les *rongeurs* que cette intelligence se

(*a*) Addit Flourens hanc notam . « Depuis Buffon, les cétacés ont pris leur véritable place, qui, sous le rapport de l'intelligence, les met fort au-dessus de beaucoup d'autres mammifères. Les oiseaux ont donc le second rang. »
(*b*) Buffon, *Discours sur la nature des animaux*, tom. VII, pag. 143.

592. Age vero ad ostendendum hominem ipsâ suâ essentiâ differre a quibusvis brutis animantibus generatim quinque utemur argumentis, quorum quatuor priora depromentur ex hominis cognitione, affectu, voluntate, perfectibilitate, collatis cum iis quæ his dotibus in bestiis respondent, quintum autem ex dominatione et imperio quod homo tenet in bestias universas.

I) *Comparantur hominis et bestiarum cognitiones.*

593. Homo inprimis a bestiis omnino differt conscientiâ suî ipsius, quâ homo certissime fruitur, bestiæ autem carent. Bestiæ quidem se ipsas sentiunt æque ac infantes ante omnem rationis usum, et ideo suum appetitum sequuntur, dolorem arcent, ictus evitant, etc., at suî minime consciæ sunt. Etenim, si suî conscientiam haberent, saltem consciæ essent suæ conditionis, suarumque potentiarum et virium. Atqui has si vere cognoscerent, num illæ, quæ hominem tantopere viribus superant, ut boves, equi, elephantes, aliæ, infanti parerent, et ab infante se circumduci, duro labori adstringi et male tractari sinerent? Si conditionem suam et vires suas vere cognoscerent, num a nobis domari, imperio nostro subjici et durâ servitute nobis servire voluissent? num sine resistentiâ, sine rebellione hominis jugum portarent? Tantum abest, inquit De Bonald, ut ad stabulum seu carcerem suum ultro redirent, utve manui quâ opprimuntur blandirentur, ut contra uterentur viribus, agilitate et velocitate suis, quin etiam debiliores vires numero supplerent, ad hominis servitute evadendum, in sylvis amænâ libertate fruituræ; vel si jugo nostro se subducere fugâ

montre au plus bas degré; elle est plus développée dans les *ruminants*; beaucoup plus dans les *pachydermes*, à la tête desquels il faut placer le *cheval* et l'*éléphant*; plus encore dans les *carnassiers*, à la tête desquels il faut placer le *chien*, et dans les quadrumanes, à la tête desquels se placent l'*orang-outang* et le *chimpanzé*. Et ce fait de l'intelligence graduée des mammifères, que donne d'un côté l'observation directe, la physiologie et l'anatomie le confirment de l'autre (p. 31 et 45, ed. Paris 1841). »

non possent, saltem præ malis nimiis se ipsas enecarent. At bestiæ se ipsæ non trucidant, sed moriuntur. Ergo se ipsas et conditionem suam non sciunt.

2° Bestiæ procul dubio percipiunt res corporeas, quibus ipsarum organa afficiuntur : audiunt, vident, sentiunt; at nihil præter res concretas, externas, sensibiles, singulares apprehendunt, atque adeo his ipsis perceptionibus mere individuis, quibus homini maxime appropinquant, ab homine longissime distant. Quid enim? « Homo utique non pluribus quam animalia quædam organis instructus est, inquit Buisson, et primæ organorum functiones ubique eædem sunt, sed apud hominem hæ functiones ad usus multo præstantiores serviunt. Visu animal cognoscit rerum præsentiam, homo adhæc signa cogitationum; auditus animali suppeditat sonos, homini etiam expressiones idearum; vox apud animal est emissio soni, apud hominem instrumentum communicandi operationes intellectûs. Itaque animal videt, audit sonos et sonos emittit; homo præterea legit, audit cogitationes verbis expressas et loquitur. Quid multa? animal est ens quod sentit et se ipsum movet, homo præterea vult et agit. »

3° Bestiis nullæ sunt vere ideæ; nullas enim habent notiones seu conceptus. Ac primo ne empiricas quidem habent notiones. Quod dupliciter probatur : *a*) *A priori*, quum careant conscientiâ sui, quæ necessaria est ad eos reflexionis actus quibus hujusmodi notiones formantur (*Logic.* 43); unde etiam fit, ut attentionis speciem quamdam in nonnullis bestiis videre quidem possimus, at nullam vere mentis reflexionem abstractionemve. *b*) *A posteriori*, quum nullibi videamus a bestiis rerum imagines, quas certo habent, novo modo componi, atque adeo opus aliquod novum confici; nihil enim novi ab ipsis excogitari, nihil inveniri, nihil perfici cernimus, ne in iis quidem quæ sibi ad vitam maxime necessaria sunt. Artem nidos suos struendi, alimenta parandi, se ab hostibus defendendi nec sciunt nec perficiunt. Quidquid sponte naturâ aut hominis industriâ ipsis inditum est, datâ occasione exercent cæco in-

stinctu impulsæ; sed illud minime intelligunt aut concipiunt ([1]). Quam longe aliter se habent hæc omnia apud hominem!

4° In bestiis etiam nullæ sunt earum notionum quos conceptus puros vocavimus, utpote veritatum abstractarum quæ nullos corporis sensus afficiunt. Qui bestiarum actiones diligenter considerat, nullum hujusmodi notionum indicium in iis reperiet.

5° Multo evidentius est bestiis nullas vere notiones esse veritatum principum quæ ad ordinem moralem pertinent, ut veritatis, justitiæ, auctoritatis, virtutis, officii, juris, aut ejus, in quo hæc omnia continentur, Dei. Quis enim unquam vel minimum hujusmodi notionum vestigium in bestiâ quâpiam deprehendit? — Vivunt et sentiunt, sed vitæ tum suæ tum aliorum entium principium et finem penitus ignorant ([2]). Qui bestiarum dotes maxime verbis amplificarunt, has ideas bestiis nunquam tribuerunt. His igitur certissime et longissime ab homine distant.

6° Si judicare nihil aliud esset quam *sentire* nonnullarum rerum convenientiam, judicium bestiis negari non posset; sed quum judicium proprie dictum fieri nequeat sine quadam notionis analysi (ut patet ex iis quæ 151 de judicii genesi diximus), bestiæ autem nec veras notiones habeant nec repræsentationum suarum analysim facere possint, profecto bestiæ non vere judicant. Quod etiam ex eo confirmatur quod, ut recte monet J. J. Rousseau, ad verum judicium requiratur ut intelligatur vis et significatio verbi *est;* at quis virtutem illud concipiendi bestiæ cuiquam tribuat?

([1]) Non consideraret quid sit notio, is qui notiones bestiis tribueret, quod bestiæ v. g. visis aliquot hominibus, jam alios etiam homines distinguant, aut quod, gustato cibo quodam, jam deinceps alium ejusdem generis cibum similiter paratum agnoscant.

([2]) Imo, quod tamen minus esset, ne mortis quidem notitiam habent. Sunt utique animantes quæ patiuntur ex absentiâ vel agendi impotentiâ sui similium vel hominum quorum amœno commercio, blanditiis et favoribus fruebantur; at quantum hæc affectio instinctûs differat a verâ mortis ideâ plane intelligit, qui observat quam parum curent, seu potius quam non curent animantes tum suam ipsarum mortem tum sui similes morti proximas vel demortuas.

7° Idem dicendum est de ratiocinio. Si ad omnem actum qui convenienter fit, vel ubi post hæsitationem ex pluribus unum accipitur, ratiocinatio requireretur, bestiæ procul dubio ratiocinarentur; nam *a*) sæpe fit ut bestiarum actiones cum rebus et rerum adjunctis mire conveniant; et *b*) interdum duobus incitamentis oppositis impulsæ ita ancipites hærent, inter minas v. g. et cibi cujusdam illecebras, ut mente deliberare et ratiocinari videantur iis qui minus animadvertunt, rem quamlibet, etiam vitâ carentem, ubi per vires fere æquales oppositas impellitur, necessario librari et suspensam manere, donec altera ex iis viribus prævaleat. Verum si hæc ad ratiocinationem sufficerent, ratiocinatio etiam tribuenda esset et plantis, quæ ut hedera, ut vitis sylvestris, ut aliæ, ne pedibus conculcentur vel in terrâ putrescant, brachia sua quaquaversus extendunt et locis opportunis eorum extrema infigunt, ut a terrâ se attollant et elevata maneant, et ipsi stomacho qui, ubi semel cibum quemdam rejecit, deinde eodem cibo incitatus, velut deliberare videtur, utrum illum retinere præstet an rejicere.

Itaque, quum ratiocinatio judicii continuatio sit, proindeque saltem eadem requirat quæ judicium, bestiis illa non potius quam hoc tribui potest. Quin etiam ut ratiocinatio germanum rationis opus sit, quale illud est apud hominem perfecto rationis usu fruentem, debet esse conclusio ex principiis seu veritatibus ab omni sensu remotis, quæ profecto bestiis penitus ignota sunt.

8° Quod ad vim imaginandi pertinet, bestiis utique ea imaginatio est, quâ rerum sub sensus cadentium velut imagines efficiuntur et conservantur; imo omnes bestiarum cognitiones illâ imaginatione continentur, si stricte loqui velis; sed imaginatio producens, quam inventricem vocavimus (161), quâque hominis cognitiones tantopere augentur, neque mechanica neque æsthetica in bestiis reperitur. Non reperitur mechanica; opera enim, ad quæ perficienda et varianda ipsarum organa certo sufficiunt, nec perfectiora nec alio modo unquam faciunt, quam quo cæcâ naturâ vel hominum industriâ du-

cuntur. Multo minus reperitur imaginatio æsthetica; etenim, quamvis nonnullæ bestiæ concentu musico grate afficiantur, æque ac calore, odore vel cibo quodam suavi, quis tamen in ullâ bestiâ veram admirationem pulchritudinis notavit (1)? aut quis bestiam quamdam ex se ipsâ novum concentum musicum, etiamsi vocis organa ad eum modulandum idonea essent, componere, aut aliud artis opus conficere vidit? Ergo cæco instinctu naturæ suæ impulsum sequuntur, vel sonos sæpe auditos habitu cæco imitantur bestiæ, sed suâ imaginandi vi nihil novi unquam procreant.

9° Res similiter se habet cum memoriâ. Bestiis memoria est qualis cognitio, nempe imaginatio conservans et reproducens perceptionum sensibilium, quæ ipsis velut imagines intime inhærent et ipsas perinde ac præsentes rerum impressiones impellunt. Hujusmodi memoriæ indicia indubia exhibent vigiles, et saltem nonnullæ etiam somniantes, v. g. canes venatici, qui subinde in somnio venatum ire videntur, et prædam suam prosequi latrando et saltando, perinde ac vigiles in sylvâ. At frustra in bestiâ quæreres memoriam rei cujusdam supra sensus elevatæ aut recordationem ullam vere liberam. Itaque memoriâ bestiæ eâdem distantiâ infra hominem positæ sunt ac cæteris suis cognoscendi viribus.

10° Idem dic de signis quibus homo et bestiæ sensa sua patefaciunt. Non ii sumus *a*) qui putemus bestiis deesse instrumenta vel signa, quibus patefacere possint quæcunque experiuntur; auctor enim naturæ omnia entia tam apte concinnavit, ut ad fines suos vere sufficiant, et organa sua cum necessitatibus suis plane convenientia habeant; itaque, si bestiis quam

(1) « Nec vero illa parva vis naturæ est rationis, quod unum hoc animal (homo) sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui modus. Itaque eorum ipsorum quæ aspectu sentiuntur nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandum putat. » Cic. *Off.* I, 4.

homini minora et imperfectiora sint signa vel instrumenta ad sensa sua patefacienda, hic defectus non est causa cur ipsis minores sint ideæ et cognoscendi facultates, sed signum est quo certe constat quas cognoscendi facultates habeant.

Age vero, *b*) dum homo quibusvis utitur instrumentis quibus omnis generis cognitiones, affectus et voluntates exprimit, bestiæ aliæ tam pauca tantum instrumenta possident quam sensa patefacienda, aliæ autem, quarum organa in se spectata fere æque perfecta sunt ac organa quibus homo cogitata sua exhibet, nihil unquam significant quod sensus prætergrediatur, nullam veritatem solâ ratione cognitam enuntiant, nullum rationis signum edunt; atque adeo ipsis suis instrumentis, quæ rationis usui patefaciendo tam idonea sunt, et quibus nunquam utuntur ad aliquod rationis indicium exhibendum, bestiæ omnino probant se rationis usu prorsus esse destitutas.

Concedatur igitur *c*) bestiis præter alia instrumenta et loquela sua; sint etiam bestiæ quædam quæ ipsum hominis sermonem imitentur; quo aptiora illa signa sunt, eo clarius bestiarum ab homine distantiam ostendunt, quandoquidem evidenter probant, bestiis nullas alias esse cognitiones præter eas quas memoravimus, nullas affectiones aut voluntates quam quas nunc declarabimus.

II. *Conferuntur hominis et bestiarum affectiones.*

394. Hoc ipso quod homo non solum spiritualis sed et animalis naturæ est, magna inter hominis et bestiarum affectus affinitas intercedat, item homo omnes generales bestiarum affectus habeat necesse est. At hoc loco minime quæri debet, quid homini cum bestiis conveniat, sed quantum homo a bestiis differat, tum affectibus qui homini soli proprii sunt, tum etiam iis ipsis affectibus qui homini et bestiis sunt communes.

395. Bestiarum affectus seu potius propensiones et appetitus mere animales sunt, hoc est, a sensibus externis et internis oriuntur, sensibus diriguntur, ad sensibilia conducunt, uno verbo sensuum limitibus terminantur.

Ac 1° quidem omnibus bestiis nulli alii affectus communes sunt quam appetitus seu cupiditates mere corporales, qui duplicis generis sunt : alii ad individuorum conservationem tendunt, ut fames et sitis tum in universum spectatæ, tum ciborum et potionum quarumdam peculiarium appetentia ; alii ad speciem conservandam serviunt, ut ii qui ad proles concipiendas, partum præparandum et fetum nutriendum impellunt. In illis autem nemo aliud quidquam præter cæci instinctûs impulsum videre potuit. Præterea apud nonnullas bestias reperiuntur etiam affectus quidam, quos *sociales* vocare licet, quod ad societatem quamcunque ineundam impellunt, quo fit ut bestiæ illæ gregatim vivant, incedant et laborent, atque etiam ut pleræque præ cæteris facilius per hominis operam domesticæ evadant. At vero nec hos affectus ratione duci, sed cæcas naturæ propensiones esse, vel ex hoc liquet, quod bestiæ quæ affectibus illis incitantur, postquam instinctu materno primas curas fetibus suis dederunt, æque ac bestiæ non gregariæ, jam deinceps gregis sui consortes debiles, infirmas, senio fractas, morbis aut aliis malis laborantes non alant, non adjuvent, non curent.

Itaque 2° nulli in bestiis affectus sunt qui a principiis ratione solâ cognitis proficiscantur. Frustra apud ipsas quæreres affectus morales, non dico veritatis, pulchritudinis, justitiæ, religionis, qui nemine contradicente nimium supra earum naturam sunt, sed et honoris, pudoris, amicitiæ, hisve similes. Non ignoramus quæ dicuntur de honoris æstu equorum, quæ Buffon dixit de pudicitiâ elephantum, quæ alii dicunt de fidâ canum amicitiâ ; sed etiam scimus, phænomena, de quibus hic agitur, vera quidem esse, at nihil præter speciem affectuum moralium exhibere. Equus utique eleganti corporis sui structurâ et statione velut superbire videtur et rapido cursu suo gloriari ; sed quisque diligens naturæ scrutator hic nihil aliud quam effectum physicum superbæ membrorum formæ et corporis sani ac laute nutriti, atque ideo lasciviter exultantis, deprehendet. Vera equorum ambitio est faliscas feno plenas habere, pro viribus libere cursitare, vitare verbera, cedere calcari,

cibo dulciori ut saccharo ali, uno verbo rebus corporeis duci. Si elephas in captivitate non parit, hujus rei causa non est quærenda, ut vult Buffon, in pudore quo elephas vereretur congredi coram; sed animal captivum, hoc ipso quod extra statum suum naturalem est, propensiones naturales plures amittit. Denique canum fidelitas, mira sane est, at nullum amicitiæ sive animi grati signum exhibet; sed cæca est affectio erga eum cujus consuetudine aliquamdiu usi sunt, quo fit ut bestia illa ab hero suo durissime habita, imo in aquam suffocanda projecta, cum fune collo alligato ad herum læta redeat.

Bestiarum affectus non illustrari ratione, forte etiam clarius probat absentia conscientiæ moralis. Etenim in omnibus suis actionibus ad agendum impelluntur solis organorum externorum et internorum impressionibus, et post patrata facinora quævis nihil aliud ostendunt quam sensus suos corporeos jucunde vel injucunde esse affectos.

3° Denique bestiarum ab hominum affectionibus maxime differunt, quod nunquam libero dirigantur arbitrio, ut mox videbimus.

396. Si modo hominum affectus vel obiter consideras, hæc tria aperte videbis: 1° hominem etiam eas cupiditates, quas, quatenus animal est, cum bestiis communes habet, ratione posse non penitus extinguere, sed moderari, temperare, dirigere. 2° Eos affectus quos rationabiles et morales recte vocaveris, quod ad res ratione non sensu cognitas tendunt, homini et homini soli esse proprios. 3° Hominem affectibus suis incitari quidem, at non duci, nisi quatenus libere velit. Nam, quum ratione et libero præditus sit arbitrio, affectus suos sequi potest, vel ubi iis vult resistere, actiones facere potest contrarias affectibus suis potentissimis, ut nunc dicemus.

III. *Comparatio inter bestiarum et hominis voluntatem.*

397. Homo, quod duplicis naturæ est, animalis scilicet et rationabilis, cognitiones sensibiles et cognitiones morales possidet,

item affectus sensibiles et affectus morales experitur; at neque his neque illis necessario ducitur. Sed quum ratione utatur, quâ judicare potest quid ea omnia valeant, et libero arbitrio, quo suæ voluntatis compos est, actus horum aut illorum incitamentis consentaneos ponit, prout ipsi libuerit. Itaque, ne longus sim, sensus suos iis impressionibus aperit vel claudit, quas mavult habere vel avertere; cogitationes eas continuat, intercidit, resumit, amovet, revocat, ponderat, etc. quas vult et prout vult; itidem affectibus suis paret vel obsistit, prout vult et quibus vult. V. g. sit homo constitutus inter dolorem et utilitatem, aut utilitatem et honorem, aut honorem et virtutem, jam libere potest hanc aut illam quam præfert eligere partem, speciatim vero potest cedere dolori et utilitates suas negligere, vel contra sive conservationis sive honoris sive religionis causâ cruciatus eligere et perferre acerbissimos.

398. At quam longe aliter hæc sunt apud bestias? Cognitiones, appetitus, cupiditates, affectiones, et actus voluntatis omnes ferreâ reguntur necessitate. Bestiæ ea percipiunt quæ datâ occasione ipsarum sensus percellunt, ea recordantur quæ sensibilis naturæ necessitate in memoriam recurrunt, ea fatali instinctu persequuntur quæ affectiones ipsarum mere sensibiles hoc tempore maxime commovent. Quæ sibi grata sunt, nisi impedimento physico retineantur, necessario insequuntur; dolori non cedere non possunt. Quid plura? cæce et necessario ea faciunt, ad quæ non rationum momentis invitantur, sed sensuum incitamentis vi ineluctabili ducuntur; ut adeo ipsarum voluntas, ratione et libero arbitrio prorsus destituta, nihil aliud sit quam cæca potentia necessario faciendi actiones sensuum perceptionibus et affectionibus concitatas.

399. Porro bestiarum voluntatem non esse liberam, speciatim probant: *a*) defectus cognitionis omnium eorum quæ supra sensus posita rationem movere possunt; *b*) absentia conscientiæ sui ipsarum; *c*) perpetua actionum consensio cum incitamento sensuum vehementiori; *d*) durum servitium quod homini totâ viâ stupide præstant sine ullo suo vel suarum com-

modo ; *e*) omissio rebellionis , conjurationis , et cujusque remedii ad hominis jugum excutiendum et se ipsas in libertatem vindicandum.

IV. *Collatio hominis cum bestiarum perfectibilitate.*

400. Homo nascitur imperfectus sed perfectibilis. Initio omnium rerum ignarus est ; vix debili incitatur instinctu , qui ne ad vitæ quidem physicæ conservationem sufficeret , nisi aliorum curâ sustineretur ; principia veritatum maxime sublimium a naturâ sibi indita gerit , sed antequam alienâ institutione juvetur , nullam illorum apertam notitiam possidet. At vero ubi viâ rationi accommodatâ instruitur , intellectus seu ratio ejus formatur , evolvitur , perficitur , imo ita comparatur , ut jam nemo definire queat, quousque illa in artibus et scientiis progredi vires sibi ingenitas exercendo possit.

401. Age porro, quomodocunque artes aut scientiæ ab ingenio quodam singulari perficiantur , profectus ille toti generi humano prodest ; quæ unus homo ingenti cum labore invenit , alii facillime discunt et cum reliquis communicant. Quo fit, ut cujusvis hominis progressu totius generis humani cognitiones augeantur et perficiantur, et hinc, quemadmodum viâ institutionis, quæ rationis via et complementum est, uniuscujusque hominis facultates ingenitæ incitantur et ingenium perficitur , ita genus humanum ex singulorum profectu utilitatem percipiens eâdem viâ continuo progrediatur et perficiatur.

402. Itaque , ut brevis sim , *a*) homines singuli procedente ætate perficiuntur, *b*) perficiuntur autem opibus quæ ad rationem pertinent , *c*) et quivis singulorum progressus omnibus utilis esse potest et totius hominum generis profectus sive perfectio ([1]). Hæc omnino aliter se habent apud bestias.

403. Nempe 1° bestiæ quæque in suo genere perfectæ nascuntur , quatenus efficaci instinctu præditæ solâ suâ sponte , sci-

(1) Hæc more suo egregie ostendit Pascal , *Préface du traité du vide*. Vid. *Pensées , Fragments et Lettres de B. Pascal* , t. I , p. 91, éd. Faugère.

licet hoc solo quod naturali organorum suorum evolutioni nullus opponatur obex, ad eam perfectionem pertingunt quæ generi suo propria est. Bestiæ enim nemine docente, et quanquam nullam cum suî similibus societatem aut commercium habeant, vires suas exerunt et ad plenum facultatum suarum exercitium suo solo marte perveniunt; uno verbo, bestiæ suapse animalia in suo quæque genere perfecta fiunt.

404. 2° Bestiæ ab homine non magis quam a suî similibus quidpiam addiscunt quo ipsæ vere perficiantur, aut quod in ipsis rationem quomodocunque inesse prodat. Nihil enim α) suâ sponte ab homine discunt, licet diuturno etiam tempore cum homine vivant; β) ea autem, ad quæ per hominis industriam finguntur, ipsorum instinctum, at minime rationem, undequaque commonstrant.

405. Bestias α) ex se nihil ab homine discere quod vel minimam rationis scintillam prodat, ex eo liquet quod ea, quæ sibi maxime commoda, imo necessaria et facilia quidem sunt, per se non faciunt, ubi ad agendum vel levis rationis concursus requireretur. Ita v. g. canis et præsertim simius multum amat ad focum assidere et prunis calescere; sed igni deficienti nunquam suâ sponte lignum paratum apponet, tantum abest ut ignem ex silice eliciat (1), etsi illud toties ab homine fieri conspexerit. Ita quædam alimenta sunt quæ canis cruda non manducat, sed cocta vel tosta satis amat, ut tubercula quæ vulgo poma terrestria nuncupantur; age vero sit canis sine aliis alimentis positus inter ea tubercula cruda, ignem et aquam ferventem; jam fame peribit, sed tubercula illa coquere vel tor-

(1) Bory de Saint-Vincent, ut hoc argumentum infirmet, scribere non dubitavit (quis credat?) quæstionem quæ sequitur : « Craignent-ils (les singes) les incendies qui pourraient résulter de pareils soins, et qu'ils savent bien n'avoir pas les moyens d'éteindre? Ils ont dû plus d'une fois être épouvantés, dans la profondeur du branchage, des ravages qu'y causent les flammes imprudemment allumées par les nègres. Ce que l'on prend pour une preuve d'infériorité ne serait-ce point dans ce cas l'indice d'une véritable prévoyance? » *Encyclopédie moderne*, etc. t. 28, art. *Singes*, p. 129.

rere non conabitur, etsi hoc millies fieri viderit, et ad id faciendum organa ipsi profecto non deficiant.

406. β) In iis autem, quæ bestiæ per hominis industriam discunt, nullum rationis indicium cerni, sic probatur : *a*) Ea instructio tota fit in utilitatem, commodum, oblectationem hominis, nec ulli bestiis emolumento est. *b*) Bestia, vel optime instituta, ea quæ didicit, velut machina modo semper eodem peragit, nihil in iis suâ operâ unquam perficiens. *c*) Actiones, quæ maxime artem imitantur, bestiæ nunquam faciunt, nisi præsente, cogente et dirigente homine, qui ipsas instituit et a quo velut machinæ moventur. Ubi sibi relinquuntur, illico ad naturam mere animalem redeunt. *d*) Ex artificiis, quæ didicit, bestia nunquam solertior fit ad alia artificia vel maxime affinia facienda, vel ad hæc ipsa artificia quæ didicit ad suî conservationem, nutricatum, oblectamentum adhibenda. Animal cicuratum et ab homine ad varia artificia fictum, ubi libertate donatur, longe minus sibi sufficit, quam si nunquam hominis consuetudine aut culturâ usus sit. *e*) Adminicula sive remedia, quibus homo utitur ad bestias informandas, minime idonea sunt ad rationem colendam, sed unice serviunt ad instinctum fingendum, temperandum, mutandum. Quænam illa sunt? Jejunium, privatio libertatis, vigiliæ coactæ, diuturnæ, molestæ, quibus instinctus domatur, subigitur, flectitur; deinde cibus congrue selectus, quo hinc trahitur, et verbera opportune inflicta, quibus illinc avertitur, atque adeo ad hominis nutum inclinatur instinctus. At prælectio, allocutio, adhortatio, præmia aut supplicia intellectui verbis proposita, aut quidquid veram doctrinam, institutionem sive educationem redolet, frustra in bestiarum palæstris adhiberentur. Proindeque in bestiis domitis et ad varios usus nostros vel ludos comparatis non ratio quomodocunque culta est, sed instinctus partim mutilatus, seu potius vere mutatus est. *f*) Hinc etiam fit ut viro cordato longe mirabiliora sint opera, quæ bestiæ suapte sponte et solo instinctu suo ductæ faciunt, quam artificia quævis ad quæ ab hominibus institutæ sunt. Vir sapiens utique suspicit indolem

apum, instinctum formicarum, habilitatem aranearum; miratur elephantum dexteritatem, canum fidelitatem, simiarum prædationes; sed soli pueri stupent et oblectantur canum, v. g. quos *Munito* plerumque nuncupant, acquisitâ facultate litteras in voces et phrases componendi, calculos difficillimos subducendi, chartis pictis ludendi; in quibus exercitiis totum canis artificium consistit in afferendâ ad signum sibi a duce suo solerter datum chartulâ, quam hoc tempore coram se habet; nec minime novit canis iste, quid chartula allata contineat, quippe qui vel ipsas litteras *a* et *b*, item notas arithmeticas 1 et 2 distinguere omnino nescit.

407. 3° Quidquid bestiæ ab homine discunt, illud sibi solis addiscunt, nec unquam illud cum suî similibus viâ institutionis communicant. Quæcunque artificiosa, quæcunque ludicra didicerint, hæc cum iis individuis, quæ didicerunt, intereunt sine ullâ pro aliis artis acquisitione. Fieri sane potest ut instinctûs mutationes, quas parentes subierunt, ad ipsorum progeniem transmittantur; at hæc transmissio generationis viâ fit, non viâ institutionis; quam viarum differentiam non animadvertisse videntur, qui in hujusmodi communicatione aliquod rationis indicium aut progressum reperiri putant.

408. Ad hunc gravem errorem evellendum hic notare juvat, artem humanam meliores bestiarum progenies (*races*) obtinendi omnem consistere in hujus legis naturalis observatione: Quælibet viventia sui ipsorum instinctûs organorumque dotes et vitia quævis generationis viâ posteris suis posse transmittere. Hoc nixi principio, homines *a*) ex animantibus, quas generis conservationi destinant, conjungunt individua a naturâ optimis dotibus ditata, vel *b*) etiam ex industriâ ejusmodi animantium qualitates mutare conantur, antequam iis in illum finem utuntur.

409. Itaque veræ institutionis et rationis vestigia frustra quæreres in eo, quod canis venatici, bene formati sive ad venationem generatim sive ad hoc illud ferarum genus speciatim apte arripiendum, catuli aptiores sunt tum ad venationem in universum tum ad hoc illud venationis genus peculiare, quam catuli

similes quorum parentes non tam idonei venatores erant; illa etiam frustra quæreres in eo, quod juniores vulpes in regione, ubi genus suum multum exagitatur, prudentiores sunt quam vulpes seniores, ubi ab hominum vexatione liberæ sunt. Quid enim! ut catuli iis qualitatibus parentibus suis similes sint, non est necesse ut ab his doceantur, at solum ut gignantur; itaque generationis non educationis viâ instituuntur : atque adeo non rationis sed instinctûs operatio et perfectio in iis elucet. Deinde cave, ne vulpium timorem cum prudentiâ confundas : quid autem naturæ legibus magis consentaneum, quam a timidis parentibus proles nasci timidas?

V. *De hominis in bestias imperio.*

410. Quantum homo ratione suâ bestias superet, ex hominis in bestias imperio luculenter patet, sive imperii hujus extensionem, sive finem, sive instrumenta respicias. Nam

1° Imperium istud absolutum et universale est. Homo dominatur in bestias universas; nec remota aut abscondita terræ, nec profunda maris, nec alta cœli spatia ipsas hominis potestati subducere possunt. Verumtamen multis animantium generibus sensus perfectiores sunt quam homini : aliorum gustus exquisitior, aliorum odoratus acutior, aliorum tactus delicatior; sed quod caput est, visus et auditus, qui sensus rationi maxime serviunt, apud multa longe præstantiores sunt; adhæc multorum vires hominis viribus plurimum antecellunt; nihilominus homo in ea dominatur omnia, quia, rationis lumine adjutus, ubi corporis vires deficiunt, vires suas auget instrumentis arte factis, sicut suam videndi facultatem amplificat adhibito telescopio. Igitur universa animantia in uno hominis dominatu non aliter teneri simul possunt quam ratione.

2° Homo illud imperium exercet in suî unius utilitatem, ad quam omnium bestiarum vitam, actiones, conservationem, augmentum, imminutionem vel internecionem tanquam ad unicum suum refert finem. Nempe animalia, quæ sibi prosunt, multi-

plicat; quæ nocent, destruit; quæ alias prosunt, alias nocent, intra congruos limites coarctat; quæ in statu sylvestri sibi utiliora sunt, sylvestria conservat; quæ in statu domestico potius servire possunt, domat, cicurat et suo servitio flectit; quibus denique ad alia capienda, servanda, dirigenda uti potest, ad hos usus fingit et adhibet. Bestiis autem, quibus ad fines suos utitur, tantum, nec plus nec minus cibi, commodi, requiei, libertatis, etc. concedit, quantum sibi, non quantum ipsis gratum est et utile. At modo quæro, an bestiæ omnibus illis viis ad hominis fines concurrere vellent, nisi cæce eo concurrerent, vel si ratione præditæ ullum capere consilium, ullum finem sibi proponere possint?

3° Instrumenta, opes et auxilia, quibus homo utitur ad imperium suum in bestias tenendum, ea sunt, quibus ens rationabile, non in rationabilia, sed in entia ratione destituta dominatur, hoc est, ea hominem ratione uti, bestias autem instinctu solo, probant. Etenim, *a*) ut feras capiat et domet, vi apertâ ipsas coercet; et ubi illæ robustiores sunt, quum ratione utatur, instrumenta sibi conficit, quibus vires suas amplificet, vel ad dolum confugiens, utitur insidiis, laqueis, retibus, quæ belluæ, si ratione ducerentur, facile detegerent vitarentque. Sed *b*) quum violenta ejusmodi remedia inutilia, imo noxia forent bestiis ad servitutem flectendis, homo, ut feras jam domitas cicuret, et earum ope atque operâ frui possit, alias vias quærit. Tum primo quidem ut eas mansuefaciat, ipsas inediâ, vigiliis et defatigatione frangit, debilitat, enervat; deinde vero ut easdem sibi devinciat nutibusque suis accommodet, ipsas fame et lassitudine fractas mulcet, blanditur, allicit escis ad ipsarum appetitum selectis et post opus exactum opportune datis, ut bestiæ sentiant, alias actiones suas continuo cum doloris sensu, alias autem cum jucundâ sensuum affectione esse conjunctas, et ita solo sensuum ductu operibus, quæ ab ipsis exiguntur, assuefiant. Homo præterea *c*) imperium suum tum in alias bestias tenet, cum præcipue in eas quæ præ ferinâ indole suâ penitus cicurari nequeunt, magis recta in ipsarum affectiones instinc-

tivas agendo, scilicet quà voce, quà vultu (1), præsertim oculis acutis strenue fixis, non iram excitando, sed terrorem incutiendo, ipse nullum timoris signum exhibens, ut bestiæ indesinenter se sentiant homine debiliores, inferiores, eidemque subjectas. Jam vero considera, quæso, quam patenter hæc omnia ostendant, in toto hoc negotio hominem ratione, bestias autem cæco duci instinctu!

VI. *Collationis factæ conclusio.*

411. Si nunc inquiras, quid ex quintuplici illâ comparatione concludendum sit de principiis quibus hominis et bestiarum actiones efficiuntur, hæc plane sequi videbis: 1° Hominis actiones a duobus proficisci principiis, instinctu et ratione, modo alterutro solum, modo ambobus simul agentibus, et generatim quidem, quo major est instinctûs, eo minorem esse rationis efficientiam, ac vicissim. 2° Hominem, quod ad instinctum attinet, bestiis esse similem, imo inferiorem; quandoquidem ipse solo instinctu sibi providere aut sufficere nequit, illæ autem possunt. 3° Bestiarum motus et actiones omnes ab uno eodemque procedere principio, instinctu, qualis hic ipsâ naturâ inditus vel arte humanâ formatus est. Ex quibus ulterius sequitur, 4° rationem homini tribuendam, at bestiis esse negandam, et 5° hominem non tantum aliquot perfectionis gradibus, sed ipsâ essentiâ sive naturâ suâ ab omnibus aliis animalibus differre.

Illud profecto cuique philosopho et naturæ scrutatori evidentissimum est, si ipsa interna actionum principia spectes, hominem multo longius distare a bestiis vel maxime perfectis, ut elephante, cane, simiâ, quam hæ bestiæ distant a brutis infimis, vel ab ipsis plantis, longius etiam quam plantæ, imo quam bestiæ a mineralibus; quippe quum bestiæ, plantæ et mineralia regantur principiis seu viribus cæcis et necessariis,

(1) « Vultus qui nullo in animante esse præter hominem potest. » Cic. *Leg.* 1, 9.

homo autem præter instinctum principio suî et aliorum conscio ac vere libero. 6° Hinc denique illud consequens est, hominem, non bestias, sicut solus actionum suarum compos est, ita solum actionibus suis mereri vel demereri posse, seu ens vere morale esse.

412. Et hæc quidem ut gravissima ita sola plane certa sunt in præsenti quæstione. Nam cetera quæ hic quæri possent, nempe utrum bestiæ automata seu machinæ, an vere animatæ, an intelligentiâ sint præditæ, ea non tanti sunt momenti, et prout plerumque tractantur, ad quæstiones recidunt de nomine potius quam de re. Quod ut apertum fiat, hæc habe :

413. 1° Cartesius quidem, postquam notasset, quantum bestiæ differant ab homine qui ab ortu surdus est et mutus, et inde hoc recte concludisset : « Istud autem non tantum indicat bruta minore rationis vi pollere quam homines, sed illa plane esse rationis expertia, » deinde affirmat, animalia meras esse machinas sive automata (1). Alibi tamen agnoscit, ea esse automata quæ vivunt et sentiunt (2).

414. In hæc verba recta notat Cl. Flourens, machinam quæ vivat et sentiat non esse meram machinam (3). Sed et ex ipsâ animalium naturâ facile probatur, ea non esse meras machinas, quum machinæ sit principio externo seu causâ externâ moveri, animalia autem principio seu vi internâ moveantur.

415. 2° Itaque rectius judicare videntur, qui bestias vere animatas seu animâ ab organis omnino distinctâ præditas esse censent. Hi enim analogiam, quæ inter hominis et bestiarum actiones cernitur, accuratius notant, et principium causalitatis, quo ab effectibus ad horum causarum naturam ascenditur,

(1) *De Methodo*, part. V.

(2) *OEuvres de Descartes*, par M. Cousin, tom. X, p. 208, Lettre, ubi ait : « Il faut pourtant remarquer que je parle de la pensée, non de la vie ou du sentiment; car je n'ôte la vie à aucun animal.... Je ne leur refuse pas même le sentiment, autant qu'il dépend des organes du corps. » Hæc ultima locutio saltem minus accurata est, quippe quæ sensum organis tamquam causæ suæ tribuere videatur.

(3) *Résumé analytique des observations de Frédéric Cuvier*, page 21.

magis ad amussim sequuntur. Hi etiam minime ignorant, omnes animas non ejusdem esse generis, atque ex hominis et animalium actionibus diversis evidenter sequi, ipsorum animas seu actionum principia ipsâ suâ differre essentiâ, quum animi humani conscientiæ sui, rationis et liberi arbitrii participes sint, animalium vero animæ horum omnium expertes; seu, ut apertius loquar, sciunt, animos non tam distingui inter se substantiâ suâ nude spectatâ, sed proprietatibus substantiæ essentialibus seu constituentibus.

416. 3° Nec major aut difficilior videtur quæstio, an bestiarum principium movens dici debeat *spiritus* et *intelligentia* vel intelligentiâ præditum. Nam, si spiritum intelligas substantiam non corpoream, rationis et libertatis participem, principium, quo bestiæ animantur, profecto dici nequit spiritus; sin vero spiritûs nomen tribuas cuivis substantiæ simplici etiam rationis experti, nihil obstat quo minus anima bestiarum spiritus vocetur. Itidem si, ut plerumque fit, intelligentiam idem esse contendas cum ratione, intelligentia nullis bestiis concedi potest; sin autem hac voce id unum significari velis, bestias non solum impulsionibus extraneis moveri, ut moventur machinæ, sed suis repræsentationibus seu imaginibus, quibus rerum externarum præsentiâ intus afficiuntur, non video cur intelligentia bestiis penitus neganda sit, quanquam clare video quam facilis sit hujus vocis abusus.

417. Itaque magis accurate loquuntur illi qui principium actionum animalium *instinctum* nuncupant, quo nomine intelligitur vis interna, conscientiâ sui, ratione proprie dictâ et libero arbitrio carens, sed sponte suâ licet necessario actiones suas accommodans præsentibus sive sensuum sive imaginum memoriæ obversantium perceptionibus, et affectionibus inde natis. Hæc enim descriptio continet quidquid in bestiis continetur, et id quod hic descriptum est recte vocatur instinctus.

Verum quidem est, non omnium animalium instinctum esse æqualem, et nonnullas animantium superiorum actiones velut ratiocinio esse elicitas; quare scriptores quidam non spernendi,

ut Cl. Flourens, earumdem animantium actiones alias instinctui, alias debili cuidam intelligentiæ tribuunt (1). Sed, quum animantes nunquam veritates sensibus impervias tanquam agendorum principia sequantur, nec inter hujusmodi rationis principia et sensuum perceptiones discernant, at, ubi deliberare et ratiocinari videntur, solummodo inter varias sensuum perceptiones fere æquales jactentur, librentur et hæsitent, donec alterutra perceptio prævaleat, ideo principium seu vis motrix animantium in multis aliquid *rationi analogum* est, sed a ratione proprie dictâ, quæ circa veritates sensibus impervias versatur, prorsus alienum; cujus natura proinde nullo nomine cognito aptius designatur quam vocabulo *instinctus seu vis sentiendi et sponte agendi.*

VII. *Solutio difficultatum circa hominis et bestiarum similitudinem.*

418. Qui bestias ab homine non essentiâ, sed aliquot perfectionis gradibus tantum differre contendunt, his utuntur argumentis : I. Memorant plures animantium actiones humanis actionibus similes. II. Minorem animantium quam hominis in scientiis progressum tribuunt illarum et vitæ brevitati et III. defectui societalis auxilii. IV. Hominis præ animantibus excellentiam omnem ab ejus sensuum et organorum præstantiâ proficisci dicunt. V. Eam præsertim in humani cerebri perfectione et amplitudine collocant. VI. Hominis et animantium actiones easdem,

(1) Nemesius, sæculo IV Emesenus episcopus, bestiis tribuit *quamdam prudentiam et artificium et calliditatem incolumitatis.* S. Thomas, *Summa theol.* I-II, q. 13, a. 2, explicat, quomodo *quædam animalia dicantur prudentia et sagacia.* J. B. Bouvier, hodie episcopus Cenomanensis, *Metaphys. Pneumat.* p. III, c. 5, his utitur verbis : » Belluæ reipsa habent animam a corpore distinctam et *immaterialem*, sed *ratione destitutam*... Invincibiliter ferimur ad judicandum, eas aliquando comparare et eligere, recordari et diligere, memores et gratas esse... verumtamen omnes bestiæ eumdem gradum *intelligentiæ* non habent. »

et proinde illarum actionum principium essentiâ idem esse ponentes, ita ratiocinantur: vel materialis vel spiritualis est anima brutorum; si prius dicas, et animus humanus materialis sit necesse est, atque adeo mortalis; sin posterius, anima brutorum æque ac hominis immortalis, seu potius neutra immortalis esse debet.

Ad illa argumenta breviter respondemus.

419. Ad I. In homine duplex actionum series distinguenda est; aliæ enim a vi sentiendi et animali instinctu pendent, aliæ a ratione et libero arbitrio proficiscuntur. Hinc jam 1° sequitur, multas hominis actiones non similes tantum, sed et æquales esse debere animantium actionibus, quanquam actiones, quæ ab hominis ratione proficiscuntur, nihil cum actionibus animantium commune habeant.

2° Quum homo omnes suas actiones, etiam eas quæ vi sentiendi et instinctu incitantur, rationi subjiciat et ratiocinando exequatur, ideo et animantes de suis actionibus a mero instinctu profectis ratiocinari facile credit.

3° Sæpe etiam fit ut animantium actiones rationi tribuat, ideo quod ignorat, quid in suis ipsius actionibus et quæ suarum actionum a ratione vel ab instinctu proficiscantur, quum ratio et instinctus tam frequenter in homine simul ad easdem actiones consentiendo concurrant.

4° His positis, considera, quæso, illa quæ ab hominibus non frivolis tanquam indicia intelligentiæ animalium perhibentur. Præcipua quæ a Cl. Flourens afferuntur exempla hæc sunt: *a*) Simius satyrus, quem observavit F. Cuvier, arbori insidens, quum se ab homine arborem ascendente inde avulsum iri putaret, arborem totis viribus agitabat; quoties homo recedebat, simius arborem quatere cessabat; ubi homo denuo appropinquabat, bestia arborem iterum concutiebat. *b*) Idem simius seram portæ domicilii sui attingere non poterat, nisi ascenderet in sellam prope portam illam positam; quum semel bestiæ experiendæ causâ sella consueta amota esset, animal aliam sellam admovit, in quam itidem ascendit, ut portam ape-

riret (1). Age vero, quis in ejusmodi actonibus rationem, quæ nititur veritatibus stricte metaphysicis, deprehendet? An infantes ante usum rationis et homines amentes, rationis usu omnino privati, non prorsus easdem facerent, quantum corporis vires suppetant? 5° Et ego quidem hinc invicte probari existimo, nullas animantium actiones a ratione pendere, quod easdem, etiam præstantissimas, fieri videmus ab infantibus, ab amentibus, ab ebriis, a dormientibus, uno verbo, ab hominibus omni rationis usu destitutis. 6° Neque illud omittendum, ani-

(1) *Résumé analytique*, p. 47—49. — Ægre adjicio hæc quæ Cl. Flourens ibid. subjicit : « Enfin, lorsqu'on refusait à cet orang-outang ce qu'il désirait vivement, comme il n'osait s'en prendre à la personne qui ne lui cédait pas, il s'en prenait à lui-même, et se frappait la tête sur la terre, il se faisait du mal *pour inspirer plus d'intérêt et de compassion.* » Quis enim non videt, quam infirmum et quam infra illius docti viri ingenium sit istud argumentum. Unde scit vir eximius, bestiam eo, quem ipse fingit, fine agere? et qui probat, impotentis iræ motum, quem describit, acuti ingenii fraudem esse? Ea quæ hunc in finem addit nihil ad rem faciunt, scilicet : « C'est ce que fait l'homme lui-même lorsqu'il est enfant, et c'est ce qu'aucun animal ne fait, si l'on excepte l'orang-outang et l'orang-outang seul entre tous les autres. » Verumtamen Dr. Flourens aperte docet, non alii principio quam instinctui tribuendas esse plerasque bestiarum actiones quas maxime miramur, ut castorum ædificationes, formicarum, apum, aranearum, canum reliquias ciborum in terrâ vel fimo condentium habilitatem, etc. quia illa bestiis ingenita sunt; intelligentiæ tribuit ea quæ ab experientiâ et institutione pendent. Scilicet duo animantium principia ponit, *instinctum* et *intelligentiam*, quæ minus accurate his notis distinguit (p. 52) : « Tout dans l'instinct est aveugle, nécessaire et invariable, tout est inné, tout y est fatal; tout dans l'intelligence est électif, conditionnel et modifiable, tout résulte de l'expérience et de l'instruction. » Tum exempli causâ non minus intemperanter addit : Le chien, le cheval, qui apprennent jusqu'à la *signification de plusieurs de nos mots* et qui nous obéissent, font tout cela par *intelligence*. Le chien n'obéit que parce qu'il l'a appris; *tout y est libre* : le chien n'obéit que *parce qu'il le veut.* » At ne in his confutandis longiores simus, ea recoli velimus quæ scripsimus de animalium perfectibilitate. Ceterum non putamus clarissimo Flourens, qui materialismi adversarius et vir probe catholicus est, hominis et animantium intelligentiam rem essentiâ eamdem esse. Qui etiam alibi, *Eloge historique de Blumenbach*, p. 12, expressis verbis ait : « Un intervalle profond, sans liaison, sans passage, sépare l'espèce humaine de toutes les autres espèces. Aucune autre espèce n'est voisine de l'espèce humaine; aucun genre même, aucune famille. »

mantes, quæ in unâ alterave actione tam habiles sunt, in ceteris omnibus maximam exhibere stupiditatem. 7° Igitur cum Bossuetio concludimus : « Animantes utique omnia convenienter faciunt, sed aliud est cognoscere convenientiam. Prius non tantum animantibus, sed et omnibus convenit rebus creatis, alterum est verus effectus ratiocinii et intellectûs (1).

420. Ad II. Quam futilia sint, quæ ex bestiarum vitæ brevitate concludit Helvetius, ex his liquet : 1° Plures animantes multo diutius vivunt quam homo. 2° Pleræque ex animantibus superioribus vitam satis longam ducunt. 3° Hominis infantia longe diuturnior est quam reliquorum animalium. 4° Homo, quantumvis longa et infirma sua sit infantia, jam pleno rationis usu ante fruitur, quam pleræque bestiæ primi ordinis ad senectutem suam pervenerint. 5° Inferiorem animantium conditionem non a vitæ brevitate, sed ab ipsâ earum naturâ pendere, egregie probant F. Cuvier et P. Flourens hoc argumento : « C'est que l'intelligence de l'orang-outang, cette intelligence si développée, et développée de si bonne heure, décroît avec l'âge. L'orang-outang, lorsqu'il est jeune, nous étonne par sa pénétration, par sa ruse, par son adresse; l'orang-outang, devenu adulte, n'est plus qu'un animal grossier, brutal, intraitable. Et il en est de tous les singes comme de l'orang-outang ; dans tous l'intelligence décroît à mesure que les forces s'accroissent (2). L'animal, considéré comme être

(1) Hominis et animantium similitudines ac differentias etiam probe notavit et exposuit Cicero, *De Offic.* I, 4.

(2) Aliquot post paginis Flourens hæc addit (p. 87) « Des singes de tous les genres, de tous les sous-genres, des guenons, des macaques, des cynocéphales, etc. lui ont offert (à F. Cuvier) ce rapport inverse de l'âge et de l'intelligence dont j'ai déjà parlé à propos de l'orang-outang... » Ces » différences sont si grandes, dit F. Cuvier, que, dans l'habitude où nous » sommes de juger des actions des animaux par les nôtres, nous pren- » drions le jeune animal pour un individu de l'âge où toutes les qualités » morales de l'espèce sont acquises, et l'entelle (espèce de singes) adulte » pour un individu qui n'aurait encore que ses forces physiques. Mais la » nature n'en agit point ainsi avec ces animaux qui ne doivent point sortir » de la sphère étroite qui leur est fixée, et à qui il suffit en quelque

perfectible, a donc sa borne marquée non seulement comme espèce, il l'a comme individu. L'animal qui a le plus d'intelligence n'a toute cette intelligence que dans le jeune âge (1).»

421. Ad III. Defectum rationis animantium non pendere a defectu socialis auxilii seu societatis sive cum homine sive cum suî similibus, hæc probant : 1° Animantes, quæ diutissime et per plurimas generationes cum homine vixerunt, non ideo majorem veræ rationis usum acquisiverunt. Quæ mutationes in nonnullarum bestiarum indole et habitu ex hac societate secutæ sunt, eas non ipsæ eæ bestiæ effecerunt, sed homo qui bestiarum instinctum suo arbitrio finxit. Num animalia domestica, quæ a sæculis hominis consuetudine fruuntur, ut canes, vel minimum rationis progressum ostendunt in conficiendis, ad hominis exemplum, rebus facillimis et sibi utilissimis, v. g. in conficiendis sibi vestibus, construendis domiciliis, fabricandis armis, præparandis escis, utendo igne, etc. etiam ubi hæc ad vitæ conservationem sibi ipsis sunt necessaria? Num bestiæ ullæ nostro tempore doctiores, aut in industriæ suæ cujusdam perfectione magis progressi sunt, quam Plinii aut Aristotelis ætate? An non apud illas bestias, quibus nunquam cum homine commercium fuit, ut apud vulpes, castores, apes, formicas, etc. tantam naturæ perfectionem videmus, quam apud animantia domestica? Num elephas, qui hactenus in desertis vixit et cujus majores omnes silvestres fuerunt (elephas enim captus sterilis est), minus docilis et prudens est, quam animantes quæ a sæculis hominum societatem frequentant?

2° Quod spectat ad defectum socialis auxilii bestiarum a suî similibus, hic defectus luculentissime probat bestiis rationem deesse. Cur enim bestiæ hujusmodi auxilium sibi non præstant? Nonne ideo quod, quum ratione careant, ejus auxilii utilitatem

» sorte de pouvoir veiller à leur conservation. Pour cela l'intelligence était
» nécessaire quand la force n'existait pas, et quand celle-ci est acquise,
» toute autre puissance perd de son utilité. » Hæc verba etiam indicant, *qualem* intelligentiam Cuvier et Flourens animantibus tribuant.

(1) *Résumé analytique*, etc. p. 50.

concipere nequeunt? Itaque argumentum, quod hic nobis opponitur, et effectum pro causâ præbet, et contra suos militat auctores; nam, si ratione uterentur animantes, procul dubio sociale et rationabile sibi præstarent auxilium. Nunc autem illæ ipsæ animantes quæ in societate conjunctæ vivunt, ut apes, formicæ, castores, ut canes silvestres et simii, et quæ in arcendis inimicis, in construendis domibus suis, in venando et prædando se manifesto adjuvant, nec unquam sibi auxilium præbent rationis aut quod ad rationis culturam conferat, nec ullum ex iis operibus, quæ a multis retro sæculis faciunt, aptius aut perfectius progrediente tempore exequuntnr. Igitur, ideo solum quod ratione destitutæ sunt, animantes et a se immotæ stant, et aliter finguntur quatenus homo ipsarum instinctum vel organa mutat.

422. Ad IV. Qui hominis præ animantibus excellentiam a corporis sensibus et organis tanquam a causâ suâ deducunt, ii evidenter incidunt in materialismum, atque adeo 1° eodem prorsus modo confutantur, quo materialismus refellitur. Et hæc quidem responsio decretoria est. Dilucidationis tamen causâ hæc addimus.

2° Si ratio a corporis sensibus et organis tanquam a causâ suâ penderet, profecto plures animantes hominem ratione longe superarent; ut enim de gustu et odoratu taceam, quibus multæ animantes homini antecellunt, tactus, auditus et visus præsertim, qui sensus apud hominem rationi maxime serviunt, apud bene multa bestiarum genera delicatiores, penetrantiores, perfectiores sunt quam apud hominem.

3° Loquela apud hominem rationis usum maxime adjuvat et clarissime exhibet. Age vero *a*) aliquot animantes vocis organum nostro tam simile possident, ut vocabula nostra plane imitentur; attamen animantes illæ nec majorem rationis usum acquirunt, nec ipsorum vocabulorum quæ repetunt significationem intelligunt, quoties etiam loquelam nostram audiant et imitentur. *b*) Aliæ sunt animantes, ut canes (1), quarum

(1) Ultro agnosco, simiarum vocis organum idoneum non esse ad sermonem humanum plane imitandum; sed modus, quo clamores suos variare

vocis organum, quanquam non omnes humanæ vocis modulos imitari possit, tot et tam varios edere potest sonos, ut, si rationis essent participes, procul dubio sermone seu loquelâ quadam rationis interprete uterentur. Nunc autem voce suâ solum utuntur instinctûs interprete ad affectus suos mere sensibiles patefaciendos.

4° Helvetius hominis excellentiam ejus manuum conformationi tribuit. At quis non videt : *a*) plerisque animantibus talia organa esse, ut, si ad rationem possidendam sufficeret organa habere, ipsæ rationis essent participes? *b*) Simiis non duas tantum, sed quatuor esse manus, et ita conformatas ut etiam omnia exercitia, ad quæ homo manibus utitur, exequi possent, si humanâ ratione regerentur (1)? *c*) Homines esse, qui a nativitate manuum et pedum usu, vel etiam his membris omnino caruerunt, quique nihilominus pleno rationis usu fruuntur? Quin imo

5° Firmissimum argumentum, quo rationem non a sensibus tanquam causâ suâ pendere probatur, hoc est : Sunt homines, qui a nativitate cæci, vel surdi et muti, vel simul cæci, surdi et muti fuerunt, imo qui nullo alio sensu quam tactûs utebantur, ut Laura Brigman, et quorum ratio non minus expedita reperta fuit, statim atque alii cum ipsis rationis commercium inierunt (366). Quod ad sensus attinet, longe infra miserrima animantia erant, et eorum ratio omnino similis erat rationi ceterorum hominum.

6° Si organa, prout instrumentis convenit, cum principio

possunt, satis probat, ipsas pro organorum suorum conformatione non vere loqui, ideo solum quod rationis expertes sunt.

(1) « Simia, merito dixit Blaud (*Traité élém. de physiologie*), ridicula illa hominis imago, quam Creator inter nos et bestias mediam posuisse videtur, ut ostenderet organa inutilia esse sine mente quæ illa moveat, simia manibus æque ac homo imo pluribus ornata est, hominem agilitate et solertiâ superat, corpora etiam minima arte mirabili prehendit : cur igitur omnibus illis opibus instructa, simia, non sicut homo, extra se quærit instrumenta, quibus totam naturam moderari possit, perinde ac mundi rex ille? Quia, etsi organis ad hunc actum idoneis prædita sit, potentiâ ad eum excitandum, exercendum et regendum caret, et quia sine illâ potentiâ, seu mente, organa vel maxime perfecta nihil possunt efficere.

quod iis utitur et cum fine ad quem servire debent, comparantur, tum profecto bestiarum non minus perfecta sunt quam hominis; quippe quum bestiarum organa prorsus accommodata sint ad illarum potentiam, et plane sufficiant ad finem ipsis præstitutum. Quin imo, si hac ratione considerantur, hominis organa minus perfecta sunt quam animantium; quum brutis, ut finem suum pertingant, organa sua sufficiant, homo contra organis rationi suæ non sufficientibus instrumenta arte facta adjungere debeat (1).

7° Quantacunque denique differentia ponatur inter hominis et brutorum organa, hæc differentia non ultra aliquot perfectionis gradus extenditur, imo satis arctis limitibus continetur; at principium, quo homo præter instinctum agit, penitus, essentiâ, atque adeo infinite differt a principio actionis brutorum.

423. Ad V. Quæ modo de aliis organis diximus, etiam valent de cerebro. Præterea, quomodocunque cerebrum hominis et animantinm consideres, nullâ habitâ ratione principii quo illud regitur, minime dicere poteris, hominis cerebrum cerebro animantium esse perfectius, nisi forte quatenus humani cerebri moles aliquanto pluribus circumvolutionibus distincta sit; quæ levis differentia perfectio absoluta dici utique non potest. Etenim, si cerebri hominis et animalium magnitudinem metiri velis, quâ mensurâ secundum adversarios nostros humani cerebri præcellentia constare debet, tum sane hominis et animantium cerebra inter se conferre debes uno ex his quatuor modis: In eodem ente comparabitur 1° cerebri pars anterior cum posteriori, 2° cerebri moles cum mole totius corporis, 3° moles cerebri cum nervorum mole, 4° humani cerebri moles absolute conferetur cum mole cerebri ceterorum animalium.

(1) In hanc rem etiam recte notat De Bonald: « Non nisi comparate ad nos et utilitatem nostram equum serpente vel canem formicâ perfectioribus organis instructum judicamus; minima enim animantia ad sui conservationem opibus utuntur magis industriis quam maxima; attamen, contra hæc sua ipsorum principia, defensores intellectûs bestiarum maxima animantia pro maxime perfectis habent. »

424. Age vero, quidquid facias, quod in cerebro adversarii nostri quærunt, non invenies. Quid enim ?

1° Si partem cerebri anteriorem velut rationis organum comparas cum parte cerebri posteriore tanquam instinctûs organo considératâ, nullam proportionem constantem reperies apud animantes inter intelligentiam et cerebri anterioris partis magnitudinem. Ex sedulis doctoris Leuret in hanc rem inquisitionibus liquet, animantes, quarum cerebri pars anterior comparata cum posteriore maxima est, plerasque intelligentiâ inferiores esse. Etenim ex illâ cerebri partium comparatione cuniculus primum locum teneret et simiis longe antecelleret ; equus et asinus hominem plurimum superarent ; inter simias lemur (maki), quæ simia imperfecta et parum industria est, reliquas generis sui animantes omnes antecederet, et simia maimon (grand mandrill), quæ multo perfectior est, ultimum locum occuparet (1).

2° Si totam cerebri massam cum totâ massâ corporis confers, homo etiam longe a primatu aberit ; et plures animantes quæ ad inferiores ordines pertinent, hominem superarent vel eodem loco cum homine starent, si intelligentia penderet a proportione, quâ corpus cerebro minus est. Etenim ex accu-

(1) En tibi tabulam ex Leureti opere desumptam, quâ exhibetur moles partis cerebri anterioris cum posteriore comparata :

	pars ant.	pars post.		proportio
Lapin (*cuniculus*)	8 millim.	10 mill.	: : 1	: 1,25
Chat (*feles*)	10	13	: : 1	: 1,30
Maki (*lemur*)	10	13	: : 1	: 1,30
Ane (*asinus*)	22	29	: : 1	: 1,31
Hyène (*hyena*)	13	18	: : 1	; 1,38
Cheval (*equus*)	27	38	: : 1	: 1,40
Garçon de 12 jours (*puer* 12 *dierum*)	26	41	: : 1	: 1,57
Femme (*mulier*)	35	56	: : 1	: 1,60
Macaque à queue courte 13 (*simia nemestrina*)	13	23	: : 1	: 1,76
Homme (*vir*)	36	65	: : 1	: 1,80
Papion (*simia sphynx*)	16	31	: : 1	: 1,93
Grand madrill (*simia maimon*)	16	32	: : 1	: 2,00

ratis observationibus constat, inquit Spurzheim (1), passeri, acanthidi, linariæ, frigillæ, erithaco et multis simiis cerebrum, collatum cum corporis sui mole, majus esse quam homini. Bestiæ illæ intelligentiâ superare deberent saltem equum, canem et elephantem, qui animal stupidissimum foret (2).

3° Haud amplius proficies, si cerebri molem cum nervorum mole comparas; tunc enim hominem quidem primo loco reperies et simiam satyrum secundo, sed jam tertio loco tibi occurret delphinus, qui tamen ab omnibus naturæ peritis propter facultates suas longe infra elephantem, canem et equum ponitur (3). Et, teste Spurzheim, secundum hanc mensuram canis marinus canem domesticum et porcus piscis sive sus marinus equum superaret (4). Nec prætermittendum hic est quantopere minui, corrumpi, lædi, etc. possit humanum cerebrum sine ullo rationis ipsius detrimento (322 et 365).

4° Sin vero cerebri massam in quovis animali absolute spectas sine ullâ illius collatione cum ceteris ejusdem animalis partibus, sed cerebri quantitatem unius animalis cum eâdem quantitate aliorum animalium rectà confers, tum *a*) elephas majorem cerebri molem offeret quam homo; *b*) sed majores cetacei, præ-

(1) Spurzheimii verba hæc sunt (*Observations sur la phrénologie*, p. 52, Paris, 1818) « Wrisberg, Soemmerring, Blumenbach, Cuvier et d'autres ont multiplié ces observations, et ont trouvé que le moineau, le serin, la linote, le pinson, le rouge-gorge et plusieurs singes avaient, relativement à la grandeur de leur corps, plus de cerveau que l'homme. Ces animaux devraient être supérieurs en intelligence au moins au cheval, au chien et à l'éléphant. Ce dernier animal serait dans cette hypothèse un être extrêmement stupide. »

(2) Forichon (*Le matérialisme, etc.* p. 154) his notis arithmeticis designat proportionem ponderis quam nonnulla animalia exhibent inter cerebrum et corpus: Acanthis 1/14; mus rusticus 1/21; salmini (simia quædam) 1/22; homo 1/22, 1/25, 1/30, 1/35; passer 1/25; asinus 1/212; equus 1/400; elephas 1/500.

(3) Cf. Schroeder van der Kolk, *Over het verschil tusschen doode natuurkracht, levenskracht en ziel*, p. 41; Utrecht 1835.

(4) « Selon cette mesure le chien marin a plus de cerveau que le chien; et le marsouin plus que le cheval. » Spurzheim, *Observ. sur la Phrénol.* p. 54.

sertim balæna homini longissime antecellet; *c*) canis et simia, qui in multis hominem proxime sequuntur, cerebrum multo minus habent quam bos, porcus et asinus; *d*) lupus, tigris, ovis, rupicapra, quantumvis diversis qualitatibus præditi sint, volumen cerebri fere æquale possident; *e*) gallina et accipiter etiam cerebri mole circiter æquales sunt ([1]).

5° Addimus, nec a prominentiis, quas phrenologi in cranio notant, hominis excellentiam pendere, *a*) ut primo quidem constat ex inquisitionibus doctoris Leuret de proportione, quæ inter hominis et animantium cerebri partem anteriorem et posteriorem reperitur (supra 1°). Deinde *b*) Forichon merito notavit, pleraque organa, quæ in hominis fronte conspiciuntur et a phrenologis ingenii organa habentur, insigniter existere apud multa animantia. » Organa ingenii æstûs seu festivitatis et metaphysices, inquit, reperiuntur apud ovem; organa, quæ philosophos, doctos et artifices efficiunt, exstant apud ovem, bovem, asinum et capram; organum theosophiæ sive religionis valde evolutum et magis distinctum cernitur apud ovem quam apud hominem; animi fortitudinis et instinctûs carnivori organa item apud ovem valde evoluta sunt; organa vanitatis, conscientiæ moralis et spei apud elephantem et simiam æque ac apud hominem inveniuntur. Quin imo, quod unum sufficeret ad rem conficiendam, ovis partem anteriorem cerebri multo majorem habet quam canis, cujus ingenium (si ingenium dici possit) longe majus est ([2]). » *c*) Nec minime hoc loco negligenda sunt quæ antea vidimus de collatione inter capitis volumen hominis Europæi et hominum maxime barbarorum (377).

6° Sed, etiamsi hominis cerebrum quomodocunque majus et perfectius esset cerebro cunctarum animantium, et animantium cerebrum continuâ serie majus et perfectius esset pro cujusque internarum facultatum perfectione, num inde sequeretur a cerebri differentiâ differentiam facultatum hominis et

(1) Vid. Spurzheim, ib. p. 50, et Forichon, *Le matérialisme* etc. p. 155.
(2) *Le matérialisme et la phrénologie*, p. 150 sqq.

animantium tanquam a suâ causâ esse repetendam? Nonne longe potius hoc unum ex illâ proportione inferretur, a sapientissimo naturæ auctore homini meliora organa esse donata, quia præstantioribus est instructus facultatibus, ut ita inter causam et finem instrumenta convenientia media haberentur?

7° Itaque non ab organis, sed a principio quod organis utitur, hominis excellentia est. Quare cum Buffonio, qui maximam vitæ suæ partem in animantium naturâ observandâ et describendâ consumpsit, concludimus his verbis: « Deus hominis corpus penetravit flatu suo divino. Si eumdem favorem præstitisset, non dico simiæ, sed bruto vilissimo, animali quod organis maxime vitiosis instructum nobis videtur, hoc animal quam primum hominis æmulum evasisset; mente animatum ceterorum principatum teneret, cogitaret, loqueretur. »

425. Ad VI. Quum hominis et bestiarum actiones item actionum principia differre et essentiâ quidem differre, non ponamus, sed probaverimus, difficultas proposita nulla est. Etenim quidquid de bestiarum animæ naturâ et destinatione dixeris, nihil inde contra mentis humanæ naturam finemque sequetur. Age enim, sit bestiarum anima materialis, ex eo solo non sequitur eam necessario esse mortalem; at sit etiam mortalis quia materialis, ejus mortalitas nondum aliquid commune habebit cum animo humano, qui essentiæ prorsus diversæ est. Sin contra velis, ut et ego quidem existimo eo sensu quo supra monui (416), animam brutorum esse spiritualem, inde minime conficere poteris, eam necessario esse immortalem; nam ens spirituale, cujus conservatio inutilis foret, a Deo annihilari potest æque ac ens materiale. Idem de homine dici debet, scilicet ex eo quod ejus animus spiritualis est, plane sequi hunc morte non dissolvi, atque adeo materialistarum argumentum positivum esse confutatum; sed animum humanum reipsa immortalem esse, alterius ordinis rationibus probatur. Concludendum igitur est, quemadmodum hominis et bestiarum naturæ omnino ipsâ essentiâ suâ differunt, ita ex unius destinatione aliorum destinationem nec impugnari posse nec probari.

PARS SYNTHETICA.

426. Unaquæque scientia his tribus potissimum quæstionibus continetur : nempe quodnam sit ejus rei, circa quam versatur illa scientia, principium, quæ natura, quis finis. Unde scientia de homine primum exponere debet, quodnam sit hominis principium, quæ origo, quis auctor ; deinde, quæ sit hominis natura ; tum denique, ad quem homo existat finem. Sed quum jam ante declaratum sit, quæ humani corporis et animi seorsim consideratorum sit natura, in hac tractatûs nostri parte disseremus : 1° de iis quæ ad hominis originem pertinent, 2° de iis quæ spectant commercium inter hominis animum et corpus, 3° de fine ad quem homo conditus sit.

CAPUT I.

DE HOMINIS ORIGINE.

427. Hoc loco non disseremus de singulorum hominum sive corporis sive animi origine, sed de iis quæ ad humani generis originem pertinent.

428. De singulorum origine hæc obiter tantum dicemus : 1° Physiologiæ relinquendum est, quidquid ad corporis generationem pertinet. 2° Nobis non esse propositum dirimere controversiam inter eos, qui singulorum hominum animos singulatim, vel ipso conceptionis vel aliquanto post tempore, creari putant, et eos qui post creatum primi hominis animum ceterorum hominum animos a parentibus generando propagari opinantur (1). Priorum sententia longe plures nacta est defensores;

(1) Tertia sententia, quæ omnes hominum animos simul creatos olim fuisse ponit, vix memoranda est, quod nullo nititur fundamento philosophico,

posteriorum opinio probabilibus nititur rationibus, minime spernendis, præsertim quæ ex analogiâ hominis cum aliorum entium viventium origine ducuntur (1). 3° Maxime probabile et prope certum nobis est, humanum fetum jam ab ipso conceptionis momento vere animatum, seu animo rationabili præditum esse; nulla utique ratio vel parum firma assignari potest, cur postea aut quanto post conceptionem tempore animus corpori conjungi dicatur.

429. At de humani generis origine duplex quæstio hic tractanda nobis videtur; 1° Quâ viâ genus humanum seu primus homo ortus sit, utrum verâ creatione, an emanatione aut generatione aliâve simili actione rei cujuspiam homini superioris vel inferioris. 2° Utrum universum hominum genus ab unâ stirpe an a pluribus sit progenitum; utrum illud ex unâ specie an ex pluribus constituatur. Quare duo hujus capitis erunt paragraphi.

§ I.

De principio et modo quo genus humanum ortum est.

430. Ut de præcipuis philosophorum sententiis pauca tantum dicam, 1° materialistæ sibi constantes opinantur, materiæ universæ vim quamdam inesse, quâ quibusdam positis adjunctis materia iners et vitâ carens sponte suâ vivere incipiat, primo quidem inferiore vitæ genere, deinde pedetentim superiore; adeo ut quæ antea iners materies esset, accedente calore aut re simili quâdam, jam suapte naturâ in plantam aliquam aut

(1) Opinio de animorum generatione profecto cum nullo catholicæ fidei dogmate pugnat, dummodo generatio illa non velut materialis divisio, partitio aut diffusio quædam concipiatur. Ceterum de ea quæstione legi merentur quæ in illam scripsit cl. collega noster J. T. Beelen, in *Revue catholique*, 7bre 1847, et ii quos ibi laudat auctores, quibus jungi potest Berlepsch, *Anthropologiæ christianæ dogmata*, lib. I, cap. 3, § 2, Magontiaci, 1842.

in hoc illud animantium genus excrescat, atque inferiora viventium genera subinde mutatâ specie superiora vel etiam homines evadant.

2° Pantheistæ unam tantum omnium rerum substantiam esse contendunt, quam Deum appellant, et a quo nihil libere productum, aut e nihilo creatum, aut substantiâ diversum esse dicunt, sed omnia progressu necessario, spontaneo et continuo ita emanare, ut cum eo substantiâ idem sint; unde pro eorum sententiâ homines non Dei creaturæ, sed progenies sint, non inferioris, sed ejusdem cum Deo essentiæ, in quo omnes unâ eademque vivunt substantiâ, a quâ ita emanent seu progignantur, ut eidem tamen immaneant, et vere unum cum ipsâ sint.

Vix differt hæc opinio a materialistarum opinione; præcipue differt, quod materialistæ materiam habent tanquam principium istius vis sive cæcæ naturæ quâ omnia producantur, dum pantheistis omnium rerum atque adeo et materiæ principium est illa eadem vis, quam ipsi quidem Deum vocant, sed quæ reipsa cæca et non libera natura est.

3° Contra christiani philosophi omnes docent, hominem a Deo vere creatum esse; scilicet a Deo infinite perfecto, quemadmodum prius materiam universam, ita postea et animum humanum esse productum, non e substantiâ divinâ aut necessario, sed e nihilo, hoc est, nullâ præjacente materiâ, et liberâ Dei voluntate, esse factum essentiâ a Deo prorsus diversâ et inferiore.

431. Hanc doctrinam probant, tum pantheistarum et materialistarum opinionem confutando, tum rectà ex Dei naturâ ostendendo, fieri non potuisse, ut homo aliter quam per veram creationem oriretur. Illud autem effici potest hoc modo.

1° Primo quidem materialistarum et pantheistarum de hominis origine sententia non parum convellitur ex ipsâ materialismi et pantheismi generatim spectatorum confutatione (1).

(1) Materialismi confutatio habetur in hoc libro, part. psychol. cap. 5, pantheismi in nostris *Theodiceæ elementis*, cap. 3.

Quidquid enim ad confutatæ cujusdam doctrinæ essentiam pertinet, plurimum labefactatur vel solâ ejus doctrinæ confutatione.

2° Speciatim vero eadem sententia refellitur : tum *a*) quod nullâ firmâ ratione nitatur sive ipsa illa sententia universe considerata, sive duplex quod illi conjungitur commentum de generatione spontaneâ et de specierum immutatione (1); tum *b*) quod nullum unquam afferri potuerit exemplum alicujus generationis spontaneæ aut immutatæ speciei, quin contra, ubicunque clara et certa experientia consuli potuit, omnis generatio ex prævio viventi germine aut semine, et unaquæque entium viventium species immota sine ullâ in aliam speciem metamorphosi visa fuerit (2); tum *c*) quod omnis ille spontaneus transitus entium non viventium ad viventium et specierum inferiorum ad superiorum ordines pugnet cum apertis sanæ rationis principiis, quum fieri nequeat ut plus a minori aut aliquid a nihilo fiat (3).

3° Ex Dei naturâ tandem hoc pacto conficitur, hominem non aliter quam per creationem proprie dictam oriri potuisse :

Quum Deus sit infinite perfectus : *a*) fieri nequit ut ulla res existat quæ ab ipso non undequaque pendeat ; *b*) facere potest ut præter ipsum alia existant entia ; *c*) facere item potes ut nihil præter ipsum existat, seu nihil necessitate compulsus producit, sed quidquid *ad extra*, ut aiunt, procreat, libere facit ; *d*) quidquid creat non e suâ substantiâ educit, sed omnipotenti suâ voluntate e nihilo efficit. Nam si primum negas, Dei supremum et absolutum dominium evertis; si secundum, omnipotentiam divinam tollis; si tertium, divinam libertatem destruis ; si quartum, Deum finitum et imperfectum declaras, quippe quem cum rebus imperfectis substantiâ sive essentiâ eumdem esse contendas. Quare, quidquid horum quatuor ab-

(1) Duplex istud materialistarum commentum in pantheistarum necessario et continuo progressu continetur.

(2) Cff. quæ de hac re disseruimus in *Theodiceæ elementis*, n. 84-89.

(3) Cff. *Theodiceæ elem.* ib. n. 88, et *Ontol.* n. 301.

nueris, Dei naturam evertis, atque adeo Deum verum tollis. (*Theodic.* 527-532).

Unde plane sequitur, hominem, qui existit, nonnisi a Deo seu virtute actionis divinæ existere, qui hominem non necessario, sed libere, non de divinâ substantiâ, sed ex nihilo, non ejusdem cum Deo essentiæ, sed diversæ et longe inferioris produxit, hoc est, vere creavit.

432. Supervacaneum esse ducimus hæc longius persequi, quum ea latius exposita sint in nostris Theodiceæ elementis, ubi etiam respondimus ad difficultates quæ contra creationis doctrinam in medium proferri solent.

§ II.

De humani generis specie et stirpe unicâ.

433. Sacra Scriptura hominum genus universum ex unâ stirpe generatum esse aperte docet. Historia profana hanc veritatem nec expresse probat nec improbat (1). Memorat quidem autochthones et aborigenes; at nemo ignorat, hoc nomine apte significari populos, qui primum vel jam pridem ante colonos et advenas regionem quamdam incoluerunt, sive primi ipsorum parentes aliunde venerint, sive in eâ regione nati sint.

434. Philosophia mere speculatrix, quæ nullam experientiæ rationem haberet, facillime probat, unam stirpem ad procreationem humani generis plane sufficere, atque adeo ex hoc capite jam probabiliter unicam tantum esse ejus stirpem.

435. Experientia similiter viâ rectâ nihil aliud probat quam philosophia speculatrix.

436. Atque adeo quod S. Scriptura certum facit, scilicet

(1) Attamen viri historiæ et geographiæ peritissimi, qui harum disciplinarum scientias subsidiarias coluerunt, unam omnium hominum speciem et originem esse aperte profitentur, ut C. Cantu, *Histoire universelle*, 1e époque, liv. 1, ch. 3; A. Balbi, *Abrégé de géographie*, Principes généraux, ch. 10, etc.

omnes homines ab unâ venire stirpe, scientia non demonstrat rectà; attamen illud vià paulo longiore omnino confirmat, rectà probando unam tantum esse omnium hominum speciem. Hoc ut palam fiat, primo *speciei*, *gentis* et *varietatis* notiones recte concipiendæ sunt.

437. A naturalistis generatim *speciem* (*espèce*) peculiarem constituere, seu ad eamdem speciem pertinere dicuntur entia viventia quævis, animalia aut vegetalia, quæ tempore indefinito se propagare possunt, mutuâ conjunctione progignendo entia sibi similia. Itaque species est classis, ordo seu categoria quædam entium viventium, quæ ab aliis eo potissimum differunt, quod per generationem sibi similia producere indefinite possint.

At vero omnia ejusdem speciei entia non adeo sibi similia sunt, ut nullum inter ea sit discrimen. Ac primo quidem singula individua aliquantulum inter se differunt sive colore, sive aliâ quâdam formæ differentiâ. Notabiliores hujusmodi differentiæ constituunt speciei *varietates*. Et, ubi hæ differentiæ per generationem conservantur et posteris transmittuntur, *gentes* (*races*) efficiunt. Itaque plures gentes, etiam quæ multum inter se differunt formâ et colore, ad eamdem speciem pertinere possunt.

438. Præcipuum signum, quo gens a specie distinguitur, hoc est : Individua diversarum gentium, quantumvis differentium, si tamen ejusdem speciei sunt, libenter copulantur, et entia progignunt e quibus similiter alia ac iterum alia facile nascuntur. Sed individua *diversarum specierum* non idonea sunt ad hujusmodi conjunctionem, nisi forte pertineant ad species in *genere* propinquas; hæc enim quandoque simul progignunt, nihil aliud tamen quam entia vel omnino vel post paucissimas generationes sterilia (1). Cujus rei exemplum est mulus ab equo et asinâ prognatus.

(1) « Le caractère du genre est la fécondité bornée; le caractère de l'espèce est la fécondité continue. » Flourens, *Eloge de J. F. Blumenbach*, p. 12.

His positis, omnes homines ejusdem esse speciei, et physiologice et psychologice probatur.

I) *Homines unius speciei esse physiologice probatur.*

439. Sunt naturalistæ, qui ad formæ et coloris differentias unice attenti, plures hominum species esse contendunt, quique diversas gentes, imo meras varietates quandoque pro totidem habent speciebus.

440. Attamen viri naturæ peritiâ celeberrimi, Blumenbach, Cuvier, de Blainville, Flourens, alii, constanter tenent, unam tantum esse hominum speciem. Atque adeo hæc sententia, quam viri isti non nisi ob rationes gravissimas ex ipso naturæ studio petitas amplexi sunt, jam auctoritate nititur maximâ. Argumenta autem physiologica, quibus probatur, hæc sunt :

441. 1° Omnes omnium gentium homines easdem numero habent corporis partes, ossa, musculos, fibras, vasa, organa, item omnium partium conformationem re eamdem. Eâ tantum formæ differentiâ discrepant, quæ a nonnullarum partium, ossium præsertim, diversâ magnitudine pendet, vel a colore.

Consideratio hæc maximi momenti est, nec ullâ experientiâ redarguitur. Sunt qui summâ diligentiâ exploraverunt et contulerunt caput et cerebrum (quæ omnium maximam exhibent formæ differentiam) hominis Europæi et hominis nigri, quique plurimis adhibitis exemplis nullam repererunt differentiam præter eam quæ, ut modo diximus, a nonnullarum partium amplitudine venit (1). Quin imo tenue illud organum, quo in hominis nigri pelle pigmentum segregatur et producitur, etiam in albo homine adest; ut Cl. Flourens, qui illud prius negaverat, re melius investigatâ, detexit et palam probavit (2).

(1) Vid. analysim operæ a Cl. Tiedemann in hac re positæ, ap. *Origine de l'homme*, p. 219. — His verbis : *Origine de l'homme*, in hoc capite indicatum volumus librum, quem anno 1844 Lovanii edi curavimus *De l'origine de l'homme et de l'unité de l'espèce humaine*, pro maximâ parte excerptum ex scriptis DD. Forichon et Maupied.

(2) Vid. *Origine de l'homme*, p. 216. Cl. Flourens, *Eloge historique*

Itaque omnes omnium hominum partes corporeæ re eædem sunt.

442. 2° Quantumvis magnæ sint differentiæ, quæ inter diversas hominum gentes deprehenduntur, illæ tamen *a*) non majores, sed minores sunt iis, quas reperimus in brutis animantibus, quæ sine ullâ controversiâ ad eamdem speciem pertinent. *b*) Quin etiam aliquando sub oculis nostris oriri et conservari videmus differentias hominum, quæ non minores sunt iis differentiis, quas aliquot physici ut differentias specificas perhibent. Hanc rem utramque paucis verbis explanabimus.

443. *a*) Præcipuæ hominum differentiæ vel *α*) corporis formam vel *β*) colorem spectant.

444. *α*) *Formæ* porro maxime differunt staturæ magnitudine vel capitis seu cranii figurâ vel crinium constitutione. Et revera qui ex formarum differentiâ inferri posse contendunt homines specie differre, ii vel monstrant quantum staturâ distent gentes minimæ et maximæ, vel ostendunt quanta sit inter nigrorum et alborum hominum crania figuræ diversitas, vel ipsos nigrorum crines crispos, rigidos et breves indicant.

Attamen has differentias non specificas esse, inprimis ex eo liquet, quod in multis brutorum animalium speciebus variæ gentes seu familiæ easdem, imo quandoque majores differentias exhibent sine ullo speciei præjudicio.

Ita v. g. variarum gentium *equi* non minus, imo magis inter se differunt quam homines. Ita *asini*, *canes*, *oves*, *capræ*, *boves*, *porci*, procul dubio ab apro prognati, quin et *cuniculi* et *feles* et *aves* nonnullæ, ut gallinæ, in suâ quæque specie tot ac tantas differentias, præsertim in diversis regionibus et climatibus, produnt, ut hominum differentiis longe præcellant (1).

de J. F. Blumenbach, p. 13, ita loquitur : « A la forme près, le crâne du nègre est le crâne de l'Européen; la capacité de ces deux crânes est la même. Ce qui est bien plus essentiel, leur cerveau est le même, absolument le même. »

(1) *Origine de l'homme*, p. 37, 51 et 159.

Hujus argumenti vis etiam magis elucebit, si hinc consideres differentias inter ejusdem speciei animantes quæ ad statum domesticum adactæ sunt et eas quæ in statu silvestri vivunt (1), illinc vero advertas corporeâ formâ maxime differre homines cultu civili politos et agrestes.

445. *β*) Quod porro de formâ vidimus, et de *colore* verum est. Sicut homines, ita et bruta ejusdem speciei animalia colorum varietatem exhibent maximam. Pleræque animantium species, quas supra nominavimus, cum ceteris pilorum qualitatibus maxime variis, maximas colorum et in pilis et in pelle differentias offerunt ab albedine nitidâ ad summam nigritiem. Atque in multis hæc colorum varietas a climate, ab alimentis, ab aliis pendet causis externis.

Itaque, si maxima formarum et colorum differentia non impedit quominus brutæ animantes ad eamdem speciem pertineant, profecto minori differentiâ humanæ speciei unitas non tollitur.

446. *b*) Formarum et colorum differentias, quas apud homines observamus, non obstare quominus humana species una sit, etiam ex eo patet, quod interdum velut casu et fortuito evenit, ut in nonnullis hominibus oriantur et per generationem transmittantur mutationes quæ differentias constituunt non minores quam quibus inter se differunt gentes maxime diversæ.

447. *α*) Inprimis quidem veluti animalium naturæ lex est, ut corporis sui formam ac formæ qualitates et defectus, etiam quos fortuito contraxerunt, per generationem cum progenie suâ communicent (2). At hic de iis tantum dicemus, quæ per excep-

(1) In hanc rem J. C. Prichard, post Blumenbach, speciatim notavit, apri et porci, qui ad eamdem speciem pertinent, crania non minus quam ceteras partes eodem modo, imo magis differre, quam hominis nigritæ et Europæi. Vid. Prichard, *Hist. nat. de l'homme*, t. 1, p. 38—43.

(2) Inter alia hujus rei exempla memorare juvat hæc duo, quæ F. Roulin in Americæ parte Colombiâ observavit : 1° ab equis, qui hominum industriâ tolutim ingredi didicerant, libertate donatis, nati sunt equi silvestres qui naturaliter totuli gradu incedebant. 2° E canibus venaticis qui certo modo aggredi didicerant porcos silvaticos, qui pecari vocantur, prognati sunt catuli, qui,

tionem fiunt, et ideo duos casus valde memorabiles notabimus.

Prior casus est phænomenon sexidigitariorum. Aliquando homines nasci visi sunt, quorum manus et pedes singuli sex digitis instructi erant, quique hanc distinctionem posteris suis communicarunt (1).

Alter casus est, quem sub finem præteriti et initio hujus sæculi exhibuit familia cujusdam Lambert, qui *homo-histrix* nuncupatus fuit. Homo ille, a parentibus natus nullâ distinctione insignibus, cutem munitam habebat pilis densis, longis, rigidis, asperis, qui dum tangebantur strepebant, et formam imitabantur spinarum ejus animantis, cujus nomen ipsi inditum est, histricis, adeo ut homo ille a ceteris magis differret quam gentes maxime dispares differunt inter se. Age porro hanc proprietatem propagini suæ transmisit, et ille, qui post quintam generationem ex ejus posteris examinatus fuit anno XI reipublicæ gallicanæ a Geoffroy Saint-Hilaire, patri suo similis repertus est (2).

Unde sic argumentamur : Pone hominis illius originem ignotam fuisse, tumque, si ex solâ formæ differentiâ insigni speciei diversitas inferri posset, procul dubio Lamberti familia tanquam humani generis species omnino distincta haberi deberet. Igitur sola formæ differentia etiam maxima non efficit differentiam speciei.

448. β) Quod ad colorem pertinet, ut jam ante notavimus, is sub nomine pigmenti producitur organo quod in cujusvis gentis hominum pelle reperitur, et hæc pigmenti productio multum pendet ab aere, climate, solis actione, elementis, etc. adeo ut coloris *intensio* in eodem individuo homine post aliquot annos variari possit et non raro varietur (3). At hic de duobus eventis peculiaribus solum loquemur. Quorum prius hoc est :

quum primâ vice venatum ducebantur, jam porcos illos eodem aggrediebantur modo. Vid. J. C. Prichard, *Hist. nat. de l'homme*, t. 1, p. 47.

(1) Hoc phænomenon tum alibi tum sæculo præterito observatum est in familiâ germanicâ Bulfingeri seu Vulfingeri, philosophi leibnitiani.

(2) *Origine de l'homme*, pag. 96 et 214.

(3) *Origine de l'homme*, passim et pag. 103-104, note.

449. Piestæ in Gallià, mulier quædam, quæ ad septuagesimum ætatis annum integrâ valetudine fuerat, anno 1746 jam mærore conficiebatur, quum audit, filiam suam se cum duobus pueris e fenestrâ præcipitasse; quo nuntio adeo affecta est, ut intra unius noctis spatium omnino nigra facta sit. Decimo octavo post mense medici eam a plantâ pedis ad verticem capitis explorarunt : omnia organa et functiones vitales integra et sana erant; pellis autem et per sanitatem et per morbum et post mortem brevi secutam nigritæ pelli similis reperta fuit (1).

Age vero, nonne probabile est, si hæc mulier in eo statu genuisset, nigritiem a matre proli communicatam fuisse?

450. Norunt autem medici, morbos, qui causâ morali nasci possunt, et causâ physicâ posse; item fieri posse, quemadmodum his causis homo ex albo niger, ita ex nigro albus evadat; nec raros esse inter nigritas, qui ex causâ morali albinismo, ut vocatur, laborant. Imo historia plura prodit exempla hominum, quorum pellis et crines colorem suum propter ejusmodi causas, ut mærorem, pavorem, illico perdiderunt (2).

451. Eventum alterum latius patet. Nempe refert Anglus Heber, in Indiâ Persas, Græcos, Tartaros, Turcas et Arabes post paucas generationes, etiam sine ullo cum Indis commercio, omnes subnigrum olivæ colorem referre, et Lusitanos post tria sæcula in eâdem regione nigros evasisse uti cafros, quamvis matrimonium non inirent nisi cum contribulibus suis vel cum aliis Europæis (3).

452. Igitur color cuique genti proprius non tam stabilis est ut nullâ causâ mutari possit; igitur colores maxime varii causis externis nasci potuerunt; igitur colorum varietas non magis

(1) *Origine de l'homme*, p. 82.

(2) *Origine de l'homme*, p. 83.

(3) Vid. Auctoris verba ap. *Origine de l'homme*, p. 103, note. Notat quidem Heber, in nigritis alias reperiri differentias, quas frustra quæreres apud Indos et colonos Lusitanos. Alii autem naturæ periti observarunt, eas differentias, quæ ad corporis formam pertinent, etiam mutari cum climatis et aliarum causarum externarum mutatione, ut itidem videre est ap. *Origine de l'homme*, p. 103 et 104.

quam formarum differentia obstat, quominus omnes homines ad unam eamdemque speciem pertineant (1).

453. 5° Denique, quod unum sufficeret ad invicte probandum omnes homines unicam speciem constituere, hoc est : homines omnium gentium etiam formâ et colore maxime distantium conjungi possunt et proles procreare, quibus progigni possit familia tempore et numero indefinito propaganda. Hoc autem in ceteris animalium generibus certissimum signum est, quo species a speciebus distinguuntur ; ergo similiter indubio argumento est omnes homines unius et ejusdem esse speciei.

Atque his quidem rationibus physicis certo certius probatur, humanum genus unâ tantum specie constare; nunc idem argumentis ex psychologiâ petitis ostendere juvat.

II) *Psychologice probatur unam esse speciem humanam.*

454. Animi humani natura, quemadmodum ab omnium aliorum animalium principio interno differt, ita in omnibus omnium gentium hominibus prorsus eadem est. Nam

1° Homines soli et cujusvis gentis capaces sunt et rationis et orationis, seu loquelæ sive facultatis perceptiones suas per sermonem exprimendi, quod præcipuum rationis instrumentum et

(1) J. C. Prichard, *Histoire nat. de l'homme*, p. 176, postquam ea, quæ hoc § indicavimus, latius exposuerat, similiter concludit his verbis : « En résumé, l'examen des faits relatifs aux différences que présentent, dans les races humaines, les formes du corps et les proportions des parties, nous conduit à conclure qu'aucune de ces déviations ne s'élève au rang de distinction spécifique. Cette conclusion repose sur deux arguments principaux. Le premier, c'est qu'aucune des différences en question n'excède les limites des variétés individuelles, qu'aucune n'est plus tranchée que ces diversités qu'on rencontre sans sortir du cercle d'une nation ou même d'une famille. Le second, c'est que les variétés qui se montrent dans les races humaines ne sont pas, sous tous les rapports, aussi considérables à beaucoup près que celles qu'on voit se présenter chaque jour dans les différentes races d'animaux issues d'une même souche ; et il n'y a pas, on peut le dire, une seule espèce domestique qui n'offre des exemples nombreux de beaucoup plus grandes déviations du caractère typique de la race. »

certum indicium est. « Generis humani societatis vinculum est *ratio* et *oratio*, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines conjungitque naturali quâdam societate. Neque ullâ re longius absumus a naturâ ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, ut in equis, in leonibus; justitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim et *rationis* et *orationis* expertes (1). »

455. Nec dicas, speciei unitati obstare linguarum multitudinem, et tot esse agnoscendas humani generis species ac stirpes quot sunt linguæ quæ aliæ ad alias reduci nequeunt. Etenim, quidquid sit de quæstione, quæ linguarum peritis judicanda permittitur, utrum omnes omnium gentium linguæ ad unam reduci possint necne, Resp. 1° in *Gen.* XI, 1—9, reperiri solutionem difficultatis propositæ, ac rationem cur jam non amplius, ut olim, omnium hominum una eademque sit lingua. Resp. 2° Linguarum periti celeberrimi, quorum verba refert N. Wiseman, nullâ habitâ ratione loci laudati *Gen.* XI, ex solâ linguarum constitutione hæc duo concluserunt, linguam primitus unicam fuisse, et hujus linguæ divisionem non pedetentim accidisse, sed fuisse violentam et subitam (2). Igitur linguarum quantacunque differentia thesi nostræ minime nocet (3).

(1) Cicero, *De Off.* I, 16.

(2) Unicam tantum fuisse linguam primævam, expresse quidem docent Alexander de Humboldt, Academia Petroburgensis, Merian, Klaproth, Fred. Schlegel, alii; eam autem violenter et subito separatam fuisse, tenent Herder, Turner, Abel Remusat, Nieburh, Balbi. Quorum verba legantur in egregio opere N. Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, IIe Discours.

(3) Addit C. Cantu, *Histoire univ.* t. I, p. 67, ed. Bruxelles 1840 : « Ce qui prouve en effet que les nations entières ont passé d'une famille à une autre, c'est que des hommes de couleur diverse parlent ou ont parlé le même langage; indice certain d'origine commune. Les langues hongroise, finnoise, laponne, esthonienne ont entre elles la même affinité que celles des Tchermesses, des Vothiaques, Ostiaques, Permiens et autres de la Sibérie orientale : cependant Lapons, Tchermesses, Vogules, Hongrois, ont les cheveux noirs et les yeux bruns, tandis que chez les Finnois, les Permiens, les Ostiaques nous trouvons des yeux bleus et des cheveux ouges. »

456. 2° Homines omnium gentium non tantum rationis participes sunt, sed et ejusdem rationis. Nempe si rationis constitutionem consideras, omnium rationem elementis sive principiis iisdem constare videbis. Etenim

a) In omnibus reperiuntur eædem *ideæ generales*, seu facultas res quaslibet hoc et non alio modo concipiendi eadem, judicandi et ratiocinandi eadem facultas, uno verbo, initia seu principia rationis prorsus eadem. Solummodo principia illa non apud omnes æque explicata sunt, quod a variis causis pendet.

b) Si eam rationis partem speciatim spectas, quâ homo ens morale est, iterum apud omnes prima morum principia eadem reperies. Utique non omnes æque facile casus peculiares ad principia illa accommodant, non omnes vitam principiis illis consentaneam ducunt : ignorantia, errores, vitia multum in partes contrarias trahunt; sed prima de bono et malo principia, primæ faciendorum et vitandorum regulæ apud omnes homines hujusmodi sunt ut re sive essentiâ non differant.

c) Si denique ad principia religionis attendis, quod ultimum rationis complementum est, omnibus gentibus religionis ideam omnino naturalem esse conspicies. Non tantum religionis agnoscendæ et colendæ facultas omnibus a naturâ insita est; verum etiam prima et maxima generalia religionis capita apud omnes cognita et in usum recepta sunt. Quo sensu J. C. Prichard, de Oceani insularum incolis loquens, vere hæc dicit : Apud omnes instituta socialia ejusdem naturæ ac apud alios populos reperta sunt; omnes inventi sunt credere vitam futuram, Providentiam cujus præsidio ordo mundi servatur, bonorum ac malorum geniorum actionem in res mundanas, item efficaciam sacrificiorum, rituum funebrium et cæremoniarum observatarum a sacerdotibus, quos tanquam necessarios mediatores habebant inter populum et potentias invisibiles (1).

(1) *Histoire naturelle de l'homme*, tom. II, p. 342, versionis gallicæ : « Chez tous on a rencontré des institutions sociales de même nature que celles des autres peuples; chez tous on a trouvé la croyance à une vie

457. 3° Quod ad affectus et voluntatem tandem attinet, in his non minorem quam in potentiis intellectûs similitudinem inter omnes gentes comperimus. Etenim apud omnes deprehendimus cupiditates, appetitus, desideria, inclinationes et aversiones ejusdem naturæ; apud omnes liberum arbitrium, quod apud omnes rationibus ex ordine sive morali sive physico deductis allici potest, at cogi non potest. Hæc tam aperta sunt, ut ea paucis verbis indicasse sufficiat.

458. Itaque ex spectatâ undique animi humani indole non minus clare, imo forte melius elucet omnium gentium homines ejusdem naturæ, ejusdem essentiæ, ejusdem esse speciei (1).

future, à une Providence dont l'action protectrice maintient l'ordre de l'Univers, à l'influence exercée sur les choses de ce bas monde par de bons et de mauvais génies; tous croyaient à l'efficacité des sacrifices, des rites funèbres, et des cérémonies pratiquées par les prêtres, considérés comme médiateurs nécessaires entre le peuple et les puissances invisibles. »

(1) Hæc apprime declarat J. C. Prichard, ubi egregium opus suum concludit his verbis. « En resumé, si nous considérons l'ensemble des êtres qui jouissent de l'exercice de la raison et possèdent l'usage de la parole, nous trouvons chez tous (quelque différence qu'ils puissent présenter d'une famille à l'autre sous le rapport de l'aspect extérieur) les mêmes sentiments intérieurs, les mêmes désirs, les mêmes aversions; tous au fond de leur cœur se reconnaissent soumis à l'empire de certaines puissances invisibles; tous ont, avec une notion plus ou moins claire du bien et du mal, la conscience du châtiment réservé au crime par les agents d'une justice distributive à laquelle la mort même ne peut soustraire; tous se montrent, quoiqu'à différents degrés, aptes à recevoir la culture qui développe les facultés de l'esprit, à être éclairés par la lumière plus vive et plus pure que le christianisme répand dans les âmes, à se conformer aux pratiques de la religion, aux habitudes de la vie civilisée; tous en un mot ont la *même nature mentale.* Quand donc nous rapprochons de ce fait, qui est incontestable, ceux qui se rapportent à la diversité des instincts et des autres phénomènes psychologiques des animaux, diversité sur laquelle repose principalement, comme nous l'avons fait voir, la distinction des espèces, *nous nous sentons pleinement autorisés à conclure que toutes les races humaines appartiennent à une seule et même espèce, qu'elles sont les branches d'un tronc unique.* » C. Cantu, *Hist. univ.* 1e époq. liv. 1, c. 3, itidem unam omnibus hominibus stirpem esse recte probat ex hominum loquelâ, ex consensu inclinationum moralium, ex consensione traditionum antiquissimarum et ex similitudine cognitionum.

459. Frustra opponeres aliarum gentium ignorantiam et aliarum culturam litterarum, artium, scientiarum et earum disciplinarum quæ ad ingenium pertinent. Nam 1° quemadmodum homo, etsi optimâ intelligendi facultate præditus sit, prima rationis et morum principia non sine alienâ doctrinâ aperte cognoscit, ita litterarum, artium et scientiarum notitia et progressus præcipue pendent a scholarum et academiarum institutione et disciplinâ. Horum porro institutorum erectio et status a multis pendent rerum adjunctis ab hominum ingenii acie sæpe alienis. 2° Quemadmodum juvenis, cujus educatio procedente ætate prorsus neglecta fuit, vix unquam ad ulla ingenii opera idoneus est vel propter duritiem cerebri solam, ita et gentes, quarum ingenium et cerebrum per sæcula nullis severioribus disciplinis exercitata fuerunt, naturaliter aliquandiu minus aptæ manebunt ad egregrie colendas litteras et scientias. Naturæ enim lex est, ut parentum defectus plerique per generationem communicentur cum liberis. Attamen non omnino rara sunt exempla nigritarum et aliorum ex infimis gentibus hominum, qui, occasione datâ, specimen ingenii ad sublimia quæque aptissimi præbuerunt, ut Toussaint Louverture et alii, quos memorant Forichon, Maupied, etc. (1).

460. Manet ergo, homines ingenii cultu et dotibus acquisitis, sed neque mentis neque corporis naturâ differre; atque

(1) Vid. *Origine de l'homme*, p. 107—115 et 185—191. — P. Flourens, *Eloge de J. F. Blumenbach*, p. 27, de hac re sic loquitur : « A la forme près, le crâne du nègre est le crâne de l'Européen ; la capacité de ces deux crânes est la même. Ce qui est bien plus essentiel, leur cerveau est le même, absolument le même. Et d'ailleurs que fait ici le cerveau ? L'esprit humain est un. L'âme est une. Malgré ses malheurs, la race d'Afrique a eu des héros en tout genre. M. Blumenbach, qui a recueilli tout ce qui l'honore, compte parmi elle les hommes les plus humains, les plus braves; des écrivains, des savants, des poëtes. Il avait une *bibliothèque toute composée de livres écrits par des nègres.* » Nigritas denique ejusdem prorsus naturæ esse ac homines Europæos, vel ex solo patet libello egregio qui inscribitur : *La Morale en action des Noirs, ou exemples de vertus et de beaux traits de fidélité, de courage, de générosité et de bienfaisance donnés par les Noirs, par M. l'abbé J. Hardy, ancien missionnaire*, Paris, 1844.

adeo, ut recte monet Prichard, merito concludendum est, homines omnium gentium ad unam eamdemque speciem pertinere et ex unâ stirpe esse prognatos (1).

CAPUT II.

DE CONJUNCTIONE ET COMMERCIO ANIMI ET CORPORIS.

461. Hoc loco breviter exponere conabimur : 1° in quo consistat conjunctio animi et corporis humani ; 2° unde constet verum esse commercium inter animum et corpus ; 3° quænam ex eo commercio præcipue consequantur ; 4° quî philosophi illud commercium concipere et explicare voluerint. Addetur duplex appendix de somno et amentiâ.

§ I.

De animi et corporis conjunctione.

462. Etsi hominis animus et corpus substantiæ sint essentiâ maxime diversæ, ea tamen inter illa intima conjunctio est ut angustior nulla cognoscatur. Hujusmodi autem ea est conjunctio, *a*) ut *compenetrationis* vocari possit, hoc est, ut ex adverso opposita sit corporum impenetrabilitati, quâ fit ut corporeæ moleculæ quanquam aliæ juxta alias quam proxime positæ esse possint, aliæ tamen cum aliis eumdem locum simul occupare nequeant ; dum animus, utpote substantia simplex, corpus compenetrare, hoc est, cum corporeis moleculis eumdem locum

(1) In hanc questionem optime scripserunt : J. F. Blumenbach, *De generis humani varietate nativâ;* J. C. Prichard, *Histoire naturelle de l'homme;* N. Wiseman, *Discours sur le rapport des sciences et de la religion;* H. Luken, *Die Einheit des Menschengeschlechts*, P. Flourens, *Eloge historique de J. F. Blumenbach;* Forichon, *Examen des questions scientifiques, etc.;* Maupied, *Cours de physique sacrée, etc.* Duorum ultimorum lucubrationes de hac re conjunctas reperies in opusculo, *De l'origine de l'homme et de l'unité de l'espèce humaine*, Louvain 1844.

occupare potest et occupat. *b*) Conjunctio ea *personalis* est, hujusmodi scilicet, ut animus dignitatem suam cum corpore, quoad hujus natura sinit, vere communicet, et cum corpore unam personam efficiat, quæ pro utriusque substantiæ naturâ particeps est omnium eorum, quæ sive ab animo sive a corpore proficiscuntur aut fiunt. Unde etiam fit, ut secundum omnes leges et corpus et animus simul juste puniantur vel remunerentur pro actibus quibusvis vere humanis, sive animus sive corpus præcipuas in his partes habuerit.

463. Quæ quum ita sint, minus intricata apparet quæstio tantopere agitata de animi sede. Scilicet, quum animus sit substantia simplex, sine extensione, proindeque sine necessariâ relatione cum loco definito, non vero simplex sit instar atomi minimæ, consequens est animum non ita corpori junctum esse, ut in quodam minimo corporis loco resideat, sed eam conjunctionem consistere in animi præsentiâ et in animi agendi potentiâ in corpus, quantumvis multæ vel paucæ, magnæ vel parvæ sint corporis partes, quibus animus ita præsens adest (1).

464. Cæterum nec facile nec magni momenti est accurate scire, cui vel quibus corporis partibus animus ita præsens sit, ut eas penetret atque in eas ipsas agat, et quænam per alias tantum partes cum animo communicent.

465. Antiqui nonnulli velut duplicem animi sedem esse pu-

(1) « Mentis autem corporisque nexus et societas rationem quamdam conjunctionis habet, quæ explanari dicendo et intelligi cogitando non potest. Neque enim mens intra corpus est, quando rem corporis expertem corpore contineri fas non est. Etiam exterius nos non complectitur, quando iis, quæ corpore carent, nihil concludi potest. Enimvero mens modo quodam oratione inexplicabili, et qui ab intelligentiâ nostrâ comprehendi non potest, naturæ inest, eidemque copulatur, inque eâ et circa eam existit. Ut ei non insidet, ita eam non complectitur, sed adest ratione, quæ neque exponi potest, neque considerando exhauriri potest. Unum hoc intelligimus, naturâ salvâ et incolumi mentem etiam efficacitatem suam obtinere. » S. Gregorius Nyssen. *De opificio hom.* n. 15. « Quin et iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus et animalia sunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest. » S. Augustinus, *De civ. Dei*, lib. 22, c. 10. — Similia habet S. Gregorius Nazian. *Orat.* 34.

tabant, facultates intellectûs in capite, affectus autem in præcordiis potissimum collocabant. Apud scholasticos communiter receptum erat effatum : *animus totus in toto corpore et totus in qualibet corporis parte.* A Cartesii tempore, qui animum in glande pineali includebat, singulas cerebri partes alias post alias apud varios scriptores occupavit. Hæ autem opiniones sive Cartesii sive sequentium scriptorum omnes falsæ repertæ sunt, quum novis experientiis probatum fuit, animum actus suos rite peragere, etiam sine singulari illâ cerebri parte, quam scriptores isti alii post alios tanquam unam animi sedem habebant, vel parte illâ læsâ aut destructâ. Hodie plerique censent, animum proxime conjunctum esse vel cum cerebro toto circiter vel cum toto systemate nervoso, et intercedente hoc systemate cum cæteris corporis partibus communicare. Hæc opinio, quæ nobis probabilior videtur (1), sane intellecta a scholasticorum sententiâ non multum distat, quum systema nervosum per omnes corporis partes etiam minimas ramusculos suos explicet (2).

466. Quidquid porro sit de variis illis opinionibus, ex conjunctione sequitur intimum animi et corporis commercium.

§ II.

De commercio animi et corporis.

467. Hujus commercii nomine intelligimus illud phænomenum, seu eam nostræ naturæ legem, quâ fit ut pleraque illa quæ

(1) Hæc opinio ideo probabilior est, quod eæ corporis partes, quæ ob causam quamcunque non communicant cum systemate nervoso, nec voluntate moventur, nec ullum sensum animo transmittunt aut imprimunt.

(2) De *modo* porro, quo animus adest corpori, hæc recte monet S. Augustinus, *De immort. an.* c. 16 : « Moles omnis, quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus; quare pars ejus alibi est, et alibi alia. Anima vero, non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore... Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. » Similia habet S. Greg. M. *in Ezech.* lib. 11, hom. 5, n. 9.

in animo aguntur effectum aliquem in corpore producant, et vicissim quæ in corpore sunt aliquid efficiant in animo.

468. Hoc commercium verum esse, non autem inane imaginationis figmentum, plurimis probatur; sed illud tam manifestum est, ut paucissima tantum referam facta quibus aperte confirmetur.

469. Animi quidem in corpus actionem hæc probant : *Cogitatio* attenta et longa cerebrum fatigat, torquet et dolore afficit; imo, si modum excedat diu, corporis maciem, ægrotationem, tabem, alia producet incommoda. *Affectus* alii favent, alii nocent functionibus digestionis, respirationis, circulationis, nutricationis, etc. Ac nemo ignorat, quantum sæpe conferre possit ad corporis sanitatem sive conservandam sive reparandam v. g. continuum et moderatum animi gaudium, ut de ceteris bonis affectibus sileam, item quantum corporis sanitati obsit inter alias animi perturbationes profunda et præsertim diuturna tristitia etiam de re quæ sub sensus minime cadit. *Voluntatis* tandem actio in multas corporis partes tanta est, ut nihil promptius cogitari possit quam membrorum nostrorum motio ad voluntatis imperium.

470. Non minus perspicua sunt facta quibus patet, animum saltem in multis pendere ab iis quæ contingunt in corpore. Quis enim nescit, quid valeant in intellectum, in animi affectus et in ipsam voluntatem rerum externarum impressiones in organis sensuum, nonnullorum ciborum et potionum actio in organis internis, ac plures corporis læsiones et morbi? Quid enim? ut facta quædam generalia solum memorem, *a*) sine corporis organorum incitatione rem corpoream nullam cognoscimus, et contra, ut recte notat Pascal, vel levis muscæ bombus altissimam contemplationem turbat et ingenium præstantissimum impedit! Corpus rebus, quæ præsertim sub visum et tactum cadunt, incitatum plerosque animi affectus commovet vehementer. Quin etiam ea, quæ corpus sive foras sive intus afficiunt, per has ipsas corporis affectiones ita agunt in voluntatem, ut hæc vix libertatis suæ specimen quoddam dare possit,

imo ne libera quidem maneat, nisi corporis sensus ab incitamentis illis amovere studeat.

471. Nihil igitur animi et corporis commercio certius. At ex eo commercio plures et graves effectus in utrâque substantiâ produci necesse est, quorum præcipuos quosdam breviter exponere juvat.

§ III.

De commercii inter animum et corpus effectibus.

472. Totum volumen impleret qui omnes describere vellet effectus, qui animi et corporis commercium consequuntur, quique vulgo vocari solent influxus hominis physici in hominem moralem et hominis moralis in hominem physicum. Nos eos tantum indicabimus quorum notitia maximam utilitatem practicam habere videtur. Qui fere sunt : 1° ætas, 2° sexus, 3° temperamentum, 4° hæreditas, 5° lactatus et alimenta, 6° aer, anni tempestates, et climata, 7° morbi, 8° educatio, 9° exempla, 10° occupationes habitus et passiones.

473. I) *Ætas* animum primo quidem afficit, quatenus initio omnium rerum ignarus, earum notitias progrediente tempore tantum experientiâ, doctrinâ, studio etc. acquirit. Sed ætas maxime per corpus in animum agit; quippe *a*) quum corporis organa primum debilia, dein magis et magis solida, tum valida, denique infirma et caduca ministerium omnino varium præstent; quumque *b*) corporis affectiones, inclinationes, dispositiones, necessitates, variis ætatibus variæ, animum varie agitent, incitent, impellant, alliciant. Non enim ab animo solo, nec præcipue ab animo, minus etiam a solâ voluntate fit, ut homo pro diversâ ætate ad diversa aptus vel ineptus, propensus vel non propensus sit, uno verbo, ut hominis indoles cum ætate plane mutetur.

474. II) *Sexûs* diversitas facit, ut, quatenus viri et mulieris destinatio differt, etiam differant corporis conformatio et vires, et quæ inde sequuntur habilitates, propensiones,

affectus, cum uniuscujusque fine peculiari consentanei; sed minime tollit corporis proprietates aut animi facultates, scilicet cognoscendi, appetendi et volendi potentias, quæ ad humanæ naturæ essentiam pertinent, et propterea omnibus hominibus communes sunt, seu potius quibus homines sunt.

Unde sequitur, eos humanæ naturæ convicium facere : 1° qui ex virium et facultatum differentiâ inferunt, homines non esse liberos ; 2° qui mulierem velut naturæ inferioris habendam esse censent et tanquam viri vile mancipium, ut plerumque fit apud gentes non christianas ; 3° qui mulieri eadem ac viro functiones, jura, officia, sive domestica, sive publica et politica committunt, perinde ac nulla virium, facultatum, finium differentia inter virum et mulierem esset.

475. III) *Temperamenta* vocantur diversæ humanorum corporum constitutiones, quæ a partibus organa constituentibus pendent, per se quidem permanent, cum sanitate stare possunt, et hoc efficiunt ut homines etiam per eas differant tum habitu exteriori, tum vi, inclinatione et habilitate corporis, tum denique ipsâ mentis facilitate.

476. Medicorum et physiologistarum est ea quæ temperamenta spectant late describere ; nos pauca quædam de iis delibare tantum possumus. Docti non consentiunt de numero temperamentorum. Satis multi cum antiquis agnoscunt quatuor temperamenta primaria, quæ olim vocabantur : *sanguineum*, *biliosum*, *melancholicum* et *pituitosum*. Quibus alii addunt temperamenta *athleticum* et *nervosum*. Alii hæc posteriora habent pro temperamentis acquisitis et factitiis potius quam nativis. Alii alia adjungunt. Plerique hodie ea aliis nominibus appellant.

477. Antiqui temperamenta varia pendere censebant a variâ permistione eorum, quæ tanquam elementa corporis constituentia habebant, calidi, frigidi, sicci et humidi. Et ubi omnia ea elementa æquâ lance ponderata erant, temperamentum temperatum habebatur, quod omnium optimum erat. Alii docuerunt temperamenta esse varia a variis humoribus, seu prout hi aut illi humores prævalerent. Nunc plerique existimant tempera-

mentorum causam esse præcipuorum organorum compositionem, conformationem, vigorem; quin etiam temperamentis nomina tribuunt ab organorum nominibus derivata.

478. Præter temperamenta simplicia multi agnoscunt aliquot temperamenta mixta, in quibus duorum vel plurium caracteres conjuncti sunt.

Ceterum nullius hominis temperamentum adeo simplex est, ut alius temperamenti character nullus ei sit admixtus. Hoc sensu cujusque hominis temperamentum magis aut minus temperatum est.

479. Quodlibet temperamentum: *a*) insignitur peculiari habitu exteriori, scilicet vultûs, cutis, crinium, oculorum, imo totius corporis specie, colore, macie, firmitate, vel notis contrariis; *b*) efficit ut corpus, cui inhæret, his potius quam aliis morbis et infirmitatibus obnoxium sit; *c*) facit ut idem corpus magis aptum sit ad has illas quam alias functiones exequendas, ut magis propensum sit ad hæc quam alia alimenta, potiones, alimentorum et potionum quantitates, item ad quietem vel motionem, ut magis ad has quam alias inclinet cupiditates, motus et excessus (1); *d*) causa est ut homo vehementius vel contra feratur in has illas animi exercitationes, ut facilius vel difficilius moderetur hos illos animi affectus, utque propter hæc omnia libentius atque adeo constantius hos illos quam alios actus mentis velit efficere.

480. Non est nostrum speciatim enarrare, quibus signis singula temperamenta distinguantur, quibus morbis nominatim corpus disponant, quas habilitates tribuant, quos affectus excitent, etc. (2); sed nostrum est paucis verbis hæc notare: *a*) Temperamentum una est ex causis quæ maxime et constantissime hominem impellunt ut hos potius quam alios actus faciat. *b*) Quantacunque sit vis hujus impulsionis, ea liberi

(1) V. g. Constitutio sanguinea magis impellit ad amorem, pituitosa ad pigritiem, biliosa ad odium, ambitionem, invidiam.

(2) Cff. opera physiologica Lepelletier, Adelon et De Breyne, item brevis temperamentorum descriptio ex Descuret in APPEND. *Not.* N.

arbitrii exercitationem faciliorem et difficiliorem reddere potest, sed eam impedire, seu ut actus nostri necessario fiant efficere nequit. *c*) Nam in quolibet peculiari casu, ubi locus sufficiens manet deliberationi, voluntas retinet facultatem sive obsequendi impulsioni a temperamento profectæ, sive eidem resistendi et aliter agendi, prout voluerit, *d*) Quin etiam penes voluntatem hominis est, adhibitis congruis remediis sive physicis sive moralibus (1), efficere ut impulsiones temperamenti adeo debilitentur ut plerumque eis facillime resistatur, imo efficere ut temperamentum vel ipsos præcipuos suos characteres perdat ac velut funditus immutetur.

481. IV) *Hæreditas* seu natales multum conferunt ut liberi parentibus suis similes fiant. Ea enim velut naturæ lex est, ut quælibet entia viventia cum prognatis suis pleraque bona et mala, vires et defectus, quibus ipsa prædita sunt, vià generationis communicent. Unde fit ut prolibus parentum vitia, propensiones, præsertim cupiditates animales, etc. passim ingenita sint, non minus quam vultus et totius corporis figura, habitus, temperamentum.

Porro quemadmodum horum omnium transmissio ad proles minui vel impediri potest, si parentum constitutio ita differt ut unius vitium compensetur virtute alterius, ita soboles eo citius et eo pejus ejusmodi vitiis nativis inficientur, ubi utrique parentes eodem malo laborant.

482. V) *Lactatus*. Optimi quique naturæ contemplatores notarunt, proles cum lacte materno velut sugere lactantium virtutes et vitia, præsertim propensiones quæ hominibus et animantibus communes sunt. Id quidem non adeo mirum videbitur, si animadvertas, *a*) lac maternum per infantis corpusculum non tanquam per tubum transire, sed in infantis sanguinem et carnem, nervos et medullam vere converti; *b*) atque

(1) Ad remedia physica pertinent alimenta, vestitus, habitatio, aer, clima, occupationes, etc. Ex moralibus remediis solum nominabimus constantem voluntatem actus convenientes repetendi, unde contrahatur habitus, quæ velut altera natura fit.

eo efficaciores esse plerasque impressiones, quo teneriore recipiuntur ætate.

Nemo non videt, quam curam propterea impendere debeant in seligendâ nutrice omnibus necessariis dotibus instructâ matres illæ, quæ ipsæ proles suas lactare nequeunt.

483. *Alimenta.* Quod lac in infantiâ, hoc in provectiore ætate alia alimenta efficiunt. Ita enim corpori nostro assimilantur, ut ex iis vere constituantur quævis corporis partes. Hinc non tantum corporis obesitas vel macies ab alimentorum copiâ vel penuriâ venit, sed pro ciborum et potionum varietate variæ corporis affectiones generantur, ut v. g. aliis alimentis corporis humores incalescant, aliis frigescant, atque adeo aliis libidines incitentur, aliis mitigentur (1).

Nam, sicut quorumdam ciborum et potionum usu immoderato quandoque totius corporis œconomiam illico mutari, imo et rationis usum turbari videmus, ita, proportione servatâ, continuo ac præsertim diuturno horum illorum alimentorum usu corpus et corporis affectiones atque inde natæ in animum impulsiones penitus possunt immutari.

Nemo ignorat, quî inde fiat, ut victûs ratio plurimum conferat tum ad corporis morbos sive contrahendos sive arcendos tum maxime ad animi motus alendos vel refrenandos.

484. VI) *Aer*, quem spiritu ducimus, in pulmonibus miscetur cum sanguine, atque adeo unum constituit ex alimentis quibus corpus nutritur et reficitur. Unde plane consequens est, aerem, prout purus vel heterogeneis elementis refertus est, æque ac cætera alimenta, corpus varie afficere, atque per corpus in ipsum animum agere, præsertim ubi usus ejusdem aeris puri vel corrupti diuturnior est.

485. *Anni tempestatum* actio in organa nostra et per organa

(1) « Il est bien prouvé qu'un régime animal exclusif et l'usage des boissons fermentées rendent les passions plus violentes ; tandis qu'une diète végétale, lactée, et la privation de ces mêmes liqueurs ne tardent pas à émousser leur aiguillon. » DESCURET, *La médecine des passions*, 1e p. ch. IV.

in animum eis intime conjunctum tam perspicua est, ut nemo eam non videat. Ejus efficacia tanta est, ut medici distinguant morbos vernales, æstivos, autumnales et hiemales. Quod non miraberis, si v. g. spectas, ut reliqua taceam, *a*) quî aer variis anni temporibus varia et variâ quantitate adjuncta habeat elementa, præsertim vero humidus, siccus, calidus, frigidus gradibus maxime variis efficiatur; vel *b*) quî anni tempestates agant in regnum vegetale, adeoque in nutricationis systema universum.

486. *Clima* cœli temperatione et atmosphærâ, in quâ quis vivere solet, longe magis quam geographicâ loci latitudine constituitur. Ex quâ descriptione solâ jam patet, quantopere illud agere debeat in hominem physicum et moralem. Unde jam inde a remotissimâ antiquitate viri præstantissimi, Hippocrates, Plato, Aristoteles, Cicero, etc. notarunt, climatum varietate præsertim formari variam populorum constitutionem tum physicam tum moralem. Quod eo facilius concipitur, quod clima eamdem efficientiam exerceat in viventia omnia, sive animalia sive vegetalia.

487 VI) *Morbi* tum chronici tum acuti organa nostra nimium astringunt quam ut homo inde non afficiatur totus. Hinc fit, quod quotidiana docet experientia, ut morbi plerique non tantum corporis appetitum mutent et vitient, sed etiam ut alii omnem mentis exercitationem impediant vel molestam faciant; alii rationem turbent et delirium provocent; alii imaginandi vim deprimant et extinguant, alii elevent et incendant, atque hominem velut ingenio sublimiori præditum exhibeant; alii rursus cupiditatum fomitem compescant et restinguant, alii contra alant et inflamment; denique, ne longior sim, ut hominis *affectiones* non raro omnino mutent, et hominem velut a se alium efficiant. Quî porro hæc aliter se habere possint, ubi animus cum corpore quod patitur tam arcte conjunctus est?

488. VIII) *Educatio* mediis corporis sensibus rectà in ipsum animum agit, et eâ quidem efficacitate ut præcipuas partes

habeat in formando hominis intellectu et corde, seu potius conscientiâ intellectuali et morali. Intellectum quidem format ingerendo plerasque rerum, præsertim sensus effugientium, notiones vel rectas vel falsas; format autem conscientiam moralem præcipiendo et prohibendo, laudando et vituperando, remunerando et puniendo actiones quæ ab iis qui educationi præsunt tanquam bonæ vel malæ perhibentur. Hinc naturali quadam consequentiâ fit, ut homines plerique tum in societate domesticâ tum in societate politicâ iisdem opinionibus, iisdem præjudiciis, iisdem persuasionibus sive veris sive falsis imbuti sint, quas a parentibus, cognatis, præceptoribus, aliisque educationi suæ præfectis didicerunt. Eis autem opinionibus eo tenacius adhærere solent, quo citius et diutius eas combiberint, et quo amiciores sibi essent ii a quibus illas receperunt. Utinam omnes, quibus vera hominum felicitas cordi est, hæc serio meditarentur!

489. IX) *Exempla*. Homo naturâ suâ propensus est ad alios imitandos, eos potissimum quos præ cæteris amat et admiratur. Hinc inprimis exemplorum pars non minima est in puerorum educatione; sed eorum efficientia etiam plurimum valet in aliâ quâvis ætate. Quis enim ignorat, homines plerosque magis aliorum more quam ex suo ipsorum instituto vivere? Quam innumeri sunt qui in omni vitæ suæ ratione longe minus curant quid licitum sit aut illicitum, quam quod usu receptum? Quam multi sunt, ex iis ipsis qui se ad alienum arbitrium agere nolle venditant, qui nihil facere audent contra opinionem apud homines quos frequentant receptam, etiam dum eam intra se improbant et condemnant? Nonne apud multos mos ille imperiosus rex est, cujus ad exemplum totus componitur orbis? Et nonne hinc fit, ut plerique sensim et sine sensu contrahant mores, opiniones, affectus eorum quibus familiariter utuntur? Videant igitur, qui suæ et aliorum vitæ curam gerere debent, quænam exempla præ oculis habere oporteat, quos conventus frequentare, quibus uti amicis, libris, scholis! Exempla enim sumere solemus non tantum ab hominibus a

quibus datâ operâ proponuntur, sed et a scriptis, ab historiis etiam fabularibus, a theatro, etc. Quotusquisque eâ animi fortitudine est, ut ejusmodi exemplorum illecebris non succumbat!

490. X) *Occupationes* seu consuetæ exercitationes sive animi sive corporis etiam plurimum conferre ad actiones quæ exercitationes illas sequentur, ex his patet. 1° Quævis corporis exercitatio corpus peculiari modo afficit, etiam nullâ habitâ ratione medii physici salubris aut insalubris in quo versamur; corpus enim incitat vel sedat, erigit vel comprimit, allevat vel fatigat, reficit vel deterit. 2° Ea inter animi facultates connexio est, ut fieri fere nequeat ut mens diu detineatur in cogitatione quâdam, quin hæc incitet affectum, atque cogitatio et affectus simul moveant voluntatem et hanc ad agendum impellant. 3° Exercitationes omnes, sive animi sive corporis quibus assuefimus, hoc ipso animum et corpus expeditiora reddunt ad actiones similes faciendas, et earum habitus creant.

491. *Habitus* autem plerumque definitur facilitas agendi contracta ex frequenti earumdem actionum repetitione. Hæc porro facilitas hujusmodi est, ut hominem non tantum alacrem faciat et expeditum ad agendum, sed eum etiam excitet et impellat, ac tantâ quidem sæpe vi, ut vix ulla impulsio vehementior esse possit. Etenim non omnis habitus æque vehemens est, nec idem semper eâdem vehementiâ hominem ad agendum impellit; at, ubi habitus inveteravit et usu corroboratus est, actiones, quæ alioquin fiunt sine deliberatione, sæpe sæpius facere cogit ante omnem deliberationem et sine ullo jussu voluntatis, quin etiam contra voluntatis propositum maxime firmum (1).

492. Propterea omnes qui de disciplinâ morali disserunt, habitum distinguunt revocatum seu retractatum et non retractatum, prout homo, ubi habitum suum novit, seriâ et firmâ voluntate statuit, vel negligit illius habitûs cessationem sive

(1) Habitus inveteratus nulli alii rei similior est quam cæco instinctui.

immutationum cessationem. Item docent omnes, culpæ reum esse qui ex habitu cognito et non retractato actionem scelestam committit, etiamsi non attentus actionis suæ malitiam nunc non animadvertat; at culpâ vacare eum qui habitu seriâ et firmâ voluntate revocato in facinus quoddam protruditur.

493. Igitur vis habitûs quandoque tanta est, ut homo nunc non sit liber ad hunc illum actum faciendum vel omittendum, sed solum liber maneat ad decernendum habitûs cessationem et ad adhibenda remedia quibus ille pedetentim exstirpetur; alias autem penes liberum arbitrium manet ab actu, ad quem habitus impellit, abstinere, quæ abstinentia tamen plerumque difficilis est.

494. *Passiones* vix differunt, quod ad præsentem tractatum attinet, ab habitibus pravis. Attamen, si rem stricte sumis, passionum quam habituum impulsio magis interrupta, minus æqualis, et plerumque violentior esse solet; præterea passio habitum facillime creat et sæpissime cum habitu conjuncta est.

495. Ex his ultro conspicitur, ex omnibus causis quas recensuimus, nullam majore vi agere in hominum actiones quam passiones, præsertim ubi habitum qui ad easdem actiones impellit conjunctum habent, nullamve gravioribus difficultatibus implicare liberum voluntatis exercitium.

Non mirum igitur, ex universis rebus quæ sive in animum sive in corpus agunt, nullam ad plura scelera conducere, nullam corpori plures malos morbos adsciscere (1).

496. XI. Si has causas, quæ in corpus et animum nostrum agunt, omnes simul consideras, facile concipies, cur homines quidam, qui voluntatis nostræ virtutem et præstantiam non satis perpendunt vel præ ignaviâ non experiuntur, hominem non liberum esse contendant, sed variis illis causis quaquaversus duci, seque liberum æstimare quod earum ductum libenter vel saltem sine sensu sequatur.

497. At experientia sola satis docet, illas causas quidem im-

(1) Vid. in hanc rem locus ex Descuret in APPEND. *Not.* O.

pellere, sed non efficere nostras actiones, atque iis non impediri quominus homo liberum suum arbitrium exerceat. Nam penes nos esse sentimus, ut causis illis vel obsequamur vel resistamus, prout volumus. Resistere autem dupliciter possumus: *a*) abstinendo ab actione ad quam impellimur, vel etiam actionem contrariam ponendo, quod plerumque ab arbitrio nostro pendet; *b*) ipsas eas causas vel tollendo vel temperando, quod nemo non potest qui ratione utitur.

498. In hoc porro hominis præstantia, virtus et meritum maxime positum est, quod causas illas, quibus ad actus bonos, honestos, utiles inducitur, augeat et roboret; causas autem, quibus ad mala, illicita, noxia impellitur, minuat, amoveat, tollat; et quamdiu perstant, illis invitis, animo forti faciat quod æquum et justum est.

499. Ut autem facile hac ratione se gerere possit, regulæ quædam servandæ sunt, inter quas has notare juvat: 1° Ne successum notabilem aut diuturnum speres, nisi præter actus bonos impenso studio et labore bonorum *causas* augere et malorum minuere coneris, atque adeo nisi *habitus* bonos contrahere studeas. 2° Bona, quæ conditioni tuæ conveniunt, jam a primâ juventute sectare, ubi corporis et animi vires ad quævis suscipienda aptiora sunt, atque malorum principiis obsta. 3° Inter animi facultates eam consensionem esse memento, ut diuturna cogitatio affectum, affectus voluntatem, voluntas actionem provocet. Quapropter multum meditare de iis quæ amanda sunt et facienda, et mentem, quantum potes, averte ab iis quæ vitare debes: hac lege non servatâ, affectus et actus tuos nunquam recte moderaberis.

500. XII) Denique, quod notatu dignissimum est, ex humani animi et corporis conjunctione fit, ut omnes res creatæ inter se et cum suo creatore connexæ et ordinatæ conspiciantur, quippe quæ universæ per hominem referantur ad Deum. Etenim Deus, utpote sapientia infinita, nihil efficere potest sine fine sapientiâ suâ digno; entia autem ratione et libero arbitrio destituta producere nequit propter se ipsum, quum

Deo nec utilia esse possint, nec per se ad eum referri; atque adeo sine homine finis eorum creationis non concipitur. Nunc autem, ut paucis verbis plurima complectar, mineralia vegetalibus, vegetalia animantibus, et hæc omnia hominis vitæ corporeæ tam necessaria esse videmus, ut homo sine illis, quemadmodum animalia sine vegetalibus et vegetalia sine mineralibus vivere et conservari nequeant. Itaque sicut illa omnia ad hominis corpus referuntur, ita corpus ad animum refertur, et animus ratione et libertate præditus se ipsum, secundum creatoris finem, refert ad Deum... Igitur quæ sine homine fine divinâ sapientiâ digno carere viderentur, hominis duplici substantiâ positâ, Deo omnino digna conspiciuntur. Ergo animi et corporis in homine conjunctio vinculum est, quo omnia inferiora cum Auctore suo apte colligantur... Omitto aliud hujus veritatis argumentum proferre ex eo quod hominis animus, quia rationis particeps est, ex iis creatis, quæ corporis sui vitæ necessaria sunt, creatoris sapientiam, potentiam et bonitatem intelligat, atque adeo omnia cum amore et gratiarum actione Auctori suo naturaliter referat.

§ IV.

Philosophorum opiniones de modo quo animus cum corpore communicet.

501. Æque ac certum est animum cum corpore communicare, ita inter philosophos plurimum controversum est quomodo illa communicatio fiat. Opiniones de eâ re maxime variæ sunt.

502. I) Hoc loco non memorabimus opinionem materialistarum et idealistarum sibi constantium, qui, quum unam solum substantiam in homine profiteantur, hoc ipso omne verum commercium tollunt. Qualitates ejusdem substantiæ physicas in morales et morales vicissim in physicas agere quidem dicunt, sed præsentem quæstionem stricte sumptam non attingunt, quæ tota versatur circa modum quo duæ substantiæ

diversæ altera in alteram agat. Eamdem ob causam præsens quæstio non pertinet ad pantheistas, qui omnium entium substantiam unam tantum ponunt, a quâ proinde omnes omnium actiones proficisci necesse est.

Hæc igitur quæstio inter eos philosophos tantum agitatur qui hominem duabus vere substantiis constare agnoscunt. Præcipuas eorum opiniones breviter saltem perstringemus.

503. II) Primo quidem quæstionem propositam non recte solvunt, qui animum quidem in corpus, at non vicissim corpus in animum vere agere censent. Illi enim errare videntur, tum *a*) quod existimant corporum inertiam in eo consistere quod corpora ipsa sint mere passiva, nullâve activitate sibi propriâ naturaliter prædita ; tum *b*) quod communicationem animi et corporis reciprocam non explicant sed tollunt, quam phænomena tamen aperte testantur.

504. III) Nec plene satisfacit quæstioni agitatæ systema *influxûs physici;* quod quidem verum est, quatenus aperte agnoscit actionem utriusque substantiæ reciprocam et vere impellentem, sed ejus actionis modum, quem nunc quærimus, non explicat ; minime enim dicit, quî animus physice agat in corpus, aut quî corpus *physice* impellat animum, sive v. g. emittendo particulas quasdam materiales, ut Leibnitii verbis utar, sive alio modo quocunque.

505. IV) Longe minus recipi potest systema *causarum occasionalium*, cujus auctor fuit Malebranche (1). Pro hujus opinione, nec corpus in animum agit, nec animus in corpus; sed Deus, *occasione* motionum quæ in corpore fiunt, excitat mentis cogitationes, affectus et voluntatem, itemque corporis motiones excitat *occasione* volitionum animi ; itaque solus Deus vera causa efficiens est, animus autem et corpus causæ *occasionales* (2).

(1) Malebranchio præluserunt Clauberg, *Ontosophia*, Groningæ 1647, et Geulinx, *Ethica*, Amstelodami 1665.

(2) En pauca excerpta ex *Inquisitione veritatis*, lib 6, p. 2, c. 3, quibus hæc doctrina expresse continetur : « Nulli corpori se movendi potentia est... Nullus spiritus creatus movere potest corpus quodcunque... Vis mo-

Verum enim vero *a*) hæc theoria primo actionem reciprocam non explicat, sed negat. *b*) Negando animum actuum suorum causam efficientem esse, hominis libertatem tollere videtur. Auctor quidem dicit, a mentibus posse versus res alias determinari impulsiones quibus Deus eas versus se ipsum movet : at quis non videt, has determinationes in potestate nostrâ esse vel non esse, prout earum auctores seu veræ causæ sumus vel non sumus (1)? *c*) Affirmando Deum solum veram causam esse, Deo soli omnium legum executio committitur, solus Deus facit omnia quæ fiunt. Ut videas quo hæc opinio conducat, hoc unum cogites velim, quid alia in alia animalia faciunt (2). *d*) Quin etiam omnia Deo tanquam soli causæ

vens corporum non in corporibus est... Virtutes, potentiæ, causæ veræ in mundo materiali et sensibili nullæ sunt... Non solum corpora nullius rei causæ veræ esse possunt, mentes nobilissimæ in eâdem impotentiâ versantur : nihil cognoscere possunt, nisi Deus eas illuminet ; nihil sentire possunt, nisi Deus eas afficiat ; nihil velle possunt, nisi Deus eas moveat versus bonum in universum, hoc est, versus se ipsum impulsionem, quâ eos versus se ipsum ciet, versus alias res determinare quidem possunt, at nescio an hoc potentia vocari possit... Non tantum homines non sunt veræ causæ motuum quos in corpore suo producunt, sed mihi videtur omnino fieri non posse ut homines veræ causæ sint... Causæ naturales non veræ causæ, sed *causæ occasionales* tantum sunt. Voluntas Dei sola vere causa est. »

(1) « Certe si eo usque producitur hæc doctrina, ut actiones etiam immanentes substantiarum tollantur, adeo a ratione apparet aliena ut nihil supra. An enim mentem cogitare ac velle, et in nobis a nobis elici multas cogitationes et voluntates, ac spontaneum penes nos esse, quisquam in dubium revocabit? Quo facto non tantum negaretur libertas humana, et in Deum causa rejiceretur malorum, sed etiam intimæ nostræ experientiæ conscientiæve testimonio reclamaretur, quo ipsimet nostra esse sentimus, quæ nullâ rationis specie a dissentientibus in Deum transferrentur. » LEIBNITIUS, *Opp. ed. Dutens*, t. 2, part. 2, p. 54.

(2) « In eo systemate, inquit Jaquelotus, Deus agit omnia, creaturæ non nisi umbræ sunt vanæ, et entia actionis expertia. Quid ergo virtutibus et vitiis fiet? An credi oportet, Deum ad aspectum Betsabæ in animâ Davidis ideam concupiscentiæ excitasse, et in animas Pharisæorum impressisse ideas blasphemiæ contra Spiritum, cum dæmones viderent ex corporibus dæmoniacorum ejectos? Quocunque effugio, aut quacunque subtilitate utamur, res huc semper redit. » Ap. *Leibnitii opera phil. om. ed. Erdmann*, p. 433.

vere effectrici tribuendo, hæc opinio aperte favet pantheismo, contra mentem auctoris. *e*) Fefellit auctorem ingenii subtilitas, quum divinum dominium non integrum manere putaret, si homo vera actuum suorum causa esset; perinde ac si causa vera esse non posset, nisi omnino et undequaque independens foret.

506. V) Nihilo melius est Leibnitii *harmoniæ præstabilitæ* systema, quod huc recidit : Animus solâ vi sibi internâ et serie continuâ omnes actus suos perficit, perinde ac si corpori non esset conjunctus; ratio autem, cur animus nunc hos actus ponat, in ejus statu præcedente continetur, nam quilibet status præsens futuro gravidus est, et in primo animi statu reliqui omnes, quos unquam habiturus est, suo modo includebantur. Corpus itidem machina est, quæ solâ vi sibi propriâ movetur, et quaslibet motiones suas, etiam quæ voluntariæ dicuntur, sine ullâ animi impulsione peragit; et cujusvis statûs præsentis ratio sufficiens continetur in statu antecedente. Causa denique, cur animi et corporis motus concordent, non est quærenda in alterius in alterum actione quâdam, sed in Dei sapientissimâ præordinatione, qui, omnes animi actus futuros prævidens, ei conjunxit corpus tanto artificio constructum ut omnes ejus motus animi motibus responderent.

507. Leibnitius eam opiniomem probare nititur his fere verbis : » Cogita duo horologia pendula quæ omnino concordent. Concordia hæc tribus modis effici potest : primo, mutuo influxu; secundo, apponendo peritum artificem qui ea singulis momentis corrigat et ad concordiam reducat; tertio, ea fabricando tanto artificio et tam aptâ partium compositione, ut eorum concordia deinceps indubia sit. Jam horologiorum istorum loco pone animum et corpus. Eorum consensio uno ex his tribus modis fieri potest. Philosophia vulgaris mutuum *influxum* agnoscit; sed hæc sententia rejici debet, quia concipi nequeunt particulæ materiales ex unâ harum substantiarum transeuntes in aliam. Systema *causarum occasionalium* continuam creatoris operam postulat; at ita introducitur *Deus ex machinâ* in rebus natura-

libus et ordinariis, ubi secundum rationem concursus naturalis sufficit. Sola igitur manet mea hypothesis *harmoniæ præstabilitæ...* Quæ satis probatur ex eo quod Deus ita rem efficere potuit, et quod hic modus pulcherrimus est et Deo maxime dignus (1). »

508. Attamen, ut hæc duo argumenta valerent, auctor demonstrare debuisset : 1° rem non aliter fieri posse quam uno ex tribus modis quos recenset ; 2° nullum alium modum Deo dignum esse posse. Ipsi systemati porro hæc adversantur : *a*) Contra phænomenorum testimonium mutua corporis et animi impulsio *utrinque* negatur ; *b*) hinc autem causalitatis principium, quo ab effectis seu phænomenis ad causas ascendimus, labefactatur ; *c*) inde rursus, et ex eo quod » perceptiones et appetitiones (verba Wolfii sunt) in animâ eodem » quo nunc modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret, » via philosophica idealismum refutandi plane tollitur. Præterea *d*) neutra duarum substantiarum alterius actionum particeps esset, neutra alteram curare deberet, utraque alteri aliena foret, et minus societate conjuncta quam vestis corpori. Hæc addo : *e*) etsi præsens animi status gravidus sit futuro, quatenus nunc adesse debent quæ necessaria sunt ut actum mox futurum facere possimus, atque adeo status animi præsens ratio quomodocunque sufficiens sit cur status hic ille *possit* esse futurus, tamen, quatenus, positâ ratione sufficiente, hoc ipso ponitur ratiocinatum, theoria rationis sufficientis cum verâ liberi arbitrii motione conciliari non potest (2).

(1) Vid. Leibnitii, *Principia philosophiæ*, § 18-25 ; *Essais de théodicée*, p. 1, § 61 sqq. ; *Principes de la nature et de la grâce ; I Éclaircissement*, *II éclaircissement*, *III éclaircissement du nouveau système ; Réplique aux réflexions de Bayle sur l'harmonie préétablie*, etc. item Wolfii, *Psychol. rat.* § 613-616.

(2) Illud commentum etiam recte confutavit Ant. Genuensis (*Element.* p. II, prop. 27) ubi ait : « Sumat quis in manus lexicum aliquod linguæ alicujus catalogum plantarum, animantium, aut aliarum rerum, dictionaria artium, scientiarum, historiarum ; intra horam percurrere potest duo millia verborum idearum nullo modo inter se connexarum... Quis in om-

509. VI) Difficultati solvendæ melius prælusisse videntur qui *spiritus animales* seu *vitales* corpori regendo præfecerunt, eosque velut medios inter organa et animum habuerunt; item ii qui in illorum spirituum locum suffecerunt *fluidum* sive *electricum* sive *nervosum*, quod nomine magis quam re differt ab illis spiritibus.

510. Verumtamen difficultas non penitus explanata erat, quia spiritus et fluida illa, etsi materiæ subtilioris essent, semper materialia manebant, et ideo minime explicabant, quî materia in spiritum, corpus in animum et vicissim ageret. Igitur facile intelligitur, quî remote interposita sint inter animum et corpus, non autem quî proxime et quæ velut immediata communicationis via.

511. Qui *mediatorem plasticum* velut substantiam mediam inter corpoream et spiritualem posuerunt, ut J. Clericus (1), probabilis hypotheseos conditiones forsan implevissent, si ejus mediatoris notionem apte descripsissent et materiam non nimium ut rem mere passivam habuissent.

512. Aliam hypothesim proposuit Cl. Bautain (2) his verbis: « Est aliquid rei quo duæ substantiæ conjungi et commercium habere altera cum alterâ possit; quod quidem immediate facere non possunt, hoc ipso quod substantiæ sunt. Nam, si duæ substantiæ se penetrare possent, altera alteram absorberet. Illud rei non est tertia quædam substantia; esset enim vel animus vel corpus, et difficultas eadem maneret. Neque res externa est, animo et corpori arbitrario interposita, et cujus ratio necessaria non reperiatur in ipsis iis substantiis; at ea res est utriusque *spiritus*, qui neque substantia psychica neque substantia physica est, sed proprietas essentialis duarum naturarum, et harum productio immediata statim ac ipsæ se evolvere

nibus his dixerit rationem posterioris ideæ aut perceptionis contineri in anteriore, et non potius in impressionibus in sensibus aut cerebro factis?...»

(1) *Bibliothèque choisie par Jean Leclerc*, 1703, tom. 2, art. 2. Amterdam 1713.

(2) *Psychologie expérimentale*, chap. 2, Paris 1839.

incipiunt. Potentiâ suâ, facultatibus suis, radiatione suâ sive spiritu suo animi commercium habent inter se et cum corpore. Spiritus quod volatiles, extensioni obnoxii, non substantiæ sunt, eo ipso alii alios penetrare possunt, et sicut luminis radii decussantur et alii per alios transeunt sine naturæ suæ mutatione. Spiritus physicus, qui e corporibus emanat, incipit commercium inire cum spiritu psychico, qui ab animo venit, et permistione suâ regionem mediam formant quæ ambarum naturarum particeps est, et in quâ illæ altera in alteram agere possunt distantes et mediate. » Ita L. Bautain.

513. Sed uterque ille spiritus antea ignotus ab auctore excogitatus videtur ex merâ necessitate systematis, ut aiunt, atque adeo nullo alio nititur fundamento quam auctoris illum concipiendi facultate.

Præterea quod auctor docet, duas substantias se invicem penetrare non posse quin altera alteram absorbeat, id vel hoc solo refellitur quod divina substantia ceteras omnes penetrat sine ullâ earum absorptione.

514. VII) Ego autem de totâ eâ quæstione sic existimo, illam solvi omnino non posse pro voto eorum qui operationum naturalium modum ita prorsus intelligere cupiunt ut ipsa naturæ mysteria perspecta habere velint, v. g. quo modo calor avium ova excludat et plantarum semina germinare et crescere faciat, vel quo ex uno grano sexcenta nascantur, vel quo gravitate generali omnia corpora alia attrahantur ad alia. Sed si intima naturæ mysteria non ita penetrare contendis, quæstio proposita non tam difficilis est, ubi ambas substantias cum maximis philosophis dynamice concipis, at præsertim animadvertis vires seu potius potentias activas, quas antiqui formas substantiales vocabant, quæque in substantiis, pro variâ substantiarum naturâ, variæ sunt.

Ita antiqui in omni corpore ponebant formam corporeitatis, ut ipsi loquebantur, in plantis præterea formam vegetativam, in brutis animantibus insuper formam sensitivam, in homine denique adhæc formam rationalem. Hodie autem in omni cor-

pore agnoscitur saltem vis attractionis, in plantis præterea vis seu vita vegetativa, in animantibus adhæc vita sensitiva, in homine præter vires illas omnes vita rationalis.

Verum quidem est, ut hodie vires, ita olim formas illas substantiales varie, præsertim bifariam concipiebant, ita nempe ut alii formas velut totidem formæ superioris facultates haberent, alii vero omnes illas formas etiam in eodem homine tanquam totidem animas distinctas agnoscerent (1). Sed utrolibet modo rem intelligas, facile concipitur, quî animus, quæ est substantia seu potentia activa in se subsistens, agat in corpus, et corpus in animum, mediis illis quas nominavimus viribus, quæque in multis affines sunt animo, quin etiam substantiæ dynamice conceptæ cuique; illud saltem tam facile concipitur quam actio attractionis universalis in moleculas quasvis corporeas.

Atque hæc de quæstione illâ theoreticâ sufficere videntur (2).

APPENDIX I.

DE SOMNO.

515. Somnus et vigilia status periodici sunt, omnibus rebus viventibus, plantis æque ac animantibus, suo modo communes. In homine porro ambo et animo et corpori proprii sunt; et quamvis vulgo fiat ut corporis et animi tum vigilia tum somnus simul accidant, experientia etiam quandoque contrarium fieri docet.

516. Tempore vigiliæ in homine omnes animi et corporis vires alacriores et expeditiores sunt, et inter eorum actiones consensio est : nimirum corporis functiones concordant, et animi facultatum exercitationes ita inter se cohærent, ut omnes ad unum eumdemque finem dirigantur. In somno hæc omnino aliter fiunt, ut modo indicabimus.

517. I) Corporis quidem somnus, ubi altus et completus est,

(1) Vid. in Append. *Not.* A, sub finem.

(2) Totam hanc quæstionem inter nostrates longius et acute tractavit E. Tandel, *Cours d'anthropologie.*

functiones relationis cohibet, et ceteras organorum functiones mutat, nempe eas tardat, sed non omnino impedit. Nec relationis functiones omnes simul sustinet. Accidere enim solet somnus ille hoc modo :

518. Oculi primum clausi luminis impressionem jam non amplius recipiunt, dum ceteri sensus adhuc omnino expediti sunt ad impressiones suas recipiendas; gustus deinde obdormiscit ante odoratum, odoratus ante auditum, auditus ante tactum; tactus autem obtusior usque perseverans varios corporis motus etiam inter somnum provocare pergit. Musculi brachiorum et crurum motores tum relaxantur et agere cessant ante musculos qui caput sustentant, hi porro ante musculos qui sustinent spinam dorsalem. Interea dum hæc eveniunt, respiratio lentior et profundior fit, circulatio tardatur, major sanguinis quantitas in caput ascendit, calor animalis minuit, diversæ secretiones minus copiosæ evadunt. En præcipua phænomena quibus incipit et continuatur somnus corporis!

519. Dum hæc fiunt, animus non illico cessat omne commercium cum rebus externis; conscius est fere omnium mutationum quæ functionibus relationis contingunt, quæque ipsum grate afficiunt. Sed ut primum cogitationes ejus minus cohærent, mundus externus ipsum effugit, commercium ejus cum corpore laxatur vel interrumpitur, animus in se ipsum recedit; totus homo denique somno captus est. Ecce corporis et animi somnus completus!

520. Itaque, quod ad corpus attinet, somnus consistit in intermissione seu potius diminutione functionum quæ vitam relationis constituunt (nam sentiendi et se movendi potentiam non penitus abolet), in relaxatione functionum quæ ad nutricationem pertinent, in remissione denique omnium vinculorum quibus vitæ organicæ et vitæ animalis actiones connectuntur.

521. Sed quid animi somnum proprie constituit? Sunt qui somnum esse velint cessationem omnis actûs mentis, conscientiæ, cogitationis, præsertim voluntatis; sunt qui voluntatem solam non agere putent in somno.

522. At omnem mentis actum per somnum non cessare sive interrumpi, jam ante probavimus (280). Nec penitus cessare per somnum actum voluntatis, probatur tum generatim ex eo quod nullum hujus cessationis argumentum adfertur et omnis activitas per se continua est, tum maxime ex iis factis quæ supra memoravimus (280), præsertim quod horâ præstitutâ e somno etiam profundo evigilare possumus, dummodo id ante somnum serio statuerimus. Itaque voluntatis actus æque ac ceteri mentis actus per somnum minores sunt, sed propterea non omnino cessant.

523. Consistit autem animi somnus in debilitatione omnium actuum rationis, maxime voluntatis et eorum qui a voluntate pendent, atque in relaxatione nexûs quo diversarum animi facultatum actus inter se per vigiliam cohærent. Unde fit ut conscientia reflexa per altum somnum cesset, conscientia autem directa eorum quæ animo præsentia sunt maneat, plerumque tamen debilior quam tempore vigiliæ; fit etiam ut voluntas, conscientiâ reflexâ non illustrata et jam per somnum debilitata, non vere libera sit.

524. Hinc ulterius fit, ut imaginatio, jam non amplius conscientiâ reflexâ temperata, aut voluntate recta, nec aliunde per sensuum impressiones continuo novas impedita ut vigiliæ tempore, sæpe vivacior evadat quam dum animus vigilaret. Quæ quidem omnia eodem fere modo accidunt iis, qui vigiliæ tempore, ut poetæ nonnunquam faciunt, conscientiæ reflexæ et voluntatis exercitium plane negligunt, et imaginationi suam ipsius viam libere sequi permittunt, sicque vigiles somnum voluntarium, si ita loqui fas est, prosequuntur; qui somnus vigilantium, dormientium somno similis, hujus posterioris naturam non parum declarat.

525. Denique quemadmodum corporis somnus remittit vinculum quod inter functiones animales et organicas tempore vigiliæ intercedit, et animi somnus nexum quo variarum animi facultatum actus colligantur, ita somnus completus commercium inter animum et corpus relaxat.

526. II) Quæ si attente meditaris, non tam difficulter concipies mirum illud phænomenon quod somnum sæpe comitatur, videlicet somnium.

527. Somnia quidem, etsi ad animum et corpus simul pertineant, alia tamen originem suam trahunt ab animo, alia a corpore; præterea alia morbida, alia non morbida vocantur, prout morbo quodam vel sine morbo excitata fuerunt.

528. Age porro, somno relaxantur, sed non abolentur corporis functiones et actus animi, atque animi et corporis commercium. Adhæc fieri potest et non raro fit ut nonnulli corporis sensus adhuc vigilent, dum alii jam somno capti et impediti sunt. Unde consequens est naturaliter fieri, ut nonnullæ sensuum impressiones etiam inter somnum cum animo communicentur; animus autem, etsi minus sui compos, operationes suas prosequatur, sive ordinatim et cohærenter, ubi aliunde non impeditur, sive sine ordine et sine cohæsione, ubi in diversa distrahitur.

529. Hæc animadvertisse sufficit ut intelligi possit, quî somnia quævis, sive a corpore sive ab animo oriantur, incipere, quîque jam cœpta modo cohærenter modo varie et inconstanter possint continuari.

530. Etenim quod ad somnia attinet quæ a corpore oriuntur, pone hominem dormientem v. g. fame, siti, calore, frigore, vel alio quocunque incommodo laborare; ingrata illa impressio, quo vehementior erit, eo facilius cum animo communicabitur, et in animo mœrorem, tædium, angorem, dolorem aliosve ingratos affectus excitabit. Hæc porro animi sensa cogitationes tristes ingerent, et per consociationem idearum simul hunc illum eventum injucundum revocabunt, ex quibus varie permistis phantasia imagines omnino inexspectatas, singulares, insolitas creabit. Adde, novâ aliorum sensuum impressione harum repræsentationum seriem subinde interrumpi et mire variari.

Age vero quemadmodum ingratæ sensuum impressiones ingrata animi sensa provocare solent, ita amœnæ impressiones amœna sensa varie excitabunt.

331. Somnia contra ab animo fere hoc pacto nascuntur. Ubi homo somno se dat, sit animus ejus in aliquâ cogitatione defixus, sive gratâ sive ingratâ, cogitationem illam somno non obstante continuabit, eique eo diutius inhærebit, quo minus ad alia distrahatur iis rebus externis quæ tempore vigiliæ cogitationes continuo novas suggerebant. At, interea dum mens illâ cogitatione detinetur, vi consociationis idearum aliæ atque aliæ cogitationes cum illâ quomodocunque connexæ concitabuntur; quæ jam simul vel aliæ post alias animo præsentes phantasiæ ansam præbebunt imagines rerum formandi maxime variarum.

332. Itaque somnia plerumque excitat præsens animi vel corporis status, sæpe uterque status ille simul; ea autem ut plurimum continuat et varie mutat tum consociatio idearum tum imaginationis exercitium in somno passim liberius; ea etiam sæpe mutat ac non raro finit novus animo vel corpori superveniens status, præsertim novæ sensuum impressiones.

333. Ratio tandem, cur somniorum figmenta tanquam res veras habere soleamus quamdiu somniamus, mihi omnino videtur quærenda in defectu conscientiæ reflexæ. Quid enim? passim duplex imaginum ordo animo nostro obversatur; alias enim habemus imagines veras, quæ in mente nostrâ ipsis rerum existentium impressionibus excitantur, alias autem habemus fictas, quas vi imaginandi nos ipsi creavimus : porro, dum vigilamus, per conscientiæ reflexæ actum facile distinguimus imagines quas ipsi creavimus ab iis quæ nobis a rebus externis venerunt (1), atque adeo veras a falsis rerum existentium testibus secernimus. Sed quum dormimus, hoc solo quod conscientiæ reflexæ usu destituimur, impares sumus secernendo imagines ab animo fictas et a rebus ipsis profectas.

(1) Quin etiam, si necessarium est, hanc differentiam vigiles experientiâ simplici et omnino certâ probare possumus. Nempe imagines solâ mente fictas etiam solo mentis actu mutamus et eo loco ponimus ubi volumus; imagines autem, quæ nunc ab ipsis rebus in nobis excitantur, evanescunt, statim ac sensus ab rebus illis avertimus; pro iis imaginibus quidem imagines alias fictas animo formare possumus, sed eas ipsas loco movere pro libitu non possumus.

534. III) Hac de somno et somniis theoriâ etiam explicari saltem ex parte possunt præcipua quædam phænomena *somnambulismi.*

535. 1° Ac primo quidem facile concipimus, quomodo homo dormiens loqui, e lecto surgere, foras ambulare, aliave opera facere possit quæ ad loco movendi facultatem pertinent, si ad memoriam revocamus : *a*) corporis somno non semper conjunctum esse somnum animi, atque adeo posse fieri ut, dum corpus somno captum est, animus vigilet, et hujus facultates activæ nonnullis corporis membris motum imprimant ; *b*) fieri posse et reipsa fieri, ut alia corporis organa vigilent sive ad varios usus apta sint, dum alia somno tradita motus inter vigiliam consuetos exequi minime possunt. Etenim, si rite attendis, ejusmodi locutio, ambulatio, motio quid differt a somnio consueto, nisi quod somnium intra systematis nervosi limites contineatur, et illæ actiones medio systemate nervoso per organa cum hoc systemate connexa perficiantur?

536. 2° Sed longe difficilius intelligitur, quî somnambuli etiam in tenebris loca periculis plena sine offensione percurrant, et nonnulla opera, ad quæ facienda, si vigilarent, magnâ diligentiâ et lumine opus esset, sine lumine apte perficiant, quin etiam oculis quandoque clausis vel impeditis. Defectus conscientiæ reflexæ rationem quidem reddit, cur somnambuli periculum minus animadvertant, ideoque in periculis securiores sint (1). Usus et habitus conjuncti cum solâ conscientiâ directâ sufficere possunt ad opera quædam minus difficilia exequenda. At illa omnia non satis explicant, quî somnambuli interdum ea, quæ vigiles vix efficere possent, in somno apte faciant etiam in densissimis tenebris et oculis quidem non utentes.

537. Mihi quidem hujus rei ratio non alia reddi posse videtur quam illa quâ solâ concipiantur actiones nonnullæ quæ in *vigili-somno magnetico* (qui status a somnambulismo naturali

(1) Defectum conscientiæ reflexæ ad hoc sufficere vel inde probatur quod, si appellans suo nomine somnambulum in periculis versatum ipsum ad suî conscientiam revocares, eumdem evidentissimo discrimini funesti casûs exponeres.

forsan solà differt causà ex quà oritur) fiunt, ut visio rerum longe distantium et interpositis corporibus opacis separatarum. Quæ actiones, ut ut veræ, intelligi non possunt, si animus semper oculo et lumine uti debeat ad videndum; sed intelliguntur facillime, si animus, qui olim sine oculo visurus est, jam nunc quibusdam positis adjunctis corporis vinculo solutus vel minus religatus, cum ipsis rebus externis sine organorum interpositione communicare possit. Quod profecto cum animi incorporeâ naturâ minime pugnat, et ex ejus statu mortem secuturo omnino probabile fit (1).

538. 3° Quæstio in hac re, non maximi momenti quidem, sed explicatu difficillima hæc est, qui fiat ut somnambuli, postquam experrecti sunt, passim non amplius reminiscantur eorum quæ in somno vigili fecerunt, dum somniantes non raro post somnium recordantur eorum quæ somniaverunt.

Hujus rei rationem in naturalis somnii cognitis phænomenis reperire non potuimus; sed ea quæ de magnetico somnio nota sunt saltem e longinquo indicant unde illa venire possit. Illa porro hæc sunt : *a*) ii qui somnio magnetico detinentur, hoc ipso tempore quo somnambuli, somno-vigiles seu lucidi sunt, ut vulgo loquuntur, plane recordantur rerum earum quibus anterioris somnii tempore animum occupatum habebant, æque ac homines vigiles prioris vigiliæ memoriam habent. *b*) Si quis somnio magnetico detentos moneat, ut nunc, dum somnambuli sunt, animo firmo velint statuere ut postea, dum experrecti erunt, recordentur eorum quæ nunc faciunt, omnino fieri potest ut posthæc vere eorumdem memoriam recolant.

Age vero ex hoc postremo phænomeno, si semper contingeret, sicut sæpius contigisse constat, plane sequeretur, oblivionem eorum, quæ per somno-vigiliam fiunt, iisdem fere causis tribuendam esse, quibus oblivio eorum, quæ nobis vigilantibus accidunt, plerumque tribui debet, nempe defectui attentionis meditatæ et voluntatis præsentis nunc firme animo infigendi eâ mente ut postea recolantur.

(1) Cff. Inductions physiologiques touchant la fin de l'homme et sa résurrection, in *Revue Catholique*, mars 1848.

APPENDIX II.

DE DEMENTIA.

539. Dementiæ nomine intelligimus quoslibet animi status, ubi hic ob causas quascunque desipit, insanit, delirat, sive in omnibus sive in aliquot suî operationibus, sive perpetuo, sive ad tempus solummodo sit impeditus vel turbatus.

540. Tot enim sunt hujus mali gradus, tot differentiæ, ut ii qui vel optime de eo scripserunt varias ejus formas nec nominibus iisdem significent, nec unus eorum illas omnes accurate descripserit, quin etiam nemo limitem omnino fixum assignaverit, ultra vel citra quem animi sanitas et insania poni debeant. Alii enim miseri desipiunt in omnibus, alii in unâ alterâve materiâ tantum; alii ab ipsâ infantiâ, alii a posteriori ætate stultescunt; alii continuo amentes sunt, alii sæpe lucidis fruuntur intervallis; alii levius, alii gravius insaniunt; quin imo ut plerique defectu ita nonnulli velut ingenii excessu delirare videntur.

541. At prætermissâ illarum varietatum penitiori recognitione, pro instituti nostri ratione breviter disseremus de præcipuis istius mali causis, ut pateat, non tantum quæ ipsi opponenda sint remedia, sed etiam quas partes in eo habeat animus, et quî inde nihil sequatur quod materialismo faveat.

542. Ex innumeris insaniæ causis tanquam præcipuas enumerare sufficit corporis læsiones et morbos, atque animi affectus qui vulgo passiones vocantur, item quâ hæc omnia a parentibus cum prolibus communicantur hæreditatem.

Duplex igitur generatim causarum genus dementiæ agnosci debet, scilicet corporis vitia et animi.

543. Porro, saltem primam sive remotam hujus miseriæ originem modo in corpore, modo in animo quærendam esse, tam evidens est ut omnis probatio fere supervacanea sit. Quid enim? hominis cerebrum infelici casu læditur, et illico qui hactenus ingenio præstiterat, vel ad tempus vel totâ reliquâ vitâ insanit.

Alius in morbum incidit, v. g. febri torquetur, et statim admodum delirat. Alius denique vehementi cuidam animi affectui indulget, ut amori, tristitiæ, superbiæ, timori, etc. et quam primum mente plane captus est. Itaque harum causarum efficacia negari minime potest.

544. Sed quærunt primo, quî fieri possit ut ex corporis vitio vel defectu animus desipiat, nec tamen corporis effectus sit. Deinde quærunt, an solius animi vitium, quo corpus non vitiaretur, dementiæ causa esse poŝsit, atque adeo an ipse animus ægrotus esse queat, et quomodo, si res ita se haberet, animus a corpore naturâ diversus dici posset.

Ad illa quæsita hæc respondenda esse censemus.

545. Ad 1^m quidem. Si animus ita solum cum corpore conjunctus esset sicut captivus cum carcere, e quo egredi non posset, sed in quo libere se posset movere, jam quodammodo intelligeretur, quî animus, etsi a corpore omnino differat, secundum varios corporis status varie affici deberet, et suî ipsius operationes varie efficere. Quid enim? mens naturaliter judicat et ratiocinatur ex impressionibus, quas per corporis sensus velut per carceris fenestras recipit; atqui, prout fenestræ illæ claræ vel obscuræ, integræ vel corruptæ, puræ vel maculatæ, aut varii coloris vitris compositæ sunt, impressiones quæ per eas recipiuntur aliæ sint necesse est; ergo animus, si vel captivo in medio carcere libere se moventi similis esset, ex corporis seu sensuum organorum vitiis necessario multum turbaretur in suis actibus.

546. Nunc autem animus longe penitius cum corpore conjunctus est, imo multo magis quam corpus cum veste quâ proxime circumdatur, quippe qui corpus vere permeet ac penetret (462) et cum eo intime colligatus sit. Unde fieri omnino debet, ut ea quæ corpus incitant, lædunt, turbant, vel aliter afficiunt, in animum longe efficacius agant, quam imagines per fenestras varias variæ in captivum. Et hæc perturbatio eo major est atque eo minus vitari potest, quod animus propter suam cum corpore maximam necessitudinem plerumque non sus-

picetur aut ne suspicari quidem possit sensuum perturbationes, deceptiones, allucinationes. Tum enim quantacunque sit animi cogitandi, judicandi ac ratiocinandi facultas, non errare, non divagari, non desipere non potest.

547. Duo porro præcipui modi esse videntur quibus corporis vitia liberæ animi exercitationi noceant. Nempe corporis defectus vel ejusmodi sunt, ut animo substrahatur instrumentum quo ad actus suos indiget, tumque animus plane impotens fit ad agendum, omnino imbecillis videtur et stupidus idiota; vel defectus illi sensuum organa solummodo depravant, tumque animi operationes non omnino impediuntur, sed turbantur, pervertuntur et in errorem abducuntur, sicut is qui ex falsis præmissis, quas falsas esse nescit, apprime ratiocinando falsas deducit consequentias.

548. Et sane sæpissime fit ut, ubi judicia et ratiocinationes etiam vehementissime insanientium attente consideras, ea hujusmodi esse reperias, qualia facere deberet sapientissimus quisque, si perceptiones quibus nituntur veræ ac rectæ essent. Etiam fit ut, ubi iis miseris qui sensuum allucinationibus decipiuntur persuaderi potest se falsis perceptionibus decipi, illi hoc ipso ab insaniâ suâ liberentur. Eruditis plura ejusmodi exempla cognita sunt; nos hoc loco illud unum memoratum velimus, quod refert Esquirol de provinciæ præfecto, quem ipse ad finem imperii gallicani curavit.

549. Hæc si rite perpendantur, facile concipitur quî fiat ut animus, etsi naturâ suâ toto cœlo differat a corpore, corporis vitiis et defectibus, quocum intime conjunctus imo unitus est, ita tamen affici possit ac debeat, ut ipse in suis operibus modo cohibeatur, modo turbetur, modo pessime decipiatur, atque adeo extra rationis viam vagetur.

550. Ad 2m. Nemo quidem dubitat, quin primigenia dementiæ causa sæpe in ipso animo quærenda sit; omnes enim periti norunt, omnium uberrimas insaniæ causas esse inordinatos animi affectus. Amor, superbia, ira et tristitia immoderata plures forsitan apto rationis usu privaverunt quam cæteræ causæ

simul omnes. Quin imo vehementiores harum affectionum motus vix aut ne vix quidem ab ipsâ dementiâ aliter differre videntur quam duratione. Etiam accidit, ut ipsa ingenii cultura, seu arduum scientiarum submiliorum studium nimis continuatum vera dementiæ causa fuerit.

551. At vero, quamvis in iis casibus saltem plerisque prima insaniæ origo ab animo repetenda sit, tamen, priusquam animus libero facultatum suarum usu penitus orbatus esset, causæ illæ corpus et præ ceteris organis systema nervosum invaserant, turbaverant, corruperant, affectus quidem præsertim vitæ organicæ functiones lædendo, at nimium studium fatigando cerebrum.

552. Atque ideo fit, ut aliquot non levis ingenii viri existiment, insaniæ causam proximam ac sedem, si ita loqui fas est, semper in corpore esse quærendam. Eam tenent sententiam propter has rationes : 1° putant animum nunquam insanire nisi jam vitiato corpore ; 2° spiritûs ceu entis incorporalis naturæ contrarium esse censent, ut ipse morbo, ita loquuntur, quodam laboraret, quum solum corpus morbis affici queat.

Verumtamen hæc argumenta nobis non firma videntur.

553. Nam 1° etsi corporis vitiatio mentis insaniam soleat præcedere et ad mentem turbandam sufficiat, minime tamen ostensum est eam semper præcedere. Contra, interdum dementia vehementem animi affectum tam cito sequitur, ut vix videatur fieri potuisse, ut corpus jam satis vitiatum sit ad animum in dementiam protrudendum per vitium quod ipsi ab immoderato animi affectu accidisset ; atque adeo in hoc casu proxima dementiæ causa forte potius in ipsius animi perturbatione ponenda est quam in corporis depravatione ab animi vitio contractâ.

At gravius argumentum pro hac opinione hoc est, interdum mentis insaniam pendere a solo quodam errore intellectûs, adeo quidem ut ad mentis integritatem restituendam tunc satis sit errorem illum quomodocunque dedocere (1).

(1) Inter alia hujus generis exempla hoc refert Dr. Forichon (*Le maté-*

Itaque minime demonstratum esse videtur, dementiam semper corpori tanquam causæ suæ proximæ esse tribuendam.

554. Nec verum esse putamus, quod 2° dictum est, nempe hoc cum animi naturâ omnino pugnare, ut ipse ægrotus dicatur, aut ut ipse aliter patiatur, quam quod organorum vitio munera sua non rite obire possit. Illud quidem verum foret, si animus naturæ infinitæ seu omnino perfectæ ac divinæ esset, nunc autem non item. Etiam id cum animi naturâ pugnare concedimus, quod corporis morbis eodem prorsus modo afficiatur ac ipsum corpus. Sed, quum creatæ, ac proinde finitæ et imperfectæ naturæ sit, nihil obest quominus animus suos defectus, suas infirmitates, suos habere possit morbos, non eosdem quos corpus, at iis suo modo similes. Quid enim? suo unius defectu multa ignorare et in multis potest errare : cur igitur suo unius vitio delirare et desipere non possit?

555. Quæ modo diximus non parum confirmantur ex iis quæ nunc de dementiæ remediis dicenda sunt. Nam

Viri sapientissimi omnes, quique in hac re non mera opinionum inventa, sed experientiam sequuntur, hodie in eo consentiunt, ad huic malo medendum modo remedia physica tantum, modo solum moralia, modo utraque simul esse adhibenda.

556. Etenim quemadmodum moralia remedia omnino frustra quæreres, ubi dementia vel a corporis morbo solum vel ab organorum læsione venit; ita universa pharmacopolia nihil prosunt ad mentem sanitati restituendam, ubi ejus insania ab errore, v. g. a metu, a desperatione, a superbiâ tantum orta est; dum contra, ubi e. c. pravi mentis affectus corpus corruperunt, atque ita stultitiam generarunt, procul dubio duplex causa duplici tollenda est remedio.

557. Hinc etiam fit ut, quum alii per emplastrum causti-

rialisme et la phrénologie, p. 283); » M. Pinel fit simuler à Bicêtre un tribunal pour juger un malade qui se croyait coupable et sous le poids d'une grave accusation; le tribunal l'absout, et il fut raisonnable. »

cum, vel per venæ incisionem, vel per alia refrigeratoria aut mitigatoria curantur, apud alios idem effectus obtineatur, ubi miseris illis a viro auctoritate, gravitate et lenitate conspicuo fiducia instillatur, animus additur, imaginationis ludibria evelluntur, de officio sapienter agendi persuadetur; quod quidem nonnunquam effectum est sponsione inter medicum et ægrotum initâ, ut hic, nisi die constituto eventus, quos male sanus prædixerat, accidissent, suum errorem agnosceret, medici consilium sequeretur et se gereret sapienter (1).

558. Itaque ex dementiâ, quæcunque tandem ejus causa, origo vel sedes habeatur, nihil pro materialismo inferri potest. Atque ut homo penitus cognoscatur, ut bene instrui ac dirigi queat, ut ejus malis recte occurri ac mederi possit, item ut male sapientium errores de hominis viribus, facultatibus et naturâ apte confutentur, semper præ oculis habere debemus, homini duas esse naturas, et has inter se intimo, quo major esse nequit, nexu esse conjunctas.

CAPUT III.

DE HOMINIS FINE.

559. Quæstio omnium longe gravissima, et ex iis quas homo sibi proponere possit homine maxime digna, hæc est: Cur existo et quâ ratione finem ob quem natus sum assequi possum ac debeo?... Num propter me unum et meum solius bonum creatus sum? Anne propter alios homines, ut horum commoda curem? An vero propter Deum hominis conditorem, ut ipsi vivam? Utrum propter eos fines omnes simul, an contra propter hunc aut illum unum? Quis denique verus creationis meæ finis? item ubi, quando et quâ ratione asse-

(1) Hujus rei exempla tum alibi obvia sunt, tum apud Forichon, *Le matérialisme et la phrénologie*, p. 280. Ego ipse apud nonnullos miseros effectus salutares et omnino miros obtinui solum fiduciam inspirando et eorum erigendo animum.

quendus? Utrum omnis spes mea et officia omnia præsenti tantum vitâ continentur, an post hanc altera etiam vita speranda et paranda mihi manet? Has quæstiones qui non identidem serio cogitat stupidus et plumbeus sit necesse est, qui autem dum cogitat, eas ut res levioris momenti, suæ sollicitudinis parum dignas habeat, nescio quâ vesaniâ abreptus haberi debeat.

560. Attamen humana ratio longe facilius, quam gravis ea quæstio sit, perspicere per se solum poterit, quam declarare quî eadem solvi debeat. Age enim, etsi philosophia ex suis ipsius fontibus plura de fine nostro sapienter eruere, et præsertim revelationis doctrinam de eodem fine rite confirmare et a male sapientium difficultatibus vindicare possit, verumtamen, nisi divinæ revelationis lumine adjuvetur, ad quem finem sive præsens sive futura hominis vita serviat, vel qualis futura illa vita sit, accurate, complete aut certo edisserere non potest.

561. Ut porro ex suis ipsius principiis hauriat, quæ de fine nostro stabiliri potest, philosophia, non recta ex revelationis documentis argumenta depromere, sed ex ipsâ hominis naturâ debet: scilicet, ut apte procedat, experientiâ duce investigare et exponere debet, quæ tum corporis tum animi nostri naturales proprietates, vires, facultates, inclinationes, necessitates, vota, desideria, etc. sint, item quæ corpus et animum perficiant, quæ contra ipsis noceant, ac præsertim quæ necessaria sint ad facultatum suarum exercitium, evolutionem et perfectionem; tumque ex his omnibus naturali rationis lumine admoto eruere debet, quæ inde circa finem nostrum naturaliter consequantur.

562. Illud autem hoc fere modo recte efficiet: Primum quidem ante oculos tenebit hoc metaphysices principium: *Ex cognitis mediis confici potest, ad quem finem media illa constituta sint*, quemadmodum ex fine quodam cognito colligi possit, quæ ad eum consequendum media sint necessaria. Deinde corporis et animi vires, facultates, propensiones, necessitates, et earum perficiendarum conditiones tanquam vera naturæ nostræ media, seu naturalia finis nostri assequendi instrumenta ha-

bebit. Tum denique ex iis rite et omnibus simul consideratis statuet, ad quid illa a naturæ nostræ auctore donata esse sana ratio persuadeat. Quid enim? verus hominis finis humanæ naturæ contrarius esse nequit, sed contra eidem plane consentaneus sit necesse est. Qui aliud putat, rationi ipsi contradicit.

His positis, jam inquiramus, quis igitur verus hominis finis sive in hac sive in alterâ vitâ sit habendus.

§ I. *De hominis fine in hac vitâ.*

563. Philosophi quidem, qui modo laudata principia neglexerunt, vel quod de hominis naturâ male sentirent, vel quod aliquot ejus naturæ partes tantum considerarent, omissis aliis partibus, in graves et funestos de eâ re errores inciderunt. Alii enim *a*) putant, homini cuique suam unius felicitatem curandam esse, sibi soli vivendum, et præsentis vitæ commoda esse paranda. Quod ex materialismi principio quidem plane consequens est. Alii *b*) ad speciem magis generoso at non minus gravi errori adhærent, contendendo homines quosque soli societati vivere debere, nemini bona quædam tanquam sua curanda esse, imo privati cujusvis dominii jus esse nullum, sed omnibus et singulis velut unicum finem suum propositum esse, ut studeant et allaborent prosperitati societatis, cujus membra sunt. Ita *socialistæ*, qui vocantur, hodie plerique sentiunt. Alii tandem *c*) hominem soli Deo debere ita vivere existimant, ut piaculum esse censeant, si quis cum Dei gloriâ suam ipsius felicitatem sibi tanquam finem suum proponeret. Horum sententia ad Indorum eremitarum, qui Yogi dicuntur, et nonnullorum hæreticorum placita proxime accedit.

Errant autem omnes quos hactenus recensuimus, quod de Dei æque ac hominis naturâ male sapiunt.

564. Prima illa sententia *a*) quidem valeret, si homo in re nullâ ab alio quoquam sive homine sive ente superiore penderet, si a nemine alio haberet vitam aut quidpiam ex iis quæ ad vitæ, sive corporis sive animi, necessitates, conservationem

aut perfectionem conferunt. Nunc autem longe aliter se res habet. *b*) Secunda sententia, præterquam quod hominis cum Deo societatem negat, unam tantum humanæ naturæ partem considerat; hominem ens sociale esse, et propterea certis officiis erga societatem teneri, recte agnoscit; sed hominis facultates, quas individuales bene vocaveris, quod iis ad suum quisque bonum curandum naturâ fertur, negligit, ac proinde hominem individuum, ut ita loquar, contra naturam destruit, ut ipsum societati servire faciat. *c*) Tertia opinio et hominis naturæ plane contraria est, quippe qui nullâ vi aut ratione a bono suo cupiendo et persequendo cohiberi possit, et cum Dei naturâ aperte pugnat, cujus bonitas ea est ut nec velit nec velle possit ut homines, quos ipse felices esse vult, suam ipsorum felicitatem non curent et soli Deo laborent sine ullâ spe aut desiderio boni cujuspiam sibi ipsis obventuri.

565. Sana philosophia longe melius sentit, ac probat hominem quemque creatum esse, tum ut in hac vitâ et suum ipsius bonum curet, et aliorum hominum felicitati serviat, et simul Deo dignum præstet obsequium; tum ut post hanc vitam aliâ vitâ felici et æternâ fruatur. Singulas hujus propositionis partes jam singulatim probemus.

I) *Homo creatus est ut suum ipsius bonum curet.*

566. 1° Homines omnino omnes, etiam optimi et sapientissimi, indesinenti et ineluctabili tenentur suæ felicitatis desiderio, adeo quidem ut malum suum velle prorsus nequeant, et in quavis deliberatâ actione aliquid sibi quomodocunque bonum non proponere non possint. Unusquisque sibi bene esse vult necessario. Itaque felicitatis privatæ desiderium ab ipsâ naturâ manat, universale et homini vere naturale est, seu potius naturæ nostræ votum, vox et impulsio est. Hoc votum qui sequitur, humanæ naturæ obedit; qui illi resistere conatur, contra naturam agit. Age porro, quis evidentius et certius naturalis finis esse cujuspiam possit quam is, ad quem ipsâ naturâ impellente necessario feruntur omnes?

2° Omnes actiones humanæ quæ secundum naturam fiunt,

per se quidem tendunt, si non solum, saltem etiam ad perfectionem animi vel corporis eorum qui illas ponunt, adeoque ad ipsius hominis bonum seu felicitatem. Hinc manifesto sequitur, hominem hoc ipso quod secundum naturam quidquam facere, et id ad quod actio illa ex naturâ suâ conducit assequi cupit, felicitatem suam sibi tanquam suum finem proponere, non unicum quidem, sed verum tamen. Igitur, nisi contendas homini nunquam licere ut se perficiat, aut secundum naturam agat, aut, ubi agit, naturali actionis fini, ad quem hæc per se tendit, consentiat, ultro concedes, hominem quemque naturaliter, recte et optimo jure suam ipsius felicitatem tanquam finem suum sibi proponere.

3° Hæc etiam clariora fient, si consideres hominis felicitatem proxime et speciatim consistere in animi et corporis bono sive perfectione. Quid enim homini magis exoptandum quam mens sana in corpore sano? Quidve homine magis dignum quam ut corpus et præsertim animum bene servet, exerceat, colat atque perficiat? Nonne ad hunc finem conditus est homo, ut per rectum facultatum suarum exercitium se ipsum magis magisque perficiat? Et an ideo non justum et rationi consentaneum est, ut eumdem finem sibi proponat?

4° Homo utique natus est, ut non sibi tantum, sed et aliis vivat; at quâ ratione efficaciter adducetur ut aliis laboret, nisi labor ille etiam sibi ipsi quomodocunque utilis sit? Ea hominis natura est, ut vix aliquis raro, at nemo semper aliorum bonum curet, nisi etiam aliquid boni sibi inde contingat. Quare et prosperitatem publicam pessumdat, qui hominem felicitatem suam quærere omnino prohibet.

5° Quod si ad metaphysica principia mentem convertas, Deumque hominis creatorem contemplaris, illico hæc perspicies: Deus quidem hominem potuisset non creare; sed hoc ipso quod hominem creare voluit, ejus bonitas hominis felicitatem, ut verum, etsi non ut unicum hominis finem sibi proponere debuit. Homo igitur qui felicitatem suam quærit, id facit cur Deus hominis auctor hominem condidit. — Accedit, universale

illud, constans et necessarium felicitatis desiderium, quum omnibus a naturâ insit, ab ipso naturæ auctore esse; atque adeo illud nobis non esse inditum ut perpetuo torqueamur, sed tanquam signum quo indicetur meta nobis præstituta, et certo attingenda, nisi nostrâ culpâ ab eâ deviemus.

Itaque, undecunque rem intuearis, hominem natum esse conspicis ut felix sit, et, quia liber est, ut recto libertatis suæ usu suam ipsius felicitatem promereatur.

567. Nec dicas, hanc doctrinam *egoïsmum* sapere. Egoïsmus enim est quo homo se omnibus præfert aliis, et omnia ad se refert tanquam ad finem suum unicum; quod utrumque a nostrâ doctrinâ longissime distat. Nam

II) *Homo etiam pro aliorum hominum bono creatus est.*

568. Necessitates, facultates et affectiones nostræ hanc propositionem luculenter demonstrant. Etenim

1° Longa et imbecillis infantia, debilis et diuturna senectus, item cujusvis generis morbi, quibus homo obnoxius est, clare ostendunt, hominem vel ipsam vitam suam, quomodocunque spectatam, conservare et perficere sine ullo aliorum auxilio non magis posse, quam primo accipere.

2° Homo non minus aliorum auxilio indiget ad excolendas ingenii sui facultates. Etenim *a*) sine aliorum commercio et institutione veritatum quæ sensuum captum excedunt notitiam non acquirit, et in densissimis ignorantiæ tenebris perpetuo versatur circa illa quorum notione homo maxime differt a brutis animantibus. *b*) Deinde hominum artes et scientiæ quæ aut quales essent, si singulorum peritia iis contineretur quæ suo quisque marte solus procudisset?

3° Una ex præcipuis hominis facultatibus loquela est. Attamen quemadmodum sine aliorum societate usum hujus facultatis acquirere nequit, ita ejusdem usus sine societate ipsi prorsus inutilis foret. Itaque nisi homo naturâ suâ ad vitam socialem destinatus sit, loquendi facultas hominis naturæ contraria dici debet.

4° Hominis prærogativa maxima est ratio, quæ procul dubio

complectitur notiones justitiæ, charitatis, auctoritatis, etc. Istæ autem notiones, quæ recte humanitatis sensa vocaveris, adeo pertinent ad societatem, ut sine societate nullum usum habere possint, quinimo ut principia sint quibus societas tanquam fundamento suo nititur. Atque adeo ipsâ ratione suâ homo ad aliorum societatem refertur.

5° Affectibus, desideriis et inclinationibus suis homo sponte fertur, non tantum ut aliorum societate utatur, sed etiam ut fruatur bonis illis quæ sine aliorum operâ nec esse nec obtineri posse novit. Affectus illi ut ut naturales vani forent, imo natura nostra secum ipsa pugnaret, nisi homo ens sociale esset.

6° His accedit, hominum genus semper et ubique in societate vixisse. Utique nonnunquam miseri quidam reperti sunt, qui sive malo casu sive nequitiâ ab omni hominum consortio aliquamdiu semoti fuerant; sed nemo unus fuit qui nullum unquam commercium cum aliis habuisset. Ejusmodi homo silvester nunquam exstitit.

569. Inde vero hæc sequuntur corollaria :

1° Status societatis est hominis conditio naturalis; hunc statum hominis natura clamat et exigit ; ad hunc statum hominem continuo impellunt naturales suæ facultates, inclinationes et necessitates ; hic status perficit hominem physicum et moralem ; sine hoc statu homo ad naturæ suæ perfectionem pervenire non potest. Mythologi proinde et fabulatores, non philosophi sunt, qui vitam silvestrem seu solitariam hominis statum naturalem esse perhibent.

2° Iisdem igitur rationum momentis, quibus homo quisque impellitur ut suî ipsius felicitatem quærat, moveri debet ut societati seu aliorum hominum communitati bene esse velit, quippe a quâ non tantum vita sed et perfectio tum animi tum corporis, atque adeo felicitas, tanquam a necessariâ conditione pendeat.

3° Homo ergo vel ob hoc solum societatis conservationem et felicitatem curare debet, nisi dicere mavis (quod utrumque cum ratione pugnat), unicuique integrum esse ut a societate quævis

bona recipiat nec illi quidquam redhibeat, et societatem incolumem stare posse, etiamsi nemo ipsi bene faciat, hoc est, singulos ab aliorum bonis vivere posse, etsi nemo ad aliorum bona quidpiam conferat.

570. Denique, præter hanc suæ ipsius perfectionis curandæ et mutui officii atque gratiæ referendæ necessitatem, hominem naturâ suâ destinatum esse ut societatis seu aliorum hominum felicitatem curet, etiam magis recta probant naturæ nostræ inclinationes benevolæ et affectus generosi, quibus ultro et sponte ferimur, etiam sine ullo nostri commodi studio, ad aliis bene faciendum, et præsertim iis succurrendum qui ope nostrâ quacunque indigent; probat item gratus ille animi sensus quo velut suavi voluptate perfundimur, ubi aliis hominibus opem, auxilium aut bonum aliud quodvis præstare nobis contigit. Etenim hi nobilissimi et humanissimi sensus et affectus vel contra naturam sunt, vel germanæ voces quæ naturæ votum rite proclamant.

Homo igitur naturâ destinatus est, ut cum suâ etiam aliorum felicitatem quærat. Sed et ad altiora vocatus est.

III) *Homo etiam pro factore suo creatus est.*

571. 1° Illud primo quidem indicat ratio. Etenim, quum intelligentiâ et libertate donatus sit, se et creatorem suum cognoscere potest, seu cognoscere potest quæ a creatore suo acceperit et quæ illi propterea debeat. Namque ubi se ipsum serio considerat, non videre non potest, quam debilis, infirmus et impotens a se sit; quantum superno auxilio indiguerit, non tantum ut existeret, sed etiam ut facultates suæ perficerentur; tum præcipue quam munificâ liberalitate a Deo omnibus bonis cumulatus in vitam venerit et vivere pergat. Atque adeo, nisi animus gratus vox inanis dicatur, vel sola bonorum receptorum consideratio dictat, quî Deum amare homo debeat.

2° Sed et naturales nostri affectus et sensus moralis efficacius etiam quam nuda acceptorum contemplatio hominem naturaliter impellunt, ut Deo amorem et obsequium suum offerat. Quid enim! homo naturâ miratur et diligit quidquid bonum, pul-

chrum aut vere amabile sit ; Deum summe bonum esse novit et in se et erga nos ; in ejus admirationem et amorem ultro rapitur, statim ac mentis suæ oculos ad ipsum advertit : et hæc miratio et hic amor non ipsa naturæ vox est? et homo sine scelere hanc vocem negligat et comprimat ?

3° Homo felicitatem suam naturaliter, ac ideo jure amat et inquirit. At veram felicitatem suam vel in hac vitâ reperire nequit nisi in iis quæ cum Deo idem aliquid sunt. Quî enim felix esse possit homo nisi facultatum suarum perfectione? Quî porro facultates animi, quæ sane potissimæ sunt, perfici queant nisi possessione veri et amore boni ? Quid denique verum et bonum in se est et absolute spectatum nisi Deus? Ergo vel hoc ipso quod bonum suum quærit, homo naturaliter ad creatorem suum tendit, nec vere felix esse potest, nisi quatenus Deum cognoscat et diligat.

4° Si modo spectas finem quem Deus sibi in homine condendo præstituit, nullum alium Deo dignum reperies quam ut homo felicitatem consequeretur, Dei bonitatem ac gloriam agnoscendo et amoris obsequio grates illi persolvendo (Cff. *Ontol.* 233—240, ubi hæc latius expenduntur). Atque adeo fieri omnino nequit, ut Deus hominem ab officio amoris et animi grati per actus suos creatori suo præstandi eximat.

5° Quibus positis, ultro sequitur, etiam si nulla lex positiva pro Deo operandi lata esset, hominem, sive seipsum sive auctorem suum consideret, omnibus utriusque naturæ vinculis teneri, ut alia quæcunque Dei amori et obsequio posthabeat, quandoquidem nemini plura debeat, a nemine magis pendeat, nemo æque ipsius amore dignus sit, quin etiam ne Deus quidem ab hac felici necessitudine ipsum possit liberare.

Homo igitur non minus Deo quam sibi et societati creatus est.

572. Quantumvis evidentia hæc sint, non defuerunt ingrati qui philosophiæ obtentu officium hoc detrectare conati sunt. Quid est homo, inquiunt, cum Deo collatus? Quid terræ vermiculus cum summo rege? Nimis elevatus est Deus, quam ut

hominum erratis offendi aut sterili obsequio placari possit. Cui sophismati apprime hæc respondit auctor libri : *Essai sur l'indifférence*, c. 13 : « Mens abjecta, hæccine excusatio tua est? hoccine fundamentum stupidæ securitatis tuæ, dum officia tua negligis? Deus, qui te creavit, nimis magnus est, quam ut te creaverit propter se! Nimis perfectus est, quam ut operis sui perfectionem curet! Nimis supra te elevatus est, quam ut irritetur quod te sibi præferas, et quod voluntas tua supremæ suæ voluntati resistat! Nimis sapiens est, quam ut ordinem quemquam inter intelligentes creaturas suas statuerit, aut ipsis leges præscripserit, aut exigat ut eas servent! E nihilo te educens, dixit tibi : creo te, ut me adores vel contumeliis afficias, prout tibi placuerit; ut me ames vel odio habeas, prout malueris; veritas, error, bonum ac malum, hæc omnia in te me non tangunt; existentia tua solitaria in consiliis meis cum re nullâ connexa est; vile opus manuum mearum, obtutu meo non es dignum; abi e conspectu meo, e cogitatione meâ, et tua cogitatio sit tibi lex tua, regula tua ac Deus tuus! — Res stupenda, omne officium erga Deum recusas propter eas ipsas rationes quæ maxime probant, quam gravia sint hæc officia et quantâ in culpâ sit qui illa violat. Deum adorare abnuis, quare? Quia nimis magnus, nimis perfectus est, scilicet quia nimis dignus est quem adores. Deo obedire negas, quare? Quia nimis potens, nimis sapiens est, scilicet quia nimio jure obedientia tua ipsi debetur. Deum amare renuis, quare? Quia nimis justus, nimis sanctus, nimis bonus, scilicet nimis amabilis est. Non miror quod responsis tam decretoriis præmunitus quiete exspectes judicium formidandum, quo decidetur sors tua æterna. »

573. Ex iis, quæ de triplici hominis fine diximus, nonnulla sequuntur corollaria maximi ponderis hic breviter indicanda.

1° Cujusvis entis officia peculiaria referuntur ad finem cur existat, et pendent a naturâ hujus finis. Atque adeo omnia hominis officia ita spectant ad triplicem hominis finem, ut hinc nullum ipsi officium sit aut esse possit quam quod ad illum

finem pertineat, illinc autem quæcunque necessaria sunt ad eum assequendum vera hominis sint officia.

2° Ex officiis porro jura consequuntur, eâ quidem ratione, ut homo verum jus habeat a nemine impediendum faciendi quæcunque necessaria sunt ut triplicem finem suum obtineat, quin etiam illa faciendi quæ ad finem illum vere utilia sunt, dummodo his utendo aliorum potiora jura non violet.

3° Quod ad pugnam spectat quæ cogitari possit inter officia quæ a triplici hominis fine proficiscuntur, hæc vera esset nec ullâ ratione tolli posset, si homo, qualis nunc est, non destinaretur ad aliam vitam; sin vero hominis vitam utramque simul consideres, omnia ejus officia facillime conciliantur; tunc enim ultro patet, quî opera, quæ pro aliis facit, semina sint quorum fructus cum usurâ olim colliget, atque adeo quî Deo et societati serviendo suæ ipsius felicitati optime serviat. Quid enim? hominis destinatio non intra hujus vitæ limites coarctata est. Sed

§ II. *Homo destinatus est immortalitati.*

574. Veram hominis immortalitatem non tantum negant materialistæ, qui animum cum corpore interire dicunt, sed etiam pantheistæ, qui animum post mortem corporis divinâ substantiâ absorberi contendunt, vel qui alio quocunque modo animum post hanc vitam conscientiam suî perdere arbitrantur. Cf. *Theodic.* 388.

575. Nos quidem non hoc sensu animum immortalem esse censemus, ut nec per absolutam Dei potentiam mori posset; nam, quum a se solo seu solâ vi naturæ suæ non cœperit existere, nec se solo seu solâ naturæ suæ virtute existere pergit. Sicut ejus initium ita et continuatio et perennitas pendet ab auctore suo. Animum autem immortalem sic esse tenemus, ut Deus ipsum vivere velit vitâ æternâ et individuâ cum verâ statûs sui tum præsentis tum præteriti conscientiâ. Ea ita se habere, his inter alia probatur argumentis.

I) Animi immortalitas nititur consensu gentium. Hoc vel ipsi fatentur christianæ religionis hostes infensissimi, e quibus memo-

rare juvat Voltaire (1) et Bolingbroke. Hic posterior ut invitus ait (2) : « Doctrina de animi immortalitate et de futuro statu præmiorum et pœnarum velut perdita videtur in tenebris antiquitatis, antecedit omnia quæ certo scimus. Ubi primum incipimus historiæ antiquæ chaos extricare, eam fidem in mente primarum nationum, quas novimus, firmissime stabilitam reperimus. »

Auctor libri *Essai sur l'indifférence*, *etc.* cap. 27, indicatis historicorum locis, probat hanc fidem communem fuisse Ægyptiis, Chaldæis, Persis, Indis, Sinensibus, Japonibus, Græcis, Romanis, Thracibus, Getis, Gallis, Germanis, Sarmatibus, Scythis, Britannis, Iberis, Americanis, nationibus denique universis (3).

Idem auctor probat, populorum fidem non tantum in animi immortalitate consensisse, sed, fatentibus Voltaire et Warburton, agnovisse etiam, præter præmia et supplicia æterna, intermedium statum, in quo animi non omnino perversi ad tempus purgarentur (4).

« Plures philosophi, inquit Leland (5), animi immortalitatem et futurum præmiorum et pœnarum statum docuerunt; at hanc doctrinam non proposuerunt velut a se repertam, velut rationis suæ fetum, aut ingenii sui philosophici inventionem, sed sicut traditionem antiquam, cui adhærebant et quam optimis quæ philosophia offert argumentis confirmabant (6). »

(1) Vid. Lettres de quelques juifs, etc. t. II, p. 73, Paris, 1817.

(2) Bolingbroke's Works, vol. 5, p. 237.

(3) Paganorum fidem de animi immortalitate etiam probant idololatria aliæque superstitiones. Quî enim cultum divinum exhibuissent hominibus quos omnino mortuos credidissent? Cf. Cicero, *Tusc.* I, 12-13. Item metempsychosis, necromantia aliique id genus errores quî concipi possent sine persuasione de animi immortalitate?

(4) Cf. Morin, *Usage de la prière pour les morts parmi les païens.*

(5) *Nouvelle démonstration évangélique*, tom. 4.

(6) Illud inter alios præstiterunt maximi philosophi Socrates, Plato, Aristoteles. Quare Cicero, *Tusc.* I, 12 : » Auctoribus quidem ad istam sententiam, inquit, uti optimis possumus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum, et primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius

576. Hujus fidei origo et constantia porro aliis causis tribui nequit quam revelationi primævæ et ejusdem consensioni cum nostrâ naturâ ; nam commenta hominum delet dies, naturæ judicia confirmat.

Itaque fides illa præstat omnibus caracteribus argumenti ex sensu naturæ communi deprompti (1).

II) Animi immortalitas ex ipsâ animi naturâ probatur.

577. Ac 1° quidem quum animus sit res in se subsistens, a corpore essentiâ suâ diversa, et a corpore non pendens velut hujus effectus quidam aut proprietas, ut materialistæ volunt, corporis dissolutio ad animum pertinere non potest. Etenim quia corporeus non est, non potest dissolvi, et quia substantia est, corpore per mortem resoluto, ipse in se subsistere pergit (2).

578. Itaque, hoc solo quod animus substantia spiritualis est, nec ut corpus dissolvitur, nec corporis dissolutione destruitur; atque adeo vel solo argumento ex animi spiritualitate desumpto omnia quæ materialistæ ejus immortalitati opponunt plane diluuntur.

579. Tria igitur ex animi incorporalitate sequuntur : *a*) materialismi de futurâ nostrâ sorte fundamentum penitus ruere ; *b*) probe concipi quî animus sine corpore vivere possit ; *c*) ejus immortalitatem legitime præsumi, etsi inde solum hæc non prorsus demonstretur. Legitime præsumitur quidem, quia, si animus dissolvi non potest, aliter perire nequit nisi ad nihilum redigatur. Non plene demonstratur, quia, etsi cum spi-

aberat ab ortu et divinâ progenie, hoc melius ea fortasse quæ erant vera cernebat. » Et paulo post, c. 15 ; « Quod si omnium consensus naturæ vox est, omnesque qui ubique sunt consentiunt esse aliquid quod ad eos pertineat qui vitâ cesserunt, nobis quoque idem existimandum est. »

(1) Hoc argumentum præter alios recte tractarunt S. Storchenau, *Psychol.* § 248 ; A. Contzen, *Psychol.* § 321-327 ; Leland, *Nouv. Démonstr. évang.* t. 4 ; F. De Lamennais, *Essai sur l'indifférence*, ch. 27 ; De Tressan, *La mythologie comparée à l'histoire*, etc.

(2) Hoc argumento jam usus est Plato, in *Phædone*, et melius etiam Cicero, *Tusc.* I, 29. Vid. in Append. *Not.* I.

ritûs naturâ omnino pugnet ut dissolvatur, non item pugnat ut ad nihilum redigatur.

580. At animum in morte non ad nihilum redactum iri, hæc ostendunt : *a*) nulla res per se in nihilum recidit, nec *b*) ab aliquâ causâ creatâ ad nihilum redigi potest; ut enim ad nihilum revertatur aliquid, eadem potentia necessaria est quàm ut illud ex nihilo extrahatur. *c*) Deum vero, etsi possit, non velle tamen animum ad nihilum reducere, ex eo colligitur *α*) quod, quoad novimus, rem prorsus nullam omnium, quas creavit, ad nihilum redigit aut ex naturæ legibus recidere sinit; *β*) quod nulla prudens ratio noscitur, cur animum ad nihilum retruderet, nec ulla Dei actio sine hujusmodi ratione esse possit; *γ*) quod (et hoc præcipuum est) rationes maximæ sunt, ut jam deinceps monstrabimus, cur animus perennis cum verâ suî conscientiâ existere pergat.

581. Frustra proinde diceres, animum destinari ad regendum corpus, et propterea consumpto corpore animum quoque esse ad nihilum redigendum vel alio quocunque modo periturum. Nam *a*) ex iis, quæ de hominis destinatione et de animi præ corpore præstantiâ hactenus vidimus, falsum esse liquet, animum solummodo aut præcipue ad regendum corpus esse creatum. *b*) Dum corpus sive humanum sive aliud quodvis dissolvitur, nullum ex elementis quibus compositum erat perit aut interit; at ea quæ conjuncta erant nunc seperatim existunt. Age vero, si morte sive resolutione corporum nihil in universâ naturâ cessat existere, sed novo tantum modo existit, nonne a fortiori animus, qui ex partibus non est conflatus, et longe præstantioris quam corpus naturæ est, hominis morte seu suâ a corpore separatione integer permanet?

582. Nec dicas, permanere quidem posse animum post corporis dissolutionem, sed sine apertâ suî conscientiâ, in statu stuporis, deliquii, somni perpetui; quum nunc sine corpore, seu corpore non recte disposito, suî conscius esse nequeat.

Resp. *a*) Ut ut res se habeat cum animo quamdiu corpori junctus est, nullâ ratione probari potest, animum a corpore se-

paratum non vere suî conscium esse posse; illud utique cum ejus naturâ minime pugnat. *b*) Quin contra optimi philosophi etiam inter paganos animi naturam meditantes cum tunc actus sibi proprios liberrime esse executurum dixerunt, ubi corporis vinculis erit solutus. *c*) Nihil probat nullum animi exercitium in hac vitâ sine corporis concursu fieri ; sed contra, si somnio magnetico detentis fides habeatur, animus etiam in hac vitâ eo perfectius actus suos exercet, quo ejus cum corpore colligatio amplius relaxetur. *d*). Nec difficulter concipitur, quî corporis defectio in hac vitâ libero mentis exercitio nocere possit, quum corpus vitiosum cum animo conjunctum obex sit, quo animus corpore solutus non impeditur. *e*) Animum porro non solum posse suî conscium esse post mortem corporis (quod ex ejus incorporalitate evidenter constat), sed reipsâ suî conscium et vere immortalem esse futurum, omnibus et singulis rationum momentis probatur quæ deinceps proferentur.

583. 2° Ex naturalibus animi sensis et præsensionibus Cicero, *Tusc.* I, 14-15, sic egregie probat animum fore immortalem : « Maximum vero argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, et maximæ quidem, quæ post mortem futura sint... Arbores serit diligens agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquam; vir magnus leges, instituta, rempublicam... Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare ?... Nemo unquam sine magnâ spe immortalitatis se pro patriâ offerret ad mortem... Nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum ; idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime et apparet facillime... Quod si omnium consensus naturæ vox est... et si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia naturâ optimâ sunt, cernere naturæ vim maxime; verisimile est, quum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid cujus is post mortem sensum sit habiturus. »

Et vero, nisi huic præsensioni respondeat animi immortalitas, hominum sensa maxime naturalia naturæ, rationi, veritati contraria dicantur necesse est. Uno verbo, hæc animi sensa nobis a naturâ inesse et simul vana esse non possunt.

584. 3° Naturalia hominis desideria aliud argumentum pro animi immortalitate suppeditant. Omnes enim homines naturali, indesinenti, invincibili tenentur desiderio felicitatis veræ et perfectæ, atque adeo non desituræ. Atqui illud desiderium, quum ab ipsâ naturâ inditum sit, et omnibus, præsertim bonis, altissime et inexpugnabiliter inhæreat, inane esse nequit. Ergo...

Age enim, si illud desiderium, quod profecto in hac vitâ non impletur, nunquam implendum foret, *a*) hominis natura ipsa fallax esset; præterea *b*) hominis sors omnium animalium sorte longe miserabilior esset; quippe quæ cupiditates suas sequendo finem suum plene assequuntur, dum homo qui felicitatem suam semper necessario cupit, et omnia ad hunc finem obtinendum impendit, eo tamen pervenire non posset (1). Hæc cum sublimi hominis naturâ et cum creatoris nostri perfectione stare non possunt.

585. Falso objiceres, ex argumento nostro illam oriri difficultatem, hominis desiderium divitias possidendi necessario esse adimplendum. Nam *a*) si divitias sensu obvio intelligas, illas obtinendi desiderium homini nec semper nec necessario nec vi inexpugnabili insidet. *b*) Sin contra divitiarum nomine intelligas liberationem a quibusvis miseriis, tum aliis verbis necessariam quamdam veræ felicitatis conditionem enuntias, quæ ex nostrâ thesi debet impleri.

586. Non minus inepte opponeres, plures homines cupere integram suî exstinctionem, atque adeo desiderium immortalitatis homini non esse naturâ suâ inditum. Nam *a*) nihil tam

(1) Illud apprime indicant hæc S. Augustini verba (*De civ. Dei*, lib. XI, c.   ) : « Si pecora essemus, carnalem vitam et quod secundum sensum ejus est amaremus, idque esset sufficiens bonum nostrum, et secundum hoc cum esset nobis bene, nihil aliud quæreremus. »

naturale quod in perversis quibusdam non deficiat, sed a pravis illis qui contra naturam sunt non debet ipsi naturæ convicium fieri. *b*) Istud improborum desiderium causæ nostræ nedum obsit prodest, quum illud aliunde venire nequeat quam ex alio naturæ nostræ sensu de futuræ vitæ statibus, de quo mox loquemur. Tantus enim et tam naturalis nobis est horror nihili, ut nemo suî exstinctionem concupiscere possit, nisi ex insito timore ne æternas scelerum suorum pœnas sit daturus.

587. 4° Ea hominis natura est, ut *a*) ipse solus ex omnibus hujus terræ incolis futurorum præmiorum spe et pœnarum timore regi et ad munera sua exequenda adduci possit; utque *b*) nullâ aliâ ratione, quam illâ spe et hoc timore, ad officia sua obeunda adigi queat. Et spes ac timor illi, qui tam naturaliter, tam alte, tam fixe hominis animo insident, qui ipsius naturæ moralis velut elementa sunt, vani esse possint? Id qui sibi persuadet, naturam nostram monstrum dicat necesse est, quod mendaciis tanquam legibus naturalibus regitur.

Idem fere argumentum hac ratione proponitur : Nihil homini magis naturale est quam ut, ubi officio suo bene fungitur, suavissimâ suì ipsius approbatione delectetur, et contra, quum male se gessit, amaro conscientiæ stimulo crucietur. Sed uterque ille animi sensus nihil aliud esse potest quam provida naturæ vox, nos secreto monentis, ut præmium speremus vel pœnam timeamus, non ab hominibus, qui opera nostra ignorant, sed a Deo, cui omnia sunt conspicua, non in hoc seculo, sed post mortem exspectanda. Porro quum conscientiæ testimonium naturæ nostræ lex sit, illa quæ significat non vera esse nequeunt.

III) Animi immortalitas probatur ex naturâ societatis.

588. Societas hominis conditio naturalis est, ad cujus conservationem, incolumitatem, salutem homo tantum conferre debet, quantum ipsa humani generis conservationi, bono, perfectioni necessaria est (569).

589. Age vero, ut homo sit sociabilis seu sua erga societatem officia servet, necesse est ut credat Deum remuneratorem

et vindicem, sive præmia et pœnas alterius vitæ. Nam *a*) illud confitentur vel ipsi materialistæ et athei plerique (1).

590. Præter illam fidem nulla actionum humanarum ratio est nisi suî cujusque commodi studium societatis commodo inimicissimum, ut recte notavit J. J. Rousseau (*Emile*, 1, 2) his verbis : « Sine hac fide nihil in hominibus video nisi injustitiam, hypocrisim et mendacium. Suum cujusque commodum privatum, quod omnibus quæ ei opponuntur prævalet, singulos vitium virtutis larvâ ornare docet. Omnes homines meæ felicitati serviant suo cum incommodo; meâ unius utilitate metiantur omnia ; pereat genus humanum, si opus fuerit, præ dolore et miseriâ, ut ego vel paulisper dolore aut fame caream : hic est sermo interior cujusvis increduli qui ratiocinatur. Illud affirmabo, quamdiu vivam ; qui dixit in corde suo : *non est Deus*, et aliter loquitur, mendax est aut stolidus. »

591. *c*) Illa porro reipsa ita se habere, vel ex hoc patet, quod bonum societatis interdum a nobis exigat maxima sacrificia, scilicet ut ponamus ejusmodi actiones, quæ sine manifesto periculo vel etiam certo detrimento præsentis nostræ utilitatis privatæ exerceri non possunt ; atque adeo virtutes quædam sociales sunt, sine quibus societas stare nequit, et ad quas colendas tamen nulla esse potest ratio sufficiens, quæ virum prudentem moveat, præter futuræ vitæ præmia. Quid enim? societas secura et incolumis esse nequit, nisi cives parati sint eam tutari, etiam ubi opus fuerit cum certo vitæ discrimine; at quis sapiens v. g. pro salute patriæ se mortis periculo exponet sine futuræ vitæ persuasione? Nonne ejusmodi actio apertæ insaniæ æquiparanda esset ?

592. Nec dicas, desiderium nomen suum immortalitati tradendi et posteritatis laudem sibi conciliandi sapientem satis impellere ad colendas virtutes societatis bono necessarias. Etenim, nisi homo immortalis sit, 1° insulse ageret qui defunctis honorem exhiberet ; 2° mortuorum minime interesset, quid viventes de

(1) Cf. Bergier, *Traité de la vraie religion*, 1• p. c. 6, art. 3, § 6.

ipsis sentiant. 3° Adhæc quotusquisque nominis sui immortalitatem sibi certo sperare possit? 4° Quin etiam posteritatis judicium de meritis nostris cum hominum opinionibus variat. 5° Atque ideo reipsa fit ut sapiens quisque, non propter vanam hominum laudem virtutem colat, sed propter conscientiæ testimonium, quod ipsi longe meliora bona portendit.

593. *d*) Eo accedit, quod sine animorum immortalitate nullum est frenum, præter vim externam, quo cohibeantur vitia societatis bono perniciosissima. Sed qui vi illâ impediri possint vitia eorum qui societati præsunt et ideo vi illâ utendi facultate soli fruuntur? Quî item cohiberi possint crimina occulta, quæ societatis maxima pestis sunt (1)?

594. *e*) Sine spe alterius vitæ homo non tantum careret sufficienti virtutum stimulo et vitiorum obice, sed et summo jure suo uteretur, ubi sui commodi, utilitatis aut voluptatis causâ faceret etiam quæ societati universæ maxime exitiosa essent. Tum enim unum præsentis vitæ commodum cuique summum suum bonum foret. Atqui optimo jure quisque summum suum bonum prosequitur. Ergo quæcunque ad suum cujusque commodum servirent, sive furta, sive latrocinia, sive cædes, sive patriæ proditio, hæc ei naturali jure licerent (2). Apage doctrinæ monstrum, quod ejusmodi continet consequentias.

IV) Animi immortalitas probatur ex naturâ Dei.

595. Animum esse immortalem non adeo probatur ex iis quæ magis vel minus certo sequuntur ex eo quod incorporalis naturæ sit, quam ex iis quæ de divinâ naturâ omnino certa esse constat. Etenim ex Dei bonitate, sanctitate, justitiâ, sa-

(1) Hinc ipse ille Voltaire merito dixit (*Dict. philos.* art. *Athéisme*): « Rem mihi esse nollem cum principe atheo, cui utile videri posset ut me pilo contundi juberet, nam certo certius contunderer. Et, si princeps essem, rem mihi nollem esse cum aulicis atheis, quorum interesset me veneno perire; quotidie enim ad incertum casum antidoto uti deberem. »

(2) Ideo idem Voltaire vere dixit: « L'athée fourbe, ingrat, calomniateur, brigand, sanguinaire, raisonne et agit conséquemment, s'il est sûr de l'impunité de la part des hommes; car s'il n'y a point de Dieu, *ce monstre est son Dieu à lui-même.*

pientiâ, providentiâ, ubi cum hominis morali naturâ comparantur, immortalitatis nostræ argumentum sumitur omnium firmissimum et omnino inexpugnabile, adeo quidem ut animus, etiamsi materialis esset, immortalitate tamen minime privari posset, ut recte monet Fenelon.

Videamus modo, quî ex singulis illis Dei perfectionibus immortalitas nostra certo sequatur.

596. 1° *Ex Dei bonitate.* » Quum Deus hominem crearet sensu et ratione præditum, ita ratiocinatur Bergier, ipsi bonitatem suam testatam facere voluit; nullus enim alius finis Deo dignus est. At nisi præsens vita nos ad meliorem sortem præparare possit, ipsa jam non amplius beneficium est, quin contra plurimæ hominum parti vere infortunium foret. Increduli illud fatentur : Homo, inquiunt, passionum tyrannide vexatus et conscientiâ cohibitus, modo vanis terroribus, modo spe inani agitatus, ludibrium desiderii immortalitatis quod expleri non potest, omnium animantium infelicissimus est; a numine quodam moroso et malefico conditus esse videtur. Cæci, vitam futuram agnoscite, et scandalum ablatum erit. » Quam miserabilis homo esset sine animi immortalitate, jam supra breviter ostendimus ; itaque, quum ab ente summe bono creatus sit, ad immortalitatem creatus sit necesse est.

597. 2° *Ex Dei sanctitate et justitiâ.* Quum Deus sit summe sanctus, bonum non amare et malum non odisse non potest, et quum sit summe justus, omnem virtutem necessario remunerat et omne delictum necessario punit. Jam vero tantum abest ut omnis actio suo præmio vel pœnâ donetur in hac vitâ, ut contra sæpe accidat ut boni per totam vitam præsentem sint miseri, mali autem usque ad mortem maximâ fruantur prosperitate. Proindeque, nisi alia vita esset, ubi pro suo quisque merito remunerandus est, summas virtutes et scelera pessima Deus æquipararet, vel saltem susdeque haberet; quod quum dici omnino nequeat, alteram vitam esse dicatur necesse est (1).

(1) « Quand je n'aurais d'autre preuve de l'immortalité de l'âme, inquit

598. 3° *Ex Dei sapientiâ.* Sapientia in eo consistit, ut quæ quis facit hæc faciat propter finem et factore et opere dignum, utque ad finem illum accommodata, apta ac idonea sint. Jam vero quem finem Deus, aut se, aut homine, aut mundo dignum sibi proponere potuisset in condendo homine ac mundo, nisi homo ad aliam vitam esset vocatus quam ad hanc brevem, miserabilem, mortalem, terrenam? Quæ tunc proportio foret inter cognitiones, affectus, desideria, præsensiones, inclinationes, voluntates, necessitates, facultates, potentias universas hominis, entis intelligentis, liberi, moralis, et hominis finem sive destinationem? Nonne tota hominis fabricatio opus esset deforme, vitiosum, monstrosum, sine ullâ cum fine suo proportione? At, si homo creatus est ut in hac vitâ mereatur felicitatem alterius vitæ æternæ, in singulis ejus partibus ac potentiis conditoris sapientia elucet apertissime... Idem dicendum est de mundi fabricâ. Si mundus ad hominem, homo autem referatur ad Deum, tum ars illa, quæ adhibita fuit ad corpora cœlestia, magis autem ad entia viventia ac præsertim tot millena millia cujusvis generis animalium tam industrie condenda, summam habet significationem, quippe quæ tantam auctoris prodat sapientiam quantam potentiam; tum enim singula illa prodigia adminicula sunt, quibus incitemur ad agnoscendum, amandum et colendum eum, qui his operibus patefacere nobis voluit, quam bonus, magnus, potens, sapiens, amabilis denique ipse sit. Sed omnis ista magnificentia nihil aliud foret quam vana exornatio scenæ mendacis, quæ nullam proportionem haberet cum Dei sapientiâ aut hominis destinatione, si ipsa non ad alium finem oculis nostris proposita esset, quam ut illam per aliquot vitæ fugacis momenta sterili contemplatione miraremur, et ita otiosâ occupatione detineremur.

J. J. Rousseau, que le triomphe du méchant et l'oppression du juste dans ce monde, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une contradiction si manifeste, une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle me forcerait à la résoudre; je me dirais : tout ne finit pas pour moi avec la vie, tout rentre dans l'ordre à la mort. »

Igitur ex Dei sapientiâ sequitur ea, quæ Deus pro homine fecit, certo probare hominis finem hac vitâ esse superiorem.

599. 4° *Ex Dei providentiâ.* Deus homini legem moralem non præscribere non potuit, neque legem hanc non efficaciter sancire; atqui istius legis sanctio efficax aut sufficiens non foret, nisi homo esset immortalis; ergo... Age enim, ut moralis legis sanctio efficax sit et sufficiens, *a*) omnibus bonis actionibus præmium, quibusvis autem malis pœna sua statuta sit necesse est; *b*) præmium et pœnam actibus respondere oportet; *c*) præmium ac pœna tanta debent esse, ut apta sint ad hominem cordatum quemque inducendum ut propter ea legem servet. Jam vero, si hinc consideres, omnia bona ac mala opera in hac vitâ justo suo præmio vel pœnâ non donari, illinc autem videas, virtutem sæpe tam difficilem, vitium vero tam alliciens esse, præsertim propter passionum tyrannidem, ut nemo propter solam præsentis vitæ sanctionem legem moralem servare vellet, omnino fatearis necesse est, Deum de legis suæ moralis sanctione non providisse, nisi post hanc vitam immortalis vita nos maneret. Ergo...

Itaque, alteram nobis vitam superesse, tam certum est quam quod maxime.

600. Porro, etsi vitam illam vere æternam fore forsan non stricte probetur aliquibus ex argumentis illis quæ vitam futuram probant, attamen vera istius vitæ æternitas propterea non minus certo probata est. Quod ut brevissime ostendatur, hæc tantum addimus :

1° Quisquis vitam futuram agnoscit, eam et æternam agnoscit, ut nobis quidem nemo cognitus sit qui futuram vitam credat non æternam.

2° Si non singula argumenta, certo tamen singulæ argumentorum series, quas sive ex hominis sive ex societatis sive ex Dei naturâ petivimus, hoc efficiunt, si rite ponderantur, ut hominem non tantum posthac victurum, sed et æternum victurum esse commonstrent, præsertim illæ quæ ex hominis et Dei inter se collatorum naturis sumuntur.

3° Quod ad futuram bonorum vitam speciatim attinet, inexpugnabile censemus hoc Ciceronis argumentum (*Fin.* II, 27 : « Si amitti vita beata potest, beata esse non potest... Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum , timeat necesse est ne aliquando amissis illis sit miser ; beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest... Neque enim in aliquâ parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici solet ; neque appellatur omnino vita beata , nisi confecta atque absoluta ; nec potest quisquam alias beatus esse , alias miser; qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. »

V) Animorum immortalitati hæc opponunt :

601. 1° Opera nostra non tanti sunt , ut mereantur præmium æternum. 2° Deus nihil homini debet, sed omnia dona ejus gratuita sunt. 3° Conscientiæ pax et angores operum nostrorum sufficiens compensatio est. 4° Divinæ justitiæ omnino satisfit iniquorum exstinctione. 5° Pœnarum æternitas pugnat cum ratione.

602. Resp. ad 1m. Ultro concedimus, opera nostra per se non mereri felicitatem æternam; nullibi ex solâ meriti nostri magnitudine nostram immortalitatem probavimus. At, quum Deus hominem hujus naturæ fecerit , quâ nunc donati sumus, ut semper desiderio immortalitatis teneatur , nec sine illâ spe rationem videat virtutem colendi et mala vitandi, ideo non ex solo interno operum nostrorum merito, sed ex naturâ nostrâ, qualis a Deo condita est , hominis immortalitas consequitur. Hinc etiam

603. 2° Etsi, absolute loquendo, Deus nihil homini debeat, atque omnia ejus dona gratuita sint, quatenus hominem libere creavit, et ex merâ bonitate, atque adeo gratis et sine ullo hominis merito, nos eâ naturâ ornavit quâ ceteris animalibus antecellimus, attamen Deus homini , seu potius sibi ipsi debet ut opus suum perficiat , seu ut illud non mancum , mutilum, inordinatum efficiat.

Itaque, si aliam nobis naturam fecisset, ut facere ipsi liberum fuit, nos profecto potuisset non destinare ad immortalitatem;

nunc autem, quum iis nos facultatibus ditaverit quibus fruimur, etiam omnia illa nobis præstare debuit, quæ earumdem naturales consequentiæ sunt habendæ.

604. 3° Porro, conscientiæ testimonium non sufficere ad id quod volunt adversarii, ex his liquet : Conscientiæ angores *a*) non semper scelera sequuntur ; *b*) sæpe non respondent delictorum gravitati ; *c*) plerumque post prima facinora majores sunt, post infinita crimina minores et rariores ; *d*) vix afficere possunt iniquissimum, qui inter summa scelera se ipsum occidit ; *e*) vani sunt, nisi futuras et graviores portendant pœnas. Similia dicenda sunt de conscientiæ approbatione.

605. 4° Legem moralem non satis sancitam fore iniquorum exstinctione, hæc probant : *a*) Etsi vir bonus suî exstinctionem naturaliter et summe horreat, scelestissimi quique tamen hanc sortem libenter eligerent, si eâ conditione perversam indolem suam sequi possent. *b*) Nulla differentia esset inter graviorum et leviorum scelerum pœnam, ubi iniqui similiter in nihilum redirent. *c*) Crimen omnium gravissimum impunitum maneret, ejus scilicet qui vitam plurimis et pessimis sceleribus fœdatam suî ipsius occisione finiret.

606. 5° Pœnarum æternitatem non pugnare cum ratione, varie probatur : *a*) Eam quidem, fatentibus ipsis Voltaire et Bolingbroke, crediderunt populi antiquissimi et celeberrimi, Hebræi, Chaldæi, Assyrii, Ægyptii, Græci, Romani, omnes, et cum populis, poetæ, qui primi fuerunt philosophi, ut Orpheus, Linus, Hesiodus, Virgilius, Ovidius, Horatius, quorum sententia hoc noto versiculo continetur : « Sedet *æternumque* sedebit infelix Theseus. » Cum ipsis eam et credidit philosophorum princeps Plato (1). Age porro, an hæc opinio

(1) In *Phædone*, p. 113. E. Plato hæc habet : « Qui visi fuerint (sc. quum judicium subeunt) *insanabiles* esse propter magnitudinem peccatorum, vel multis et magnis sacrilegiis vel cædibus injustis et illicitis multis perpetratis, vel aliis quæcunque talia sint, hos consentanea sors projicit in tartarum, unde *nunquam* egrediuntur. » Et in *Gorgiâ*, p. 525. B. Sic loquitur : « Qui utilitatem percipiunt et puniuntur (sc. qui, dum pœnam luunt, simul inde percipiunt utilitatem) a Diis et hominibus, hi sunt qui

tam generalis, tam constans (1), tam recepta apud viros clarissimos esset, si cum ratione pugnaret, quin imo nisi cum mentis nostræ naturâ, indole et præsensione vere congrueret?

b) Æternarum pœnarum fidem non pugnare, sed consentire cum ratione, imo et esse necessariam, inde conficitur, quod spectatâ hominis indole lex moralis secus non efficaciter sancita esset; quum ea hominis natura sit, ut ea quæ aliquando finientur non curet (2), atque adeo propter pœnas non æternas a legis violatione in mediis vitiorum illecebris non abstineret.

c) Quin etiam, ut recte notat A. Nicolas, pœnæ temporariæ minime sufficerent, ut divinæ justitiæ fieret satis, et rebellis hominis voluntas Deo subderetur. « Infernus aliquando finiendus omnino huc recideret, inquit, ut homo Deo dicere posset : Scio, me puniri a te posse; at simul scio, te non posse punire ultra certam mensuram, quâ completâ mihi debebis ignoscere. Age vero, quum mihi gaudium sine mensurâ proponam in sectandis voluptatibus, me submitto pœnæ quam mihi reservas; atque eâ conditione omnia explere scelera possum cum certâ spe fore ut aliquando a misericordiâ tuâ exigere possim, ut hæc justitiæ tuæ finem faciat (3). »

sanabilia peccata commiserunt; attamen per dolores et cruciatus fit iis utilitas et hic et in inferis; non enim fieri potest ut aliter quisquam injustitiâ liberetur. Qui vero extrema scelera commiserint, et propter hæc talia peccata *insanabiles* facti fuerint, ex his exempla sumuntur, atque hi ipsi non amplius ullam percipiunt utilitatem, quippe qui sint insanabiles, alii vero utilitatem capiunt, qui vident hos propter peccata maximas et acerbissimas et formidolosissimas pœnas patientes *semper*. »

(1) Philosophus ethnicus Celsus, ille christianæ religionis hostis infensissimus, christianos recte putare, dicit, bonos post mortem remunerandos, malos autem *suppliciis æternis* esse puniendos. Verumtamen, subjungit, omnes idem consentiunt. Vid. Nicolas, *Études philos. sur le christianisme*, t. II, ch. 8.

(2) « Que m'importe *ce qui peut finir*? » inquit homo incredulus, apud Nicolas, *ibid.* qui ad veram hominis indolem pingendam et hæc addit : » Un philosophe allemand, dit Mme de Staël, disait une fois : Je donnerais pour obtenir telle chose deux millions d'années de ma félicité éternelle, et il était singulièrement modéré dans le sacrifice qu'il offrait. »

(3) *Études philosophiques sur le christianisme*, loc. laudato.

d) Pœnarum æternitatem non pugnare cum ratione etiam ex eo patet, quod justitia humana eos pœnâ vere æternâ afficit, quos capitis condemnat vel perpetuo carceri addicit.

e) Denique, quod notatu dignissimum est, si rem recte consideras, non Deus hominem, sed homo nocens se ipse æternæ addicit pœnæ. Etenim Deus neminem creavit, ut sit infelix; sed nos eum in finem condidit, ut æternum simus beati; utque verâ et summâ beatitudine fruamur, voluit ut eam mereamur, atque, ad hanc merendam quæ necessaria sunt, abunde nobis suppeditavit rationem, libertatem, et auxilia quæcunque ad rationis et liberæ actionis optimum exercitium requiruntur. Igitur non Deo, sed sibi imputet infortunium suum is, qui, quum felicitatem Dei bonitate sibi paratam ingratus respuat, suâ unius culpâ divinæ justitiæ, cujus leges non ignorat, gloriam dare debebit.

607. Quæ quum ita sint, præsens vita non inutile aut leve donum est, quo tota sors nostra contineatur, sed res est summi pretii, utpote quâ bene utendo æternam felicitatem nobis ipsi mereri debemus. Age ergo hoc semper nobis alte insitum sit, ut supernorum beneficiorum memores, in omnibus actibus nostris hanc vitam consideremus, non tantum ut vestibulum, sed ut veram apparationem ad æternitatem.

FINIS.

APPENDIX NOTARUM,

Quas propter longitudinem suam hoc loco colligere visum fuit.

Nota A pag. 37.

De animi et vitæ discrimine.

Quid veteres omnino putaverint de animi et vitæ differentiâ non facile dici potest. Plerique nullum discrimen esse voluerunt; alii eam differentiam agnoverunt, quæ inter rem et ejus qualitatem intercedit; alii idem discrimen repererunt quod inter duas substantias est (1); alii illam quæstionem inextricabilem habuerunt (2). Nec tam mirum est, viros doctos olim de eà re dissensisse, quam nunc, ubi vires naturæ viventis et non viventis minus ignotæ sunt.

Ut omittamus eos qui grammatice tractarunt quæstionem de differentiâ vitæ et animi, animi et spiritûs, animi et animæ, Bitaube in suâ Homeri versione notat, Ægyptios in homine reipsâ distinxisse corpus, animam et spiritum. Apud eumdem Homerum Ulysses apud inferos videt Herculis animam, at non totam et integram, quales sunt aliæ in eo loco detentæ, sed nobilissimâ suâ parte, scilicet mente carentem; hæc quippe ad Deos jam avolaverat (3). Comes J. De Maistre plura alia loca ex Homero laudat, ubi mens et anima nitide distinguuntur (4). « Platon, Plutarque, Pline etc., ait De Feller, ont prétendu que l'âme pouvait abandonner le corps sans le destituer du principe vital (5). » Optandum foret ut De Feller addidisset, utrum illi philosophi animum ut substantiam a vitæ principio diversam habuerint, an ut facultatem, ut adeo sine animo vitam manere posse et sine mente animam durare existimaverint, sicut in amentibus fieri passim creditur. Interim Comes J. De Maistre de Platone hæc scripsit : « Platon ne croyait point qu'il pût y avoir entre l'esprit et le corps aucune sorte de lien ni de contact, de manière que l'âme ou le principe sensible était pour lui une espèce de moyenne proportionnelle ou de puissance

(1) Cf. H. Klee, *Katholische Dogmatik*, tom. 2, p. 275-281, edit. 1835.

(2) Sicut Lactantius, *De opificio Dei*, c. 18, quæstionem : idemne anima et animus, inxtricabilem vocat.

(3) *Iliad.* lib. 23.

(4) *Eclaircissement sur les sacrifices.*

(5) *Catéchisme philosophique*, n. 167. not.

intermédiaire en qui l'esprit reposait, comme elle reposait elle-même dans le corps. *Mentem autem reperiebat Deus ulli rei adjunctam esse sine animo nefas esse; quocirca intelligentiam in animâ, animam inclusit in corpore.* Tim. inter Fragm. Cic.; Plat. in Tim. (1). » -- Philonis hac de re sententia ita refertur in *Bible de Vence* : « Philon distingue l'âme sensitive de l'âme raisonnable. Il dit que l'âme sensitive ou vitale est celle par laquelle nous vivons, et que l'âme raisonnable est celle par laquelle nous sommes raisonnables : la première nous est commune avec les animaux, la seconde nous est propre. Dieu n'a pas cette âme raisonnable, mais il la domine ou il en est le principe, comme étant la source de la raison. L'âme sensitive, qui nous est commune avec les animaux, n'est autre chose que le sang ; mais l'âme raisonnable, qui est un écoulement de la raison divine, est une substance spirituelle; elle est un esprit, non un air mu et agité, mais un modèle et une image de la puissance divine. Ainsi cette âme, qui fait la plus noble partie de nous-mêmes, s'appelle l'entendement ou la raison : ὁ νοῦς καὶ λόγος (2). » -- Origenem mentem suam de duabus hominis animis exponentem (3) ita inducit J. De Maistre : « Ceux qui l'ont adoptée, dit-il, ne pensent pas que ces mots de l'Apôtre : La chair a des désirs contraires à ceux de l'esprit : *concupiscit caro adversus spiritum* (GAL. V, 17), doivent s'entendre de la *chair* proprement dite, mais de cette *âme* qui est réellement *l'âme de la chair;* car, disent-ils, nous en avons deux, l'une bonne et céleste, l'autre inférieure et terrestre : c'est de celle-ci qu'il a été dit que *ses œuvres sont évidentes* (ib. 19), et nous croyons que cette âme de la chair réside dans le sang. Et il ajoute : le lecteur en pensera ce qu'il voudra (4). »

Scholastici plerique cum S. Augustino et S. Thomâ animum et vitam re unum et idem esse putaverunt. Nonnulli tamen aliter senserunt, ut Alanus ab Insulis, doctor universalis, qui hæc de illâ re docuit : « Est namque in homine duplex spiritus : spiritus rationalis et incorporeus, qui non perit cum corpore, et alius qui dicitur physicus et naturalis, quo mediante, anima rationalis unitur corpori, et hic spiritus est subtilior aere et etiam igne, quo mediante, fit sensus et imaginatio; et ille perit cum corpore. Talis spiritus naturalis est in corpore bruti animantis, et illud vegetat, et perit pereunte corpore. Et secundum hoc ait Salomon, quod *unus est interitus hominis et jumento-*

(1) *Eclaircissement sur les sacrifices.*
(2) *Dissertation sur la nature de l'âme*, art. 1 : Distinction du corps, de l'âme et de l'esprit.
(3) *De Principiis*, lib. 3, c. 4.
(4) *Eclaircissement sur les sacrifices.*

rum. Quod autem anima dicitur esse in sanguine, non ad animam referendum est, sed ad vitam animalem; hic enim sumitur hoc nomen *anima* in designatione vitæ temporalis, quæ penes sanguinem consistit (1). »

Circa medium sæculum XVIII S. Storchenau, S. J. hæc scripsit : « Cum igitur procreatio et conjunctio animæ vitæ solum corporis alligari videatur, nihil refert sive illud perfecte maturum sit sive non, si modo vere vivat (2). » Et paulo postea : « Longe probabilius videtur vitam corporis ab aliquâ animæ actione directe non pendere... Inde vero necessariâ consecutione fluit, non tum corpus mori cum anima abscedit, sed potius recedere animam cum corpus moritur; mortuo enim corpore nequit anima velut instrumento ad objecta sensibilia percipienda uti; quare finis, cur ipsa corpori insit ac præsit, cessat, ac cessante fine lex quoque commercii tollitur (3). »

Hac ætate apud nonnullos theologos philosophiæ peritos hæc reperimus : F. J. Receveur aperte dicit : « Ce que l'on peut affirmer seulement avec une entière certitude, c'est que ces actions vitales et les phénomènes organiques n'appartiennent pas proprement à l'âme, et ne peuvent lui être rapportés comme à leur cause directe, puisqu'ils ont lieu très-souvent à son insu ou même contre son gré, et que d'ailleurs la conscience ne peut jamais les atteindre (4). » J. B. Bouvier, episcopus Cenomanensis, postquam probasset belluis esse animam a corpore distinctam et immaterialem, sed ratione destitutam, sibi objicit *Lev.* XVII, 11, et *Deut.* XII, 23; ac respondet : « Anima in his locis sumitur pro vitâ animali, quæ tam in hominibus quam in belluis ita annexa est sanguini, ut, effuso sanguine vel circulatione ejus cessante, mors sequatur (5). » Itaque non tantum in homine, sed etiam in belluâ vitam animalem ab animo reapse differre ponit. R. P. Perrone in distinctione principii vitalis ab animâ potius vocis quam rei quæstionem quærit (6). Interea philosophus eclecticus Th. Jouffroy animum et vitæ principium prorsus differre contendit (7).

Viri in philosophicis et naturalibus scientiis versati hoc et præcedente sæculo multi realem inter corporis vitam et animum differentiam aperte proclamant : « Haller dans sa *Physiologie*, inquit De Feller, a fait de grands efforts en faveur de cette opinion, que M. Fabre a vi-

(1) *De fide catholicâ contra Waldenses et Albigenses*, cap. 28.
(2) *Psychologia*, n. 166, schol. 1.
(3) *Ibid.* n. 171, schol.
(4) *Essai sur la nature de l'âme*, etc. ch. 2.
(5) *Instit. philos.* Pneumatol. part. 3, c. 5.
(6) *Prælect. theol.* tom. 3, p. 113, n. 3, edit. Lov.
(7) Vid. *Revue de l'instruction publique*, n. 1.

vement soutenue depuis dans son *Essai sur les facultés de l'âme*, 1783. Leidenfrost, dans son traité *De mente humanâ*, 1793, en parle comme d'une chose qui est hors de doute. *Est igitur verus spiritus* (sunt verba Leidenforst), *etiamsi a mente diversus, ideoque notionis et cognitionis non capax* (1). » Barthez, cancellarius universitatis medicæ Montis Pessulani, de principio vitali sic loquitur : « Qu'on l'appelle puissance ou faculté, cause immédiate de tous nos mouvements et de tous nos sentiments (*intellige* sensations), ce principe est un : il est absolument indépendant de l'âme pensante, et même du corps, suivant toutes les vraisemblances. Aucune cause ou loi mécanique n'est recevable dans les phénomènes du corps vivant (2). » Illustrissimus De Maistre animi et vitæ differentiam acerrime propugnat (3); forsan principio vitali nimium tribuit, dum illud quâdam conscientiâ et cognitione donat, ubi ait : « L'intelligence n'est pas la même chose que le principe sensible. Ce principe qu'on appelle aussi le principe vital, et qui est la vie, ne peut être quelque chose de matériel, *absolument dénué de connaissance et de conscience* (4). » Etiam nonnullis argumentis minus rectis uti ad thesim suam probandam videtur.

Physiologi hodierni P. Blaud (5), Ph. Dufour (6), doctor L. Cerise (7), J. L. C. Schroeder Van der Kolk (8), C. Chardel (9), item Forichon, presbyter et medicinæ doctor (10), F. L. M. Maupied, presbyter et scientiarum doctor (11), Cl. Bautain, theologiæ, litterarum et medicinæ doctor (12), J. B. Loubert, presbyter et medicinæ doctor cum suis adjutoribus (13), plenam animi et vitæ corporis differentiam

(1) *Catéchisme philosophique*, n. 167, not.
(2) *Nouveaux éléments de la science de l'homme*, 1778 et 1806.
(3) *Eclaircissement sur les sacrifices* et *Examen de la philosophie de Bacon*, tom. 2. ch. 2, De l'âme.
(4) *Eclaircissement* etc. § 1.
(5) *Traité élémentaire de physiologie philosophique.*
(6) *Essai sur l'étude de l'homme.*
(7) *Exposé et examen critique du système phrénologique.*
(8) *Over het verschil tusschen doode natuurkrachten, levenskracht en ziel.* Hæc dissertatio gallice versa reperitur in *Journal historique de Liége*, n° 54 et 55.
(9) *Essai de psychologie physiologique*, pag. 106, éd. Paris 1838, ubi hæc habet : « L'existence de l'homme en ce monde présente donc, à celui qui la veut étudier, une division naturelle : l'âme, la vie et le corps.
(10) *Le matérialisme et la phrénologie combattus*, pag. 379.
(11) *Cours de physique sacrée*, 9e leçon, Université cath. t. 14, p. 407.
(12) *Psychologie expérimentale.*
(13) *Revue d'anthropologie catholique*, passim.

diserte propugnant. In omnibus igitur scholis reperiuntur qui illud discrimen agnoscunt.

At 1° nuperus scriptor L. Moreau hanc theoriam manichæismi incusat (1); 2° Cl. H. Klee innuere videtur eam adversari decreto Concilii generalis Viennensis 1311 (2).

R. 1° Sane ad manichæismum accederet, qui hanc doctrinam ita propugnaret, ut vitam malarum et animum bonarum actionum principium seu causam efficientem haberet; sed nihil cum manichæismo commune est doctrinæ, quâ animus ad desideria carnalia incitari perhibetur per vitam corporis, et quâ omnis actio moralis, quatenus moralis est, animo tamquam veræ causæ efficienti tribuitur.

R. 2° Dum vir præclarus illud innuere videtur, non recte meminit scholasticorum theoriæ de formis substantialibus. Definivit utique Clemens V in Conc. Vienn. animum esse formam corporis (3). Quæ hujus decreti ferendi vera causa fuerit, satis aperte colligere ex historiâ non potui (4). Verisimillimum mihi est, eo proscriptum fuisse monopsychismum, qui illo tempore ex pantheismo natus viguit, et quo omnibus hominibus simul unus et numero idem animus tribuebatur; unde gravissimi errores de animorum immortalitate et de ratione quâ animus se habeat ad corpus nascantur necesse est. Sed quidquid sit de hujus decreti origine, sensus ejus non est obscurus philosophiæ scholasticæ peritis (5). Docebant autem scholastici in eodem corpore plures formas substantiales inesse posse, unam specificam, alias genericas (6). Unde sequitur, concilium, definiendo animum esse formam

(1) *Du matérialisme phrénologique*, 1843, § 12.

(2) *Katholische Dogmatik*, tom. 2, pag. 281.

(3) Clementis V verba hæc sunt : » Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis aut intellectivæ vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam sacro approbante concilio reprobamus, definientes, ut si quisquam deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.

(4) Cff. Labbeus, *Acta concilior.* tom. XI, part. 2; Suarez, *De anima*, lib. 1, c. 12; Berault-Bercastel, abrégé par Henrion, tom. 5.

(5) Vid. de hac re nostra *Ontologiæ elementa*, n. 112, not. edit. 1839, et n. 124, not. edit. 1845.

(6) « In eo multum laborabat Scotus (Duns), ut probaret plures formas substantiales in unâ eâdemque materiâ existere posse. Provocabat ad exemplum hominis, in quo forma corporis, forma viventis, forma sensibilis, forma animalis, ac postrema ipsa hominis forma conjunctæ sunt. » C. Meiners, *De nominalium ac realium initiis*, in *comment. soc. scient. Gotting.* tom. 12, p. 40.

corporis humani (1), minime negasse alias ejusdem corporis formas (2). Notant præterea diligentiores theologi, concilium, usurpando vocabulum *Forma* in scholis tum temporis usitatum, non tamen definisse quæstionem scholasticam de formis substantialibus, sive de compositione rerum ex materiâ et formâ (3).

Nota B pag. 45.

Leibnitius et Cartesius de naturâ idearum.

« Nos différends (avec Locke) sont sur des objets de quelque importance. Il s'agit de savoir si l'âme en elle-même est vide entièrement comme des tablettes où l'on n'a encore rien écrit (*tabula rasa*), selon Aristote et l'auteur de l'Essai (Locke), et si tout ce qui y est tracé vient uniquement des sens et de l'expérience, ou si l'âme contient

(1) « In hac difficultate (nempe quotuplex sit forma substantialis in composito et anima in vivente) quatuor sunt philosophorum sententiæ. Prima sententia docet in quovis vivente tot esse animas realiter distinctas, quot sunt in illo genera vitæ; ita ut in planta v. g. sit unica anima, quia planta unicum habet genus vitæ, nimirum vegetativæ; in bruto autem sint duæ animæ realiter distinctæ, vegetativa nempe et sensitiva, quoniam in uno bruto sunt duo genera vitæ, vegetativæ nimirum et sensitivæ; in homine demum sint tres animæ realiter distinctæ, videlicet anima vegetativa, anima sensitiva et anima rationalis, quia sunt in homine tria genera vitæ, scilicet vitæ vegetativæ, vitæ sensitivæ et vitæ rationalis. Ita docent Okamus et Nominales. -- Secunda sententia ponit quidem unam animam in uno vivente, sed præter illam aliam ponit formam substantialem, quam vocat *formam corporeitatis.* Ita Scotus et Scotistæ. -- Tertia sententia constituit in quolibet vivente unicam formam aut animam totalem; sed præter illam admittit plures formas substantiales, juxta membrorum varietatem; hinc admittit formam partialem oculi, etc. Hanc sententiam docent plures recentiores, pro qua etiam sententia citatur Scotus. -- Quarta sententia in quolibet vivente et in quolibet composito substantiali physico unicam agnoscit animam vel formam substantialem, quæ totum corpus et singula ejus membra informet. Hanc sententiam docet Thomistarum schola. » *Clypeus philosophiæ thomisticæ contra veteres et novos ejus impugnatores*, auctore R. P. F. Jacobo Casimiro Guerinois, tom. V, p. 25. Venetiis 1709. Apud E. Tandel, *Cours d'Anthropologie.*

(2) Consentit F. Suarez, S. J. *Tract. de animâ* (Lugduni 1621), lib. 1. c. 12, n. 10, ubi de animâ ut formâ corporis ex professo agens dicit : « Necesse est hominem constitui in substantiali essentiâ hominis per aliquam substantialem formam ipsi propriam et a formis brutorum distinctam, quæ potest dici forma *specifica* hominis, sive cum illâ sint aliæ *genericæ*, sive non sint; *hoc enim ad præsens punctum nihil refert.* »

(3) Cf. etiam J. A. Dmowski, *Instit. psilos. Phychol.* p. 189, not.

originairement les principes de plusieurs notions et doctrines que les objets externes réveillent seulement dans les occasions, comme je le crois avec Platon et même avec l'école, et avec tous ceux qui prennent dans cette signification le passage de saint Paul (*Rom.* II, 15), où il marque que la loi de Dieu est écrite dans les cœurs. Les Stoïciens appelaient ces principes *notions communes*, *prolepses*, c'est-à-dire, des assomptions fondamentales, ou ce qu'on prend pour accordé par avance. Les mathématiciens les appellent *notions communes* (κοινὰς ἐννοίας). Les philosophes modernes leur donnent d'autres beaux noms, et Jules Scaliger particulièrement les nommait *semina æternitatis*, item *zopyra*, comme voulant dire des feux vivants, des traits lumineux cachés au dedans de nous, que la rencontre des sens et des objets externes fait paraître comme des étincelles que le choc fait sortir du fusil; et ce n'est pas sans raison qu'on croit que ces éclats marquent quelque chose de divin et d'éternel, qui paraît surtout dans les vérités nécessaires... Les sens, quoique nécessaires pour toutes nos connaissances actuelles, ne sont point suffisants pour nous les donner toutes, puisque les sens ne donnent jamais que des exemples, c'est-à-dire, des vérités particulières et individuelles. Or, tous les exemples qui confirment une vérité générale, de quelque nombre qu'ils soient, ne suffisent pas pour établir la nécessité universelle de cette même vérité... D'où il paraît que les vérités nécessaires, telles qu'on les trouve dans les mathématiques pures, et particulièrement dans l'arithmétique et dans la géométrie, doivent avoir des principes dont la preuve ne dépende point des exemples ni par conséquent du témoignage des sens, quoique sans les sens on ne se serait jamais avisé d'y penser... La logique encore avec la métaphysique et la morale .... sont pleines de telles vérités, et par conséquent leur preuve ne peut venir que des principes internes qu'on appelle innés. Il est vrai qu'il ne faut point s'imaginer qu'on puisse lire dans l'âme ces éternelles lois de la raison à livre ouvert, comme l'édit du préteur se lit sur son *album*, sans peine et sans recherche; mais c'est assez qu'on les puisse découvrir en nous à force d'attention, à quoi les occasions sont fournies par les sens.... Cela étant, peut-on nier qu'il y ait beaucoup d'inné en notre esprit, puisque nous sommes innés à nous-mêmes, pour ainsi dire? et qu'il y ait en nous *être*, *unité*, *substance*, *durée*, *changement*, *action*, *perception*, *plaisir* et mille autres objets de nos idées intellectuelles? Ces mêmes objets étant immédiats et toujours présents à notre entendement (quoiqu'ils ne sauraient être toujours aperçus à cause de nos distractions et de nos besoins), pourquoi s'étonner que

nous disions que ces idées nous sont innées, avec tout ce qui en dépend? Je me suis aussi servi de la comparaison d'une pierre de marbre qui a des veines plutôt que d'une pierre de marbre tout unie ou des tablettes vides, c'est-à-dire, de ce qui s'appelle *tabula rasa* chez les philosophes; car si l'âme ressemblait à ces tablettes vides, les vérités seraient en nous comme la figure d'Hercule est dans un marbre quand le marbre est tout à fait indifférent à recevoir ou cette fignre ou quelque autre. Mais s'il y avait des veines dans la pierre qui marquassent la figure d'Hercule préférablement à d'autres figures, cette pierre y serait plus déterminée, et Hercule y serait comme inné en quelque façon, quoiqu'il fallût du travail pour découvrir ces veines et pour les nettoyer par la polissure, en retranchant ce qui les empêche de paraître. C'est ainsi que les idées et les vérités nous sont innées, comme des inclinations, des dispositions, des habitudes ou des virtualités naturelles, et non pas comme des actions, quoique ces virtualités soient toujours accompagnées de quelques actions souvent insensibles qui y répondent. »

Ita Leibnitz, *Nouv. essais sur l'entend. humain.* Avant-propos.

Cartesius autem, *Epist.* part. I, ep. 99, hæc de ideis habet : « Non videtur (adversarius meus) nisi solis verbis a me dissentire; cum enim ait, mentem non indigere ideis vel notionibus vel axiomatis innatis, et interim ei facultatem cogitandi concedit, puta naturalem sive innatam, re affirmat plane idem quod ego, sed verbo negat. Non enim unquam scripsi vel judicavi mentem indigere ideis innatis, quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. Sed cum adverterem, quasdam in me esse cogitationes, quæ non objectis externis, nec a voluntatis meæ determinatione procedebant, sed a sola cogitandi facultate quæ in me est, ut ideas sive notiones, quæ sunt istarum cogitationum formæ, ab aliis adventitiis aut factis distinguerem, illas innatas vocavi : eodem sensu quo dicimus generositatem esse quibusdam familiis innatam, aliis vero quosdam morbos, ut podagram vel calculum, non quod ideo istarum familiarum infantes morbis istis in utero matris laborent, sed quod nascantur cum quadam dispositione sive facultate ad illos contrahendos. » Paulo post dicit : « ideas non aliunde advenire quam a nostrâ cogitandi facultate, ac proinde nobis esse innatas, hoc est, potentiâ nobis semper inexistentes; esse enim in aliquâ facultate, non est esse actu, sed potentiâ dumtaxat, quia ipsum nomen facultatis nihil aliud quam potentiam designat. » Deniquehæc addit: « Moneho hic... per ideas innatas me nihil intellexisse nisi quod ipsemet (adversarius meus) verum esse expressis verbis affirmat, nempe *nobis a naturâ inesse*

potentiam quâ Deum cognoscere possumus; quod autem istæ ideæ sint *actuales*, vel quod sint species nescio quæ a cogitandi facultate diversæ, nec unquam scripsisse nec cogitasse : imo etiam me magis quam quemquam alium ab istâ supervacuâ entitatum scholasticarum supellectile esse alienum; adeo ut a risu abstinere non potuerim, cum vidi magnam illam catervam, quam vir fortasse minime malus laboriose collegit ad probandum, *infantes non habere notitiam Dei actualem quamdiu sunt in utero matris*, tanquam si me hoc pacto egregie impugnaret. »

Nota C pag. 47.

Bossuet et Fénelon de naturâ idearum.

Bossuet, *De la connaissance de Dieu*, etc. c. 4, § 5.

« L'entendement a pour objet des vérités éternelles. Les règles de proportions, par lesquelles nous mesurons toutes choses, sont éternelles et invariables.... Tout ce qui se démontre en mathématiques, et en quelque science que ce soit, est éternel et immuable... Et pour en venir à quelque chose qui nous touche de plus près, j'entends par ces principes de vérité éternelle que, quand aucun autre être que l'homme et moi-même ne serions pas actuellement, quand Dieu aurait résolu de n'en créer aucun autre, le devoir essentiel de l'homme, dès-là qu'il est capable de raisonner, est de vivre selon la raison et de chercher son auteur.... Toutes ces vérités, et toutes celles que j'en déduis par un raisonnement certain, subsistent indépendamment de tous les temps... Si je cherche maintenant où et en quel sujet elles subsistent éternelles et immuables, comme elles sont, je suis obligé d'avouer un être où la vérité est éternellement subsistante et où elle est toujours entendue, et cet être doit être la vérité même et doit être toute vérité, et c'est de lui que la vérité dérive dans tout ce qui est et ce qui s'entend hors de lui. C'est donc en lui, d'une certaine manière qui m'est incompréhensible, c'est en lui, dis-je, que je vois ces vérités éternelles; et les voir, c'est me tourner à celui qui est immuablement toute vérité et recevoir ses lumières. Cet objet éternel, c'est Dieu... L'homme juge droitement, lorsque, sentant ses jugements variables de leur nature, il leur donne pour règle ces vérités éternelles. Ces vérités éternelles, que tout entendement aperçoit toujours les mêmes, par lesquelles tout entendement est réglé, sont quelque chose de Dieu, ou plutôt sont Dieu même; car toutes ces vérités ne sont au fond qu'une

seule vérité... La vérité est une en soi; qui la connaît en partie, en voit plusieurs; qui les verrait parfaitement, n'en verrait qu'une. »

Fénélon, *De l'existence de Dieu*, 2e part. n. 49 et 50 :

« En un sens, mes idées sont moi-même; car elles sont ma raison... mes idées et le fond de moi-même ou de mon esprit ne me paraissent qu'une même chose. D'un autre côté mon esprit est changeant, incertain, ignorant, sujet à l'erreur, précipité dans ses jugements, accoutumé à croire ce qu'il n'entend point clairement, et à juger sans avoir assez bien consulté ses idées qui sont certaines et immuables par elles-mêmes. Mes idées ne sont donc point moi, et je ne suis point mes idées. Que croirai-je donc qu'elles puissent être? Elles ne sont point les êtres particuliers qui me paraissent autour de moi : car que sais-je si ces êtres sont réels hors de moi? et je ne puis douter que les idées que je porte au-dedans de moi ne soient très-réelles. De plus, tous ces êtres sont singuliers, contingents, changeants et passagers; mes idées sont universelles, nécessaires, éternelles et immuables... Où êtes-vous donc, ô mes idées, qui êtes si près et si loin de moi, qui n'êtes ni moi ni ce qui m'environne; puisque ce qui m'environne et ce que j'appelle moi-même, est si imparfait? — Quoi donc mes idées seront-elles Dieu? Elles sont supérieures à mon esprit, puisqu'elles le redressent et le corrigent. Elles ont le caractère de la Divinité; car elles sont universelles et immuables comme Dieu. Elles subsistent très-réellement... Il faut donc trouver dans la nature quelque chose d'existant et de réel qui soit mes idées; quelque chose qui soit au-dedans de moi et qui ne soit point moi, qui me soit supérieur, qui soit en moi lors même que je n'y pense pas; avec quoi je crois être seul, comme si je n'étais qu'avec moi-même; enfin qui me soit plus présent et plus intime que mon propre fonds. Ce je ne sais quoi si admirable, si familier et si inconnu ne peut être que Dieu. »

Nota D pag. 48.

S. Thomas de origine idearum et cognitionum.

S. Doctor ideas innatas agnoscit tum alibi tum certe in his locis : *De magistro*, art. 3 : « Deus hominis scientiæ causa est excellentissimo modo; quia et ipsam animam intellectuali lumine insignivit, et notitiam primorum principiorum ei impressit, quæ sunt quasi quædam seminaria scientiarum, sicut et aliis naturalibus rebus impressit seminales rationes omnium effectuum producendorum. » Et ib. art. 1 : « Scien-

tia præexistit in addiscente in potentiâ non pure passivâ sed activâ, aliter homo non posset per se ipsum acquirere scientiam. » Item ib. : « Quod aliquid per certitudinem sciatur, est ex lumine rationis divinitus interius indito, quo in nobis loquitur Deus. » Denique, *Summa theol.* p. 1, q. 79, a. 12 : « Oportet igitur naturaliter nobis esse indita, sicut principia speculabilium', ita et principia operabilium. » Cff. etiam loca quæ transcripsimus in *Logic.* pag. 159.

Cognitionem autem etiam primorum principiorum non innatam sed ope sensuum acquisitam esse, doctor Angelicus his expressis verbis docet, *Contra Gent.* lib. 2, cap. 83, n. 9 : « Sed ipsorum principiorum cognitio in nobis ex sensibilibus causatur; nisi enim aliquod totum sensu percepissemus, non possemus intelligere quod totum esset majus parte; sicut nec cæcus natus aliquid percipit de coloribus. Ergo nec ipsorum principiorum cognitio affuit animæ ante corpus. » In opusculo tandem *De veritate*, *Quæst. X*, *De mente*, art. VI, qui inscribitur : *Utrum mens humana cognitionem a sensibilibus accipiat*, S. doctor hanc quæstionem longe tractat, et sententiam suam, de modo quo principia universalia nobis innotescant, his exponit verbis : « Omnis nostra cognitio originaliter consistit in notitiâ primorum principiorum indemonstrabilium. Horum autem cognitio in nobis a sensu oritur, ut patet in fine *Poster.* (lib. 2, comm. ult. circa med.). Ergo scientia nostra a sensu oritur. »

Nota E pag. 48.

D. Doney de naturâ idearum.

Malebranchius putat : 1° ideam esse aliquam objectorum imaginem quâ mens objecta ipsa percipit, unde ideam a perceptione distinguit; 2° perceptiones esse mentis modificationes, non autem ideas, quas affirmat esse æternas, eo quod sint fundamentum veritatum generalium et essentialium; sed in hoc errare videtur, cum non ipsa veritas, sed cognitio et affirmatio veritatis nitatur ejus ideâ; 3° eas ideas nihil aliud esse quam ipsammet divinitatis substantiam, omnium entium veritatumque repræsentativam; 4° Deum cognosci per seipsum, non per ideam, quâ non potest repræsentari, cum sit infinitus; 5° mentem cognosci sibi per sensum, non per ideam, sic volente Deo; 6° omnia cætera cognosci per ideas, quæ sunt in Deo.

Notandum hujusmodi systema possibile esse quidem, nec tamen verum, in tempore præsenti; futurum vero in alterâ vitâ.

Arnaldus confundit perceptionem cum ideâ, easque tanquam veras mentis modificationes habet; atque hinc rejicit opinionem Malebranchii ex quâ omnia in Deo et per Deum cognoscerentur; sed nihil dicit de ipsâmet ideæ essentiâ.

Nos vero, duce D. Paulo, a quo accepimus Deum in hac vitâ videri per speculum, in alterâ vero facie ad faciem videndum, putamus : 1° non idem esse ideam ac perceptionem; 2° Deum quamvis infinitum posse cognosci per ideam repræsentativam non adæquatam, sed tamen ut conjecturâ augurari possimus quid sit Deus, aut certe quid non sit; 3° mentem, cum ad imaginem Dei creata sit, esse omnium repræsentativam et ipsiusmet Dei; 4° ideas in genere nihil aliud esse quam illam relationem quam habet mens cum Deo, et cæteris omnibus entibus et veritatibus, et proinde ideas esse ipsam mentis substantiam; 5° mentem cognoscere seipsam in suis operationibus, cætera autem ex seipsâ, per conjecturam, et nullius in hac vitâ veritatis visionem intuitivam et immediatam habere; 6° mentem percipere tales vel tales veritates, prout ex impressionibus organicis dirigitur ejus aspectus in talem vel talem sui partem aut relationem cum rebus ab ipsâ distinctis; 7° ideas esse proinde naturales, nativas, essentiales, innatas, a mente non distinctas; 8° perceptiones esse acquisitas ope sensuum, verbis aut imaginibus; 9° tandem datum fuisse sermonem a Deo ab origine mundi, unde oriuntur omnes perceptiones moralium et intellectualium.

Lockiani censent ideas rerum corporearum proxime a sensibus oriri; ideas vero insensibilium remote, ope scilicet reflexionis, quatenus mens percipit relationes rerum sensibilium cum rebus insensibilibus.

Cartesiani volunt rerum spiritualium notiones nullo modo a sensibus originem ducere, cum nullam habeant relationem cum rebus sensibilibus, sed mentibus nostris esse a Deo quasi insculptas, unde dicuntur innatæ; eas vero non esse quidem actuales et reflexas, sed habituales, temporis successione et rerum corporearum occasione evolvendas, et ad mentis reflexionem perventuras.

Lockiani recte volunt nullas esse perceptiones innatas seu nativas, et in hoc vix differunt a Cartesianis, qui non admittunt cogitationes innatas actuales et sopitas, deinde occasione datâ evolvendas et percipiendas.

Cartesiani recte admittunt ideas seu repræsentationes innatas in mente, quarum naturam non explicant quidem, quasque ideo rejiciunt Lockiani, quod confundant perceptionem cum ideâ et nullam ideam admittant, quæ non actualiter percipiatur.

Nos vero dicimus : 1° ideas esse nativas, cum sint ipsa mentis substantia ; 2° perceptiones omnes esse acquisitas ope verborum quæ sunt lux mentis.

Ita D. Doney, in notis quas addidit *Institutionibus philosophicis*, quæ vulgo Lugdunenses vocantur, Parisiis 1823, p. 290.

Nota F pag. 79.

F. R. Buisson, in opere quod inscripsit : *De la division la plus naturelle des phénomènes physiologiques*, *Paris*, 1802, tractat quæstionem, utrum homini æque ac plerisque animantibus generum superiorum sit *vox propria et peculiaris*, quam ipsius facultates sponte producant. Eum in finem in humanâ voce tria distinguit phænomena : *simplicem vocem*, *cantum* et *pronuntiationem* seu emissionem sonorum articulatorum. Hæc autem viri istius observationis summa est :

1° Quemadmodum leo *rugitum*, bos *mugitum*, equus *hinnitum* sponte et solo naturæ instinctu proferunt, ita infans recens natus vocem propriam et peculiarem possidet, quem *vagitum* nuncupant. Infantes surdi æque ac alii eo utuntur, quanquam propter surditatem postea omnino muti fiant. Contra apud animantia vox minime pendet ab auditu, quum ipsâ surditate non muta fiant. Itaque, inquit, pueri et juniora animantia primo vitæ suæ tempore in eâdem versantur conditione quod ad vocem attinet ; ambo enim vocem possident similiter a naturâ ipsis inditam, quâ nemine docente utuntur ut patefaciant necessaria. Sed progrediente ætate plurimum differunt ; quum animantis vox propria suapte et sponte perficiatur, homini autem, post amissum vagitum infantiæ, opus sit auditu et societate, ut vocem sibi propriam acquirat.

2° Quod ad *cantum* attinet, cuique avi suus cantus est, speciei suæ proprius et peculiaris, qui sponte naturâ perficitur velut organorum effectus et consecutio necessaria, quique semper idem erit, etsi animans adoleverit segrex in solitudine remotissimâ. At in homine non magis cantum humano generi proprium et peculiarem, quam vocem, omnino sponte prolatum reperies. Homo omnino silvaticus seu solitarius non canit, minus etiam si a nativitate surdus sit, quia facultas sonos proferendi apud hominem pendet a facultate eos audiendi.

3° Homo æque ac avis non pronunciat seu facultatem sonos articulatos edendi non exercet, nisi hujusmodi sonos audiverit ; et quantumvis apte conformatum esset humanæ vocis organum, homo solâ sponte suâ voces articulatas non pronunciaret. Avis quidem solum

pronunciare discit, nempe quum soni articulati ejus auditum sæpius affecerunt, ipsius vox illis consonat et illos similiter emittit; homo autem non discit *pronunciare*, nisi simul *loqui*, hoc est, *cogitationem suam sonis articulatis patefacere* discat. Frustra efficere velis, ut infans primâ ætate sonos articulatos repetat, nisi eos referas ad imaginem vel ideam quamdam, in quâ mens infantis se ligat et cujus signum illi soni deinceps erunt. Infans omnino imbecillis, seu cujus mens nequaquam posset agere, nunquam pronuntiaret, quum nunquam loqueretur.

Auctor tandem concludit in hunc modum : Quum homo vocem non acquirat sine sermone nec vocem homini propriam et peculiarem habeat nisi loqui possit, vocis finis naturalis apud hominem semper est sermo seu enunciatio idearum, sive quod idem est, in statu hominis naturali, hoc est, sociali vox destinata est ad exprimendam mentis cogitationem.

Hinc nos merito inferimus : quum sermo non existat sine cogitatione, cogitatio autem non omnino sponte oriatur (nempe cogitatio de rebus ad quas significandas vocabula necessaria sunt), fieri nequit ut sermo sit effectus mere spontaneus facultatis loquendi. Itaque plane corruunt difficultates quæ moveri solent ex eo, quod homo naturaliter edat sonos et clamores, hoc ipso quod ipsius organum vocis bene conformatum sit, et ex his clamoribus ultro sonos articulatos esse derivatos. Quâ ratione Vitruvius, *De architecturâ*, lib. 2, cap. 1, ait : « primos » homines sine sermonis articulati usu diu in cavernis terræ ferarum » instar habitasse, ac crebris nutibus, spiritu vocali et voce rudi animi » sensa designasse, ac sic demum ex eâdem voce et eâdem re sæpius » repetitâ vocem articulatam, vocabula significativa ac sermonum usum » ortum esse ».

Vitruvio consonant Horatius, *Satir.* III, lib. I, v. 99-107, Destutt-Tracy, *Idéologie*, p. 286, et Burnet, qui in suo *Tentamine in originem et progressum sermonis* asseverat nationes omnes primo glocitantes fuisse, dein balbutientes factas esse, donec tandem post longos et faustos progressus loquentes evaserint! Quæ omnino digna sunt fabularis *Historiæ philosophi arabis Joaphar-Ben-Tophaël*, quæ inscribitur *Haï-Ben-Jockdhan* seu *Philosophus autodidactus*. Quid enim? non probant, sed falso ponunt : *a*) homines primo vixisse in statu silvatico, quem naturæ statum insulse vocant; *b*) humanæ rationis usum solâ sponte suâ oriri; *c*) clamores et motus qui ex instinctu procedunt aliud quidquam significare quam perceptiones mere sensibiles; *d*) homines item solâ sponte suâ proferre sonos articulatos. Hoc est, facta

evidenter cognita impugnant vanis hypothesibus, quæ nullo nituntur fundamento, quæ nullo facto probari possunt.

Nota G pag. 123 et 125.

De continuâ mentis activitate Leibnitius sic loquitur, *Nouv. Essais,* p. 8. « M. Loke soutient que l'esprit ne pense pas toujours, et particulièrement qu'il est sans perception, quand on dort sans avoir des songes. Il dit que, puisque les corps peuvent être sans mouvement, les âmes pourront bien être sans pensée. Mais ici je réponds un peu autrement qu'on n'a coutume de faire : car je soutiens que naturellement une substance ne saurait être sans action, et qu'il n'y a même jamais de corps sans mouvement. L'expérience me favorise déjà, et on n'a qu'à consulter le livre de l'illustre M. Boyle, contre le repos absolu, pour en être persuadé. Mais je crois que la raison y est encore, et c'est une des preuves que j'ai pour détruire les atomes. D'ailleurs il y a mille marques qui font juger qu'il y a, à tout moment, une infinité de perceptions en nous, mais sans aperception et sans réflexion, c'est-à-dire des changements dans l'âme même, dont nous ne nous apercevons pas, parce que les impressions sont ou trop petites et en trop grand nombre, ou trop unies, en sorte qu'elles n'ont rien d'assez distinguant à part; mais jointes à d'autres, elles ne laissent pas de faire leur effet, et de se faire sentir dans l'assemblage, au mois confusément. C'est ainsi que la coutume fait que nous ne prenons pas garde au mouvement d'un moulin, ou à une chute d'eau, quand nous avons habité tout auprès depuis quelque temps. Ce n'est pas que ce mouvement ne frappe toujours nos organes, et qu'il ne se passe encore quelque chose dans l'âme qui y réponde, à cause de l'harmonie de l'âme et du corps; mais les impressions qui sont dans l'âme et dans le corps, destituées des attraits de la nouveauté, ne sont pas assez fortes pour attirer notre attention et notre mémoire, qui ne s'attachent qu'à des objets plus occupants. Toute attention demande de la mémoire; et quand nous ne sommes point avertis, pour ainsi dire, de prendre garde à quelques-unes de nos propres perceptions présentes, nous les laissons passer sans réflexion, et même sans les remarquer; mais si quelqu'un nous en avertit incontinent, et nous fait remarquer, par exemple, quelque bruit qu'on vient d'entendre, nous nous en souvenons et nous nous apercevons d'en avoir eu tantôt quelque sentiment. Ainsi c'étaient des perceptions dont nous ne nous étions pas aperçus incontinent, l'aperception ne venant dans ce cas d'avertissement qu'après un intervalle, quelque petit qu'il soit.

» Pour juger encore mieux des petites perceptions que nous ne saurions distinguer dans la foule, j'ai coutume de me servir de l'exemple du mugissement ou bruit de la mer, dont on est frappé quand on est au rivage. Pour entendre ce bruit, comme l'on fait, il faut bien qu'on entende les parties qui composent ce tout, c'est-à-dire, le bruit de chaque vague, quoique chacun de ces petits bruits ne se fasse connaître que dans l'assemblage confus de tous les autres ensemble, et qu'il ne se remarquerait pas, si cette vague qui le fait était seule : car il faut qu'on soit affecté un peu par le mouvement de cette vague, et qu'on ait quelque perception de chacun de ces bruits, quelque petits qu'ils soient; autrement on n'aurait pas celle de cent mille vagues, puisque cent mille riens ne sauraient faire quelque chose. D'ailleurs on ne dort jamais si profondément, qu'on n'ait quelque sentiment faible et confus : et on ne serait jamais éveillé par le plus grand bruit du monde, si on n'avait quelque perception de son commencement, qui est petit : comme on ne romprait jamais une corde par le plus grand effort du monde, si elle n'était tendue et allongée un peu par de moindres efforts, quoique cette petite extension qu'ils font ne paraisse pas.

» Ces petites perceptions sont donc de plus grande efficace qu'on ne pense. Ce sont elles qui forment ce je ne sais quoi, ces goûts, ces images des qualités des sens, claires dans l'assemblage, mais confuses dans les parties; ces impressions que les corps qui nous environnent font sur nous, et qui enveloppent l'infini; cette liaison que chaque être a avec tout le reste de l'univers. »

Nota H pag. 152.

Graves cerebri læsiones sine ullâ perturbatione mentis.

a) « Il n'est point de partie plus ou moins considérable du cerveau, inquit Bérard, qui ne puisse être détruite par la suppuration ou par des lésions organiques, les sensations se conservant dans leur intégrité. Il serait même aisé de réunir un ensemble suffisant de faits, d'après lequel chaque partie du cerveau aurait été détruite, les sensations n'en souffrant aucune altération... A en croire plusieurs observateurs dignes de foi, le cerveau tout entier dans certains cas très-rares a pu être détruit, les sensations n'en persistant pas moins. Je veux que ces faits n'aient pas été observés avec assez de soins pour s'assurer qu'il ne restait aucune portion du cerveau (Gall); toujours

sera-t-il incontestable qu'une très-grande partie de cet organe était détruite, et que cependant les sensations n'étaient pas abolies (1). »

b) « On a tenté, ait Richerand, de rechercher le siége de la volonté qui préside au mouvement de la langue. M. Bouillaud le place dans les lobes antérieurs du cerveau, M. Recamier dans une portion du centre oval de Wieussens, M. Foville dans la corne d'Ammon. Ces deux dernières opinions ne sont pas prouvées. Quant à la première, nous ne saurions l'admettre, puisque des observations authentiques ont démontré que l'absence des lobes antérieurs ou leur destruction par un cancer n'avaient apporté aucune gêne dans les mouvements de la langue (2). »

c) « Tel est en particulier, dicit Gama, le cas de M... qui fait le sujet de notre quatrième observation, et chez lequel le ramollissement des deux lobes, quoique remarquable et ancien, ne produisit de désordre dans l'intelligence et les mouvements que durant les derniers jours de la vie. Un cas plus extraordinaire encore vient de se présenter au Val-de-Grâce. Les deux lobes encéphaliques antérieurs étaient à peu près réduits en bouillie purulente, et le malade avait conservé jusqu'à son dernier moment toute sa raison et sa présence d'esprit (3). »

d) Forichon refert exempla læsionum encephali quas observavit Andral, *Pathol.* chap. 1-4; tum ita concludit : « En résumé, sur 16 sujets qui n'ont offert aucun trouble dans l'intelligence à aucune période de leur maladie, 4 fois le ramollissement siégeait dans les circonvolutions de la convexité des hémisphères cérébraux, où tant de facultés sont assignées par les phrénologistes ; 13 fois il était dans la masse nerveuse située dehors et au-dessus des ventricules latéraux ; 6 fois dans la couche optique et les corps striés : et dans plusieurs cette lésion existait dans les deux hémisphères à la fois, et dans quelques-uns de ces cas la presque totalité de l'hémisphère était désorganisée. Dans 17 cas où il y a eu au contraire trouble dans l'intelligence, les lésions étaient presque les mêmes, soit par l'étendue, soit par le siége, que dans les 16 observations précédemment indiquées (4). »

e) Idem auctor post Gall et De Bonald, *Rech. phil.* ch. 9, et hæc notat : » Enfin les hydrocéphales eux-mêmes viennent singulièrement déconcerter le phrénologiste ; dans ces états pathologiques, le cerveau est tellement distendu par le liquide, que souvent il ne forme plus que

(1) Berard, *Doctrine des rapports du physique et du moral*, § 71 et 73.
(2) Richerand, *Nouveaux Élémens de physiologie*, chap. IX.
(3) *Recueil de Mémoires de médecine, de chirurgie et de pharmacie militaires*, vol. XX, 1826, pag. 146.
(4) *Le matérialisme et la phrénologie combattus*, p. 141.

la paroi d'une vaste cavité; or on a vu de ces cas, et M. Gall en rapporte, où les facultés intellectuelles s'étaient conservées (1). »

f) Operæ pretium tandem est videre quæ celeber Cabanis de hac re scripsit : « Des portions considérables, inquit, du cerveau lui-même sont consumées par différentes maladies, sont enlevées par divers accidents ou par des opérations nécessaires, sans que la sensibilité générale, les fonctions les plus délicates de la vie, et les facultés de l'esprit en reçoivent aucune atteinte. Il est vrai que ce qui se passe de cette manière sans inconvénient chez tel individu, peut devenir grave et quelquefois entièrement funeste chez un tel autre, et que les parties à l'exacte conservation desquelles la nature attache celle de la vie ou de ses plus importantes fonctions ne sont pas, à beaucoup près, les mêmes dans tous les sujets. Mais l'expérience n'en démontre pas moins, elle démontre même mieux, qu'à l'exception de ces organes qui ne peuvent cesser d'agir sans que la vie elle-même cesse, il est extrêmement difficile de déterminer le degré où les lésions doivent inévitablement produire tel effet connu. Le cerveau, le cervelet lui-même et les dépendances de l'un et l'autre, ne font plus aujourd'hui d'exception. On peut l'affirmer d'après des expériences très-sûres (2). »

Hactenus quidem Cabanis se fidelem artis medicæ historicum præstat; sed modo videamus, quî aliquot post paginis ratiocinatur ut materialismi defensor : *Nous disons cependant*, ait, *que la pensée exige l'intégrité du cerveau.* Et quæ hujus inexpectatæ conclusionis ratio? 1° *Parce que sans cerveau on ne pense pas.* At nonne contrarium indicare supra visus est auctor? Et, si homo sine cerebro non cogitet, an hujus rei alia causa est quam quod sine cerebro non vivat? Sed et aliam addit rationem philosophus noster, quam certo miraberis : 2° *et que ses maladies* (les maladies du cerveau) *apportent des altérations anologues et proportionnelles dans les opérations de l'esprit.* En quò deducat studium partium, ut auctor ille, aliunde ingenii non vulgaris, velut mente turbatus, asserta illa opposita his concludat verbis : *Mais j'avoue ingénument que je suis hors d'état d'établir avec exactitude en quoi consiste cette intégrité.*

Attamen pro veritatis honore idem vir postea ad sanam doctrinam rediit in *Lettre à M. F.* ubi materialismum egregie sic refutat : « L'âme, loin d'être le résultat de l'action des parties, est une substance, un être réel qui, par sa présence, inspire aux organes tous les mou-

(1) Ibid. p. 146.
(2) *Rapport du physique et du moral de l'homme*, Mémoire III, § 3.

vements dont se composent leurs fonctions ; qui retient liés entre eux les divers éléments employés par la nature dans leur composition régulière, et les laisse livrés à la décomposition, du moment qu'il s'en est séparé définitivement et sans retour. L'esprit de l'homme n'est pas fait pour comprendre que tout cela (les opérations de la nature) s'opère sans prévoyance et sans but, sans intelligence et sans volonté. Aucune analogie, aucune vraisemblance ne peut le conduire à un semblable résultat ; toutes, au contraire, le portent à regarder les ouvrages de la nature comme produits par des opérations comparables à celles de son propre esprit dans la production des ouvrages les plus savamment combinés, et qui n'en diffèrent que par un degré de perfection mille fois plus grand ; d'où résulte pour lui l'idee d'une sagesse qui les a conçus et d'une volonté qui les a mis à exécution, mais de la plus haute sagesse et de la volonté la plus attentive à tous les détails, exerçant le pouvoir le plus étendu avec la plus minutieuse précision. »

Nota I pag. 156.

Socratis, Platonis, Aristotelis et Ciceronis sententia de animi naturâ.

a) In *Alcibiade*, *Dialog.* I, Plato ita Socratem ratiocinantem exhibet : « *Socrates.* Nonne toto corpore homo utitur? *Alcibiades.* Penitus. *Soc.* Aliud itaque utens et quo utitur. *Alc.* Sic est. *Soc.* Homo ergo a suo corpore aliud est. *Alc.* Videtur. *Soc.* Quid est igitur homo? *Alc.* Ignoro. *Soc.* Scis esse quod corpore utitur. *Alc.* Scio. *Soc.* Aliud ne utitur ipso quam anima? *Alc.* Nihil aliud. *Soc.* Annon imperans. *Alc.* Imperans. *Soc.* Quin etiam neminem hoc aliter existimaturum puto. *Alc.* Quidnam? *Soc.* Quin ex tribus aliquid homo sit. *Alc.* Ex quibus? *Soc.* Aut animum videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex utrisque compositum. *Alc.* Quidni? *Soc.* Verumtamen id quod imperat corpori hominem esse confessi sumus. *Alc.* Confessi sumus. *Soc.* Quid igitur homo? Num sibi ipsi corpus imperat? *Alc.* Nullo modo. *Soc.* Subjici enim illud diximus. *Alc.* Certe. *Soc.* Non est igitur hoc quod quærimus. *Alc.* Non, ut videtur. *Soc.* At utrumque simul forsitan corpori dominatur, atque id homo est. *Alc.* Forte. *Soc.* Imo minime omnium. Nam altero eorum non dominante, nulla conjectura est ut simul utrumque dominetur. *Alc.* Recte loqueris. *Soc.* Cum vero nec corpus nec simul utrumque sit homo, restat, ut arbitror, aut nihil omnino hominem esse, aut si quid est, nihil aliud

quam animam esse. *Alc.* Prorsus. *Soc.* Adhucne liquidius monstrari tibi oportet animam esse hominem? *Alc.* Non per Jovem; hæc enim mihi sufficere videntur. »

b) In *Phædone* Plato sic ratiocinatur : « Animadverte jam, o Libes! num hæc ex omnibus, quæ a nobis dicta sunt, consequantur : videlicet ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem se habenti, animnm esse simillimum; humano vero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo, simillimum esse corpus. Possumusne, o amice Libes! præter hæc aliud afferre, quominus ita sit. -- Non possumus. -- Quid ergo, quum hæc ita se habeant, nonne corpori convenit ut brevi dissolvatur, animæ vero ut omnino indissolubilis sit vel alicui rei omnino indissolubili propinquum? »

c) Cicero Aristotelis sententiam de animi naturâ his exponit verbis, *Tusc.* I, 10 : « Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans et ingenio et diligentiâ, quum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e quâ sit mens. Cogitare enim et providere et invenire aliquid, et tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari : hæc et similia eorum in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet vacans nomine : et sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat, novo nomine, quasi quamdam continuatam motionem et perennem. »

d) Cicero suam ipsius mentem de animi naturâ ita edicit, *Tusc.* I, 27 et 29 : « Hanc nos sententiam (Aristotelis) secuti, his ipsis verbis in Consolatione hæc expressimus : » Animorum nulla in terris origo » inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, » aut quod ex *terrâ* natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut » *humidum* quidem, aut *flabile*, aut *igneum*. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et » præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia : quæ sola divina sunt; nec invenietur unqnam, unde ad hominem venire possint nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura » atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita, quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, » cœleste et divinum, ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec » vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, » nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione » mortali, omniaque sentiens et movens, ipsaque prædita motu sempiterno. » Hoc e genere atque eâdem e naturâ est humana mens...

In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admistum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur. »

Nota K pag. 175.

Exempla hominum qui, etsi probe essent conscii eorum quæ circum ipsos agebantur, nullo signo animi sui sensa significare poterant.

« Pour interrompre tout commerce intellectuel, inquit Forichon (1), il n'est pas nécessaire que les sens aient perdu leurs fonctions spéciales; il suffit que le sujet soit saisi par un de ces états pathologiques qui enrayent les organes locomoteurs, et dans lesquels toute espèce de mouvement étant devenu impossible, l'individu reste comme pétrifié, en continuant néanmoins de voir et d'entendre ce qui se passe autour de lui, mais sans pouvoir le manifester par aucun signe; état qui peut être prononcé au point de faire prendre le malade pour un cadavre par les spectateurs, et le faire enterrer tout vif. Nous n'avons que trop d'histoires qui témoignent d'une méprise aussi déplorable.

« La ville de Lyon vient d'être témoin d'un pareil événement. M. Deschamps a vu, pendant plusieurs jours, faire les préparatifs de ses funérailles, qu'une fête heureusement a retardées d'un jour. Ce n'est qu'au moment d'être cloué dans la bière que, repoussant une porte qui ne devait plus s'ouvrir, il s'est redressé et a frappé d'effroi les spectateurs en leur demandant à manger (Voyez les Journaux de Lyon d'Octobre 1837).

» Tissot rapporte qu'un vieillard de 66 ans fut sur le point d'être enterré; cependant il revint à lui et il raconta toutes les circonstances de la dispute qu'avaient eue ses gardes pour réciter les prières d'usage en pareil cas. Une femme, ajoute-t-il, qu'on avait crue morte, entendait tout ce qui se disait et se faisait pour sa sépulture, et s'efforçait vainement de faire connaître qu'elle vivait encore; enfin aux lamentations d'une tante qui l'aimait comme une mère, elle fit un dernier effort et poussa un cri, sans aucun autre signe de vie; mais

(1) *Le matérialisme et la phrénologie combattus*, pag. 290.

il suffit pour changer la détermination qu'on avait prise à son égard (Tissot, t. VIII, p. 251-3). »

Auctor operis *Hortus pastorum*, Marchantius, aliquid simile de se ipso refert, quippe qui testatur, se aliquando morbo quodam correptum nullo signo patefacere potuisse se sensuum aut rationis usu frui, quanquam mentis suæ plane compos esset et omnia quæ dicebantur apte perciperet.

Casum similem accidisse hoc pacto scio. Viginti et aliquot abhinc annis ipso die quo viserem venerabilem et mihi amicissimum pastorem D., hic arcessitur ad R. vicarium suum, qui subito morbo perculsus in summo mortis periculo esse videbatur. Pastor rogat, ut æger aliquo modo significet, sive digiti, sive labiorum, sive palpebrarum, sive oculi nutu motuve quocunque, se intelligere quæ a pastore dicebantur et velle Ecclesiæ Sacramenta recipere; at ille non magis quam statua vel minimum signum exhibet. Aliquot autem post horis, quum malum cessasset, pastori maximas agit gratias pro dictis et factis, quæ omnia, plene suî compos, intellexerat et tacitus approbaverat quum fierent, addens se valde timuisse ne pastor sacra munia facere distulisset, quod ipse assensum, quem præbebat, præ organorum stupore significare nullâ ratione tum posset.

Nota L pag. 182.

De hominis physiognomoniâ ex Compendio theologicæ veritatis (1).

Diversæ membrorum dispositiones secundum artem physionomiæ diversos effectus ac mores indicant in homine, non quod ista signa necessitatem imponant moribus hominum, sed ostendant inclinationem naturæ, quæ tamen retineri potest freno rationis.

Sequamur igitur in hoc tractatu magnos hujus artis magistros auctores, scilicet Aristotelem, Avicennam, Constantium, Philemonem, Loxum, Palemotium, incipientes a complexionibus.

(1) De hujus *Compendii* auctore hæc habet cl. Ozanam, *Dante et la philosophie catholique au* XIII[e] *siècle, Documents pour servir à l'histoire, etc.* IV : « Cet ouvrage a eu l'honneur d'être tour à tour attribué aux plus illustres docteurs de l'école : Albert le Grand, S. Thomas d'Aquin, Thomas Sutton, Hugues de Strasbourg (V. *Histoire littéraire de France*, t. XIX). L'opinion qui lui donne pour auteur S. Bonaventure est fondée : 1° sur l'analogie des idées et des expressions du *Compendium* avec celles du *Breviloquium*, 2° sur le témoignage de deux anciens manuscrits du Vatican.

Melancholicos tristes et graves esse dicimus; sanguineos vero horum opposita habere videmus; cholerici faciles sunt ad iram, et phlegmatici pigri sunt et somnolenti.

Physionomia sexûs est, quod masculis animus vehemens est ad impetus, studiosus et animosus; feminæ autem misericordes sunt et timidæ.

Capilli molles et rari hebes ingenium proloquuntur. Item capilli crispi pronuntiant hominem timidum et lucri cupidum. Capilli nimium depressi et fronti imminentes ferum declarant animum; et his concordat capitis ursini capillatura. Item capilli flavi, crassi et albi indicant indociles. Capilli vero subnigri, si sint moderate tenues, mores indicant bonos et bonam hominis complexionem.

Caput nimis magnum stolidum indicat. Caput autem globosum et breve est sine sapientià et memorià. Caput humile superius et quasi planum insolentiæ et dissolutionis dat indicium. Caput oblongum aliquantulum et malleo simile hominem circumspectum ac providum indicat.

Frons angusta nimis indocilem et voracem declarat; lata vero parvitatem significat discretionis; sed rotunda designat iracundiam. Item humilis et demissa significat verecundum et non admittentem turpia. Item quadrata et moderatæ magnitudinis magnæ sapientiæ et magnanimitatis est indicium.

Supercilia arcuata, quæ conjunguntur usque ad cornu nasi, significant subtilem et studiosum in omnibus operibus suis. Si autem ibidem coeunt, tristem hominem et parum sapientem demonstrant. Si autem arcuositas declinat ad tempora et ad gibbositatem genarum, significant negligentem. Item supercilia si sint longorum et multorum pilorum, significant ferum et magna meditantem.

Oculi, qui tanquam guttulæ viroris nitidi relucent, mores compositos indicant. Quando varie moventur, ut modo currant, modo quiescant, significant mala revolvi jam in animo, sed nondum esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen micantes, significant audacem et pervigilem ad malitiam. Oculi magni trementes et obscuri significant potationem vini et intemperantiam veneris. Oculi pure nigri significant imbecillem et sine virtute animum et lucri avidum. Quando autem guttulæ rubentes aliquantulum ibi sunt, et tamen nigræ apparent, animum justum, probum et ingeniosum ostendunt. Ubi autem in nigris oculis guttulæ vehementer rubent, et aliquæ tendunt ad quadraturam, et quædam sunt pallidæ, quædam glaucæ, et circuli, qui forinsecus ambiunt pupillas, sunt sanguinolenti, et sunt magni oculi,

et nitor pupillæ movetur, ut movetur palpebra, tales, inquam, oculi significant animum, qui omnium excedit morem ferarum; quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis perpetrabile est, nec etiam a domestico cessabunt sanguine. Oculi nimium prominentes, rubicundi et parvi linguam declarant effrenatam et corpus instabile. Oculi acriter intuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in agendis velocem et providum. Oculi, qui frequenter clauduntur et frequenter reserantur, timidum ac imbecillem declarant. Oculi multæ apertionis significant stultum et inverecundum. Si autem multæ clausuræ sunt, significant mobilem et inconstantem in omnibus factis suis.

Aures prominentes et valde magnæ significant stoliditatem et garrulitatem et imprudentiam; sed valde parvæ malignitatis sunt indicia. Aures nimium rotundæ indocilem significant. Aures oblongæ et angustæ invidiæ signa sunt. Aures jacentes et supra caput applicatæ pigritiam designant.

Genæ crassæ signant ignaviam et somnolentiam, nimium autem tenues malignitatem. Genæ rotundæ invidiæ arguuntur.

Nares patulæ alacritatis et fortitudinis dant indicium; longæ vero tenues mobilitatis et levitatis signum habent. Narium autem pars, quæ juxta frontem est, si nec altâ, nec humili, sed æquali lineâ descendat, virile signum est, et prudentiam et constantiam demonstrat. Nares minores debito furibus assignantur.

Omnis vultus cum plenus est et crassus, ignavum et voluptatibus deditum significat; vultus dependens cogitatorem subdolum indicat.

Labia tenuia in ore majori, si superius labium aliquantulum exsuperet super inferius, magnanimum indicat et fortem. Tenuia vero et parvi oris imbecillem animum et versutum indicant. Labia vero soluta aliquantulum ab ore dependentia inertem demonstrant. Nam in asinis et equis antiquis ita invenitur.

Os parvum convenit tam vultibus muliebribus quam hominibus effeminatis; sed quod ultra modum dilatatur, voracem indicat et immitem et impium. Talis enim oris rictus marinis monstris convenit.

Mentum prolixum aliquantulum demonstrat minus iracundum et minus perturbatum. Qui os parvum et breve mentum habent, immites sunt et invidi. Hoc enim Plato ad serpentes referebat. Utilius est mentum commensuratum, secundum aliquid ad quadraturam accedens. Mentum si longe in prolixum distendatur, dolis assuetum ostendit.

Vox similis existens voci ovium aut caprarum, stultitiæ habet indicium. Qui autem in modum avium vocem intendunt, de facili fiunt

leves. Vox tenuis et quasi lugubris tristem indicat et suspiciosum. Quorum vox in nares incurrit, ita ut nares consonent, mendaces sunt et malevoli ac malis alienis gaudentes.

Cervix longa et tenuis eum significat, qui maligna meditatur. Cervix rotunda probat virtutem animi et corporis humiditatem. Cervix brevis indicium est ejus, qui cum temeritate audax est. Cervix nimis erecta insolentem et contumacem dicit.

Pectus, quod multis carnibus est congestum, indociles et ignaros indicat. Pectus, quod longius est quam venter, prudentem indicat. Pectus, si cum ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem instabilem, et animum sine religione ac pietate. Cum autem solum pectus capillos præfert, animosum designat.

Humeri tenues, et qui in acumine erecti sunt, insidiosum indicant hominem.

Brachia quando in tanta prolixitate extenduntur, ut erecto corpore extremitas medii digiti appropinquet ad genu, licet forte a mensurâ quatuor digitorum deficiat, hujusmodi habiles homines et fortes dicit; cum autem prolixitas hæc ad femur desinit, vel parum ultra, declarat homines malevolos et malis alienis gaudentes.

Manus nimium breves et exiguæ fortes designant et sagaces. Crassæ manus, si digitos breves ultra modum habeant, tergiversatorem declarant, insidiosum et furem. Manus indomitæ, i. e. intortæ et tenues, loquacem significant et voracem.

Ungues albi plani et molles ac tenues, ac rubentes et bene perlucidi optimum ingenium indicant. Ungues inflexi et curvi impudentes indicant et rapaces. Ungues breves nimium declarant malignum. Digiti collecti et globati avarum dicunt et malignum. Digiti parvi et tenues stultum demonstrant. Digiti vero parvi et crassi invidum indicant et audacem.

Latera tenuia et angusta timiditatem indicant. Latera referta carnibus et dura ostendunt hominem indocilem; hæc enim ad ranas secundum Platonem referuntur.

Pars cruris quæ sub genu est, quæ vocatur sura, quando plena est et quasi gravida, intemperatum hominem significat et imprudentem; molles suræ effeminatis assignantur.

Pedes crassi et breves valde, infirmum hominem indicant. Pedes nimium prolixi ad hominem dolosum referuntur. Pedes pertenues et breves produnt hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi esse solent et efficaces. Qui celeriter incedendo se comprimit, et vultum deducit, atque totum corpus implicat, significat ti-

midum, parcum et versutum. Qui breves passus habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur atque imbecillis.

Color cutis niger versutum indicat. Color albus rubeusque fortes animososque ostendit. Color vehementer albus cum pallore defectnm virtutis significat ex nimià victorià plegmatis. Color ignitus lucentibus oculis ad insaniam vergit. Color medius inter nigrum et albnm, qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenii et bonorum morum.

Generaliter ergo tenendum est, quod membra, quæ in proportione sunt naturali quoad figuram, colorem, quantitatem, situm et motum, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra vero, quæ non habent proportionem debitam in figurà, quantitate, situ et motu, perversam mentem indicant. Propterea dicebat Plato, quod quæcunque similitudo animalium aliquorum in hominibus est, tales homines etiam imitantur talium mores.

Nota insuper habent, quod, licet per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem, sed ostendunt inclinationem naturæ; nec semper denuntiant affectns hominum sed frequenter et probabiliter. Item propter signa exteriora, de quibus dictum est, non statim proferendum est judicium; quia forte signum est per accidens, et non per naturam, et forte victum est per contrariam consuetudinem, et freno rationis tenetur.

Unde narrat Aristo quod discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hippocratis; qui pronuntiavit de ipso, quod esset vir luxoriosus. Illis autem indignantibus, et culpantibus Philemonem, quod de optimo viro taliter judicasset, retulerunt hoc Hippocrati; qui confessus est Philemonem hoc recte judicasse; sed ex amore philosophiæ et honestatis dixit se concupiscentias cordis sui vicisse, et accepisse per studium quod naturæ fuerat denegatum.

Denique sciendum est, quod signa exteriora non referuntur nisi ad eas passiones quæ naturaliter insunt homini, sicut est ira, concupiscentia et hujusmodi; non autem ad eas quæ sunt animæ solius, sicut est musica, geometria et similia.

Sciendum quoque, quod in oculis principaliter consistit omnis perfectio physionomiæ; et si oculorum indicium confirmat cæterorum membrorum indicium, tunc ratum dicit Loxus Aristo esse indicium, ut in leprosis. Si autem contrariantur, tunc prævalent indicia oculorum; propter quod omnes physionomi affirmarunt oculum esse verum cordis nuntium.

Nota M pag. 183.

Nomina et descriptio organorum phrenologicorum.

Numeri in tabulâ lapidi incisâ hic ex adverso positâ indicant loca, ubi reperiuntur organa et facultates, quas Spurzheim his nominibus distinguit

I. *Penchants.*	II. *Sentiments.*	III. *Facultés intellect.*
A Alimentivité.	10 Estime de soi.	22 Individualité.
B Amour de la vie.	11 Approbativité.	23 Configuration.
1 Amavité.	12 Circonspection.	24 Étendue.
2 Philogéniture.	13 Bienveillance.	25 Pesanteur.
3 Habitativité.	14 Vénération.	26 Coloris.
4 Affectionivité.	15 Fermeté.	27 Localité.
5 Combativité.	16 Conscienciosité.	28 Calcul.
6 Destructivité.	17 Espérance.	29 Ordre.
7 Sécrétivité.	18 Merveillosité.	30 Eventualité.
8 Acquisivité.	19 Idéalité.	31 Temps.
9 Constructivité.	20 Gaieté.	32 Tons.
	21 Imitation.	33 Langage.
		34 Comparaison.
		35 Causalité.

Gall autem organana et facultates phrenologicas his nominibus appellat : 1 Instinct de la génération ; -- 2 amour de la progéniture ; -- 3 attachement ; -- 4 instinct de la défense de soi-même ; -- 5 instinct carnassier ; -- 6 ruse ; -- 7 sentiment de la propriété ; -- 8 orgueil ou sentiment de l'élevation ; -- 9 vanité ; -- 10 circonspection ; -- 11 mémoire des choses, éducabilité ; -- 12 sens des localités ; -- 13 mémoire des formes. -- 14 mémoire des mots ; -- 15 mémoire des langues ; -- 16 coloris ; -- 17 mélodie ; -- mémoire des nombres ; -- 19 construction, mécanique ; -- 20 esprit comparatif ; -- 21 esprit métaphysique ; -- 22 esprit de saillies ; -- 23 talent poétique ; -- 24 bonté ; -- 25 imitation ; -- 26 vénération, théosophie : -- 27 fermeté.

Porro Descuret, *La médecine des passions*, part. I, ch. 5, signa phrenologica hac ratione describit :

« De chaque côté de la base du cerveau se trouvent d'abord placés les *penchants* communs à tous les animaux, penchants qui sont la condition indispensable de l'existence des individus et de la conservation des espèces. Dans la partie moyenne siégent les *sentiments* communs à l'homme et à certains animaux. A la partie antérieure ou frontale

sont les *facultés intellectuelles*, qui placent l'homme à une distance si prodigieuse de tous les êtres organisés. Passons rapidement en revue chacun de ces signes phrénologiques, dont il faudra toujours étudier les diverses combinaisons, afin de ne pas juger que d'après leur résultante.

A. *Alimentivité.* -- Postérieurement à la nomenclature numérotée de Spurzheim, la faculté de s'alimenter a été reconnue avoir son siége en avant et au-dessous du lobe moyen du cerveau. Ce siége correspond, sur le crâne, à la partie antérieure de l'os temporal, qui se trouve recouverte par le muscle du même nom. Le développement excessif de cet organe annonce une prédisposition à la gourmandise, à l'ivrognerie, à tous les abus des plaisirs de la table.

B. L'*amour de la vie* ou *instinct de la conservation* est situé à la partie inférieure du lobe moyen, au-dessous de la destructivité, à laquelle il semble servir de contrepoids. On le voit sur le crâne, en avant et en haut du procès mastoïdien, auprès de l'attache de l'oreille, qui le recouvre presque entièrement. Son développement joint à celui de la circonspection, dispose l'homme à la timidité, à la fuite du moindre danger; sa dépression, au contraire, avec forte saillie de la *combativité*, poussera le courage jusqu'à l'extrême témérité. L'absence de cet organe coïncide-t-elle avec l'exagération de celui de la *destructivité*, on éprouvera une malheureuse propension au suicide.

1. *Amativité.* -- Le cervelet qui préside surtout à l'amour physique, occupe entièrement les fosses occipitales inférieures. Les individus chez lesquels il est très-développé ont la nuque forte, le cou arrondi et large derrière les oreilles. Ils sont infiniment plus portés aux plaisirs vénériens que ceux qui présentent une organisation opposée.

2. *Philogéniture.* -- L'organe de l'amour des enfants, ou de la philogéniture, complément nécessaire du précédent, est situé de chaque côté de la ligne médiane, immédiatement au-dessus du cervelet. Il se traduit extérieurement à la partie moyenne de l'occipital, au-dessus de la protubérance de ce nom. Trop développé, il expose les parents à devenir le fléau de leurs enfants par l'excès même de leur tendresse. La philogéniture est ordinairement bien moins prononcée chez l'homme que chez la femme : le contraire a lieu pour l'amativité.

3. *Habitativité.* -- Elle apparaît, sur le crâne, à l'angle postérieur et supérieur du pariétal, au-dessus de la suture de l'occipital. L'attachement aux lieux que l'on habite est-il excessif, il rend malheureux l'homme éloigné du sol natal, et le dispose à une maladie lente et cruelle, connue sous le nom de *nostalgie* ou mal du pays. Dans le

cas contraire, l'individu, né cosmopolite, abandonne et retrouve avec indifférence les lieux qui l'ont vu naître.

4. L'*affectionivité* nous porte à aimer nos semblables, à nous rapprocher d'eux, à les secourir, à vivre doublement dans un ami. L'organe qui préside à cette faculté, que George Combe a proposé d'appeler *adhésivité*, est situé entre la philogéniture en bas, l'approbativité en haut, l'habitativité et la circonspection de chaque côté.

Le besoin d'attachement, qui précède et accompagne le besoin de reproduction, contribuera, s'il est convenablement développé, à conserver la fidélité conjugale. Sa prédominance pourra aussi déterminer la nostalgie, qui ne dépend pas seulement de l'amour des lieux témoins de notre enfance, mais encore du regret de nous voir séparés des êtres qui nous sont chers. Son absence complète est l'indice d'un caractère insociable et incapable de croire au dévouement de l'amitié.

5. *Combativité.* -- Située à l'angle postérieur et inférieur des pariétaux, au-dessus et un peu en arrière du procès mastoïdien, à la hauteur du bord supérieur de l'oreille, la combativité est la faculté qui porte l'homme à repousser l'agression, à défendre sa vie, sa demeure, ses enfants. Son développement excessif, qui élargit la tête au-dessus de la nuque, annonce un esprit querelleur, aimant les rixes, la guerre, et pouvant pousser le courage jusqu'à la témérité. Sa dépression dénote les qualités contraires. M. Thoré a proposé de l'appeler *réactionivité*, mot qui conviendrait mieux à sa destination primitive, qui est la conservation de l'individu par sa *réaction* personnelle.

6. *Destructivité.* -- La propension à détruire se manifeste à la région temporale, immédiatement au-dessus de l'oreille, par une protubérance allongée presque horizontalement. Deux dégénérescences anormales de la destructivité sont le besoin du meurtre et le penchant au suicide.

7. *Secrétivité.* — Cette faculté a pour but de donner à l'homme la discrétion et la réserve convenables au milieu de toutes les circonstances de la vie. Sa prédominance est l'indice d'un esprit porté à la dissimulation, au mensonge, à l'astuce; son défaut de développement présage une franchise outrée et souvent préjudiciable.

Placée parallèlement au-dessus de la *destructivité*, elle se traduit, sur le crâne, à la partie supérieure des temporaux, près de leur jonction avec les pariétaux.

8. L'*acquisivité* correspond à l'angle antérieur et inférieur du pariétal : c'est le penchant à acquérir et à conserver les choses nécessaires à la vie. Son excès peut conduire à l'avarice ou au vol, s'il n'est

pas contre-balancé par le sentiment de la bienveillance ou celui de la justice.

9. *Constructivité.* -- C'est l'aptitude aux constructions et à la mécanique. Elle se voit sur le crâne, en arrière de l'angle orbitaire externe, au-dessus de l'organe du calcul.

10. L'organe de l'*estime de soi*, ou sentiment de notre valeur personnelle, est situé au sommet du crâne et un peu en arrière. Son absence complète indique et explique la nullité de certains hommes qui, avec des moyens remarquables, n'ont rien pu réaliser de grand. Sa prédominance, qu'on rencontre rarement chez l'homme humble et modeste, est le signe ordinaire de la fierté, de l'orgueil, de l'ambition.

11. *Approbativité.* -- L'amour des louanges, ou vanité, se décèle, à l'extérieur du crâne, par deux proéminences en segments de sphère placées de chaque côté de l'estime de so ou orgueil, et forment en quelque sorte la demi-couronne de l'ange déchu.

12. La *circonspection* se traduit, sur le crâne, au centre de chaque pariétal. Son développement normal indique la prudence ; son défaut, l'inconséquence, l'étourderie, l'insouciance ; son excès, la méfiance et une dangereuse indécision qui nous laisse continuellement entre le désir d'agir et la crainte de mal faire. Dans cette dernière circonstance, la tête est considérablement élargie et a une forme carrée.

13. *Bienveillance.* -- Au sommet de l'os frontal apparaît l'organe de la bienveillance, dont la saillie trop prononcée annonce la bonhomie et la faiblesse, comme sa dépression indique la sécheresse du cœur, l'insensibilité, la méchanceté même. Convenablement développée, la bienveillance nous dispose à souffrir des souffrances d'autrui, et à les soulager : c'est une charité éclairée.

14. La *vénération* ou *religiosité* correspond à l'angle supérieur antérieur des pariétaux, auprès de leur articulation avec le frontal. Elle est limitée en avant par la bienveillance ; en arrière, par la fermeté, et sur les côtés, par la merveillosité et l'espérance. L'élévation prononcée du vertex est donc le caractère commun à tous les hommes religieux.

15. L'organe de la *fermeté* ou *persévérance* est situé vers le sommet de la tête, en arrière de la vénération. Les individus qui l'ont déprimé sont inconstants et dépourvus de caractère ; ceux, au contraire, qui l'ont fortement prononcé, sont tenaces dans leurs résolutions ; les choses difficiles ont pour eux de l'attrait, et une fois qu'ils sont entrés dans une carrière, ils la parcourent malgré tous les obstacles.

16. *Consciencíosité.* -- Parallèlement à l'espérance, et derrière elle, à trois pouces et demi au-dessus du conduit auditif, on voit, sur chaque pariétal, l'organe de la consciencíosité, juge intime dont la voix mystérieuse crie du fond de l'organisation, et est pour chacun la règle de sa conduite.

17. *Espérance.* -- 18. *Merveillosité.* -- 19. *Idéalité.* -- L'*espérance* se traduit, sur le crâne, vers l'angle supérieur antérieur du pariétal, entre la consciencíosité et la merveillosité. Trop développée, elle enfante des projets gigantesques, des rêveries, des châteaux en Espagne. -- La *merveillosité* est le penchant aux choses appelées surnaturelles; c'est elle qui inspire les illuminés. Elle se montre vers le bord antérieur du pariétal, à sa jonction avec l'os frontal. -- L'*idéalité*, ou *poésie*, se dessine au-dessus des tempes, vers le bord latéral du frontal. Lorsqu'elle est très-prononcée, elle élargit donc considérablement le haut du front. Les individus doués de cette organisation sont des esprits générateurs, c'est-à-dire qui peuvent s'élever à un point de vue supérieur, d'où ils embrassent un horizon qui leur laisse voir l'harmonie, le lien des perspectives. La poésie, dans son sens le plus étendu, étant le sentiment des harmonies entre toutes les choses de la nature, se confond avec l'*idéalité* et l'*imagination*, qui ne crée rien, mais qui saisit plus ou moins les phénomènes de la vie universelle, et les reproduit par la pensée.

Combinées entre elles, l'*idéalité*, la *merveillosité* et l'*espérance* conduisent aux exaltations, et déterminent quelquefois l'extase.

20. La *gaieté* ou *esprit de saillies* se traduit, sur le crâne, à la partie supérieure et latérale du front, en avant du muscle temporal. Les individus chez lesquels cet organe prédomine sont, la plupart du temps, des machines à traits, à épigrammes, à calembours; d'autres sont plus disposés à faire des satires ou des caricatures, ces grotesques satires dont le crayon des artistes français a toujours tracé les types les plus spirituels et les plus mordants.

21. *Imitation.* -- Le talent de l'imitation ou de la mimique se dessine au sommet du frontal, à la naissance des cheveux, qui le recouvrent presque entièrement. Ce talent naturel de traduire avec fidélité les sentiments et les idées par des gestes est nécessaire aux auteurs dramatiques, aux comédiens, aux orateurs. C'est encore lui qui inspire aux peintres et aux sculpteurs cette vérité de mouvement et d'attitude qui contribue si puissamment à donner de l'expression à leurs ouvrages.

22. *Individualité.* -- C'est la faculté qui fait distinguer un individu

d'un autre individu, un objet d'un autre objet. Ceux qui en sont dépourvus ne sont nullement propres à étudier les phénomènes isolés; ceux, au contraire, chez qui elle est prononcée ont de la disposition aux sciences de détail et d'observation analytique. L'organe se traduit immédiatement au-dessus de la jonction de la racine du nez avec le front.

23. *Configuration.* -- 24. *Etendue.* — 25. *Pesanteur.* -- 26. *Coloris.* -- Ces quatre organes apparaissent successivement sur l'arcade orbitaire, depuis son angle interne jusqu'à sa partie moyenne. La *configuration*, ou sens des formes, fait percevoir la figure des êtres et des objets extérieurs; c'est donc elle qui donne la mémoire des formes, et qui constitue principalement le talent du dessin et l'aptitude à saisir la ressemblance. Lorsque cette faculté est très-développée, elle augmente l'écartement qui existe entre les yeux. -- Le sens de l'*étendue* et celui de la *pesanteur* font apprécier la superficie des objets et leur poids. Quant au sens du *coloris*, il fait percevoir et réfléchit dans le cerveau l'impression transmise par le sens de la vue. L'appréciation des couleurs ne dépend donc pas uniquement de l'œil : on trouve, en effet, beaucoup de peintres qui sont de fort mauvais coloristes avec une vue excellente.

27. *Localité.* — C'est la mémoire des lieux, le sens de l'espace, la faculté de s'orienter, faculté naturelle dont l'existence est attestée par les migrations d'oiseaux qui traversent les mers. Les personnes qui l'ont très-developpée sont, pour ainsi dire, nées astronomes; la grande propension qu'elles ont à changer de lieux leur donne le goût des voyages. Combiné avec le sens des couleurs, le sens de la localité produit les peintres paysagistes. Elle correspond, sur l'os frontal, aux deux bosses inférieures qui surmontent l'angle interne de l'arc sourcilier.

28. *Calcul.* -- Le sens des nombres est une faculté fondamentale dont l'organe se montre à l'angle externe de l'arcade orbitaire; il est ordinairement moins prononcé chez la femme que chez l'homme; les animaux paraissent en avoir quelque rudiment. Les personnes chez lesquelles le *calcul* est trés-développé semblent voir les nombres comme s'ils étaient écrits sur une ardoise, ce qui leur permet de calculer de mémoire. Elles ont en général l'esprit droit, mais peu brillant; leur caractère est sombre ou distrait.

29. L'*ordre* se traduit sur l'arc sourcilier, en dedans du *calcul*. Son développement rend le sourcil proéminent en cet endroit, et dénote une personne qui aime que tous les objets qui l'entourent soient

rangés avec symétrie. La dépression de cet organe annonce, au contraire, ces individus qui se complaisent à laisser tout pêle-mêle autour d'eux, et qui égarent continuellement les objets à leur usage.

Appliqué aux productions intellectuelles, l'ordre est la méthode de l'esprit.

30. *Éventualité*. -- C'est la faculté de conserver le souvenir des faits et des événements; c'est la *mémoire des choses*. Elle se borne à recueillir les matériaux que l'ordre dispose, que la *comparaison* et la *causalité* jugent et systématisent. Chez les enfants, qui apprennent tant de choses du monde extérieur, l'éventualité est proportionnellement très-saillante sur le milieu du front, qu'elle fait bomber.

31. *Temps*. -- C'est à l'aide de cet organe, découvert par Spurzheim, qu'on se rend compte du temps qui s'est écoulé, et qu'on apprécie sa succession; il donne au poëte le rhythme, au musicien la mesure. On le voit au-dessous des bosses frontales et au-dessus du sourcil.

32. *Tonalité*. -- A côté et en dehors de l'organe du temps, apparaît celui de la tonalité. Toutes les fois qu'il est assez développé, les individus sont agréablement affectés par la mélodie et l'harmonie, et désagréablement par la discordance des tons. Sa prédominance annonce un penchant souvent irrésistible pour l'art musical. « La musique et le chant, dit Gall, ne sont pas des inventions de l'homme; le Créateur les lui a révélés à l'aide d'une organisation particulière. »

33. *Langage*. -- C'est au sens du langage que l'on doit rapporter la mémoire des mots, y compris celle des noms propres. Les yeux creux et enfoncés sont un signe de l'absence de cette faculté, tandis que les yeux à fleur de tête annoncent des individus doués d'une élocution facile.

34. *Comparaison*. -- 35. *Causalité*. -- Ces deux facultés intellectuelles, dites *réflectives*, constituent principalement ce que l'on appelle la raison. La première, sagacité comparative, juge les rapports des choses pour en connaître les ressemblances et les différences; la seconde ne se borne pas à les comparer, elle va jusqu'à l'induction, qui, en présence des faits, considère l'un comme cause, l'autre comme effet.

L'organe de la *comparaison* est situé sur l'os frontal, entre la *bienveillance* en haut, et l'*éventualité* en bas. Son développement excessif annonce des hommes qui aiment les hiéroglyphes, les allégories, les apologues, et dont le langage est rempli de métaphores.

Placée au niveau et sur le côté de la circonspection, la *causalité*, si elle est trop prédominante, peut devenir une source d'erreurs, en

voyant sans cesse des effets et des causes là où il n'existe souvent que de simples coïncidences. Elle constitue alors l'esprit systématique et paradoxal.

Le défaut absolu de comparaison et de causalité produit une incapacité intellectuelle qui rapproche l'homme de la brute. Convenablement développées, ces deux facultés sont les puissantes auxiliaires de la morale et de la religion, en faisant judicieusement comparer les bonnes et les mauvaises actions, en faisant remonter aux causes des unes et des autres, et surtout en manifestant l'éternelle sagesse de la cause première de toute la création.

Nota N pag. 243.

De temperamentis ex Descuret, La médecine des passions.

Des tempéraments ou plutôt des constitutions.

Le chaud, le froid, le sec et l'humide, tels étaient les éléments que les anciens reconnaissaient comme principes constitutifs de nos corps. Ils admettaient aussi quatre humeurs principales correspondant à ces éléments : c'étaient le *sang*, qu'ils disaient être chaud et humide; la *bile*, chaude et sèche; la *pituide*, froide et humide; la *mélancolie* ou *atrabile*, froide et sèche. De là, leur division des tempéraments en *sanguin*, *bilieux*, *pituiteux* et *mélancolique*. Ils désignaient aussi, sous le nom de *tempérament tempéré*, cet état idéal où toutes les forces de l'économie humaine se balancent de manière à offrir l'image de l'équilibre parfait.

Aujourd'hui qu'on ne croit plus aux quatre éléments des anciens, ni à leurs quatre humeurs, on a cessé de limiter le nombre des tempéraments, et l'on reconnaît que la *prédominance des principaux appareils organiques* caractérise seule les différentes constitutions. Nous ajouterons que, si l'action de ces divers appareils est tellement prépondérante que le jeu des grandes fonctions se trouve notablement enrayé, il n'y a plus alors constitution, mais véritable maladie.

Hâtons-nous de passer en revue les principaux tempéraments, que nous désignerons désormais sous le nom de *constitutions*, et signalons les prédispositions morales qui coexistent avec chacun d'eux. Ces prédispositions, dont la connaissance est aussi utile au magistrat, au prêtre et au législateur qu'au médecin, ne sauraient nous empêcher de flétrir le crime et d'admirer la vertu; mais elles nous conduiront à

adopter pour base de nos jugements cette maxime éminemment chrétienne : « Sévérité pour soi, indulgence pour autrui. »

Constitution où prédomine l'appareil digestif (tempérament bilieux des anciens).

Que la prédominance de l'appareil digestif soit plus ou moins dépendante d'une organisation particulière de l'encéphale, toujours est-il que les individus qui vivent sous cette prédominance présentent certaines dispositions morales et intellectuelles presque aussi constantes que les signes physiques qui les distinguent. Une taille médiocre, une attitude fière, une physionomie pleine d'expression, des yeux vifs et perçants, des sourcils épais, un teint basané, des cheveux plus ou moins noirs tombant avant l'âge, une peau chaude et velue, un pouls dur et fréquent, des veines sous-cutanées saillantes, des muscles prononcés et doués d'une grande puissance de contraction : tels sont les caractères extérieurs de l'homme qui a la constitution dans laquelle prévaut l'appareil digestif.

Les nuances que présente son moral ne sont pas moins tranchées. L'ambition est sa passion dominante; on le voit, plein d'espérance et d'ardeur, renverser violemment les obstacles qui s'opposent à son élévation ; ou bien, hypocrite profond, se glisser furtivement au pouvoir, et s'y maintenir avec adresse. Le désir de la gloire qui dévore son cœur se porte-t-il sur les conquêtes intellectuelles, son jugement rapide pénètre les profondeurs de la science ; son attention soutenue lui en fait découvrir les moindres rapports, et son ardente imagination le rend capable de deviner la nature, ou de la reproduire avec autant de chaleur que de vérité. Après l'ambition, la passion à laquelle sont le plus enclins les individus de cette constitution est bien certainement la colère, qui, chez eux, se termine ordinairement par la haine et la vengeance, comme on voit la violence de leur amour dégénérer en la plus terrible jalousie. La prédominance organique dont nous venons de voir l'influence morale est sans contredit celle où l'on rencontre le plus grand nombre de ces hommes éminemment sensibles, actifs et persévérants qui ont remué le monde par leur génie, leurs vertus ou leurs crimes : tels étaient Alexandre, César, Brutus, Mahomet, Richelieu, Cromwell, Charles XII, Pierre le Grand et Napoléon.

Constitution où prédominent les appareils de la circulation et de la respiration (tempérament sanguin).

Les organes extérieurs n'étant que la saillie des organes intérieurs,

un cœur volumineux et de vastes poumons s'annoncent par une poitrine large, bien développée, et médiocrement chargée d'embonpoint. Les individus qui vivent sous cette double et inséparable prédominance ont, par la même raison, le teint vermeil, la physionomie animée, la respiration grande et facile, le pouls développé, vif et régulier; la peau blanche, halitueuse et parsemée de veines bleuâtres légèrement saillantes; leur taille est avantageuse; leurs formes sont douces, quoique bien exprimées; leurs chairs assez consistantes, et leurs cheveux blonds ou châtains.

Chez les gens dits bilieux, la susceptibilité nerveuse est forte et durable; chez les sanguins, au contraire, elle est prompte et fugitive. Aussi, facilement affectés par les impressions que les objets extérieurs font sur eux, ils passent rapidement d'une idée à une autre; leur imagination est vive et brillante. mais leur esprit manque de force et de profondeur. Doués d'une conception facile et d'une mémoire plus prompte que fidèle, ils sont par cela même peu capables de méditations profondes, et ne se font guère remarquer par une vaste érudition. Ils sont fougeux dans leurs goûts comme dans leurs plaisirs : l'amour, la table, le jeu, la chasse, le luxe, voilà leurs délices; mais, dans toutes leurs passions, on les voit apporter plus d'ardeur que de constance; les chagrins même qu'ils ressentent le plus vivement ne laissent chez eux que des traces peu durables. Enfin, spirituels, enjoués, bons et affables, ils sont en ce monde les plus heureux des mortels, parce qu'ils en sont les plus insouciants, les plus volages et les plus aimables.

Constitution où prédomine le système nerveux (tempérament nerveux).

Les individus de cette constitution ont en général le corps grêle et élancé, avec des membres presque atrophiés, sur lesquels les muscles apparaissent comme des cordes. Leur foie est pâle et peu volumineux, leur peau sèche et décolorée. Chez eux le pouls, habituellement faible, concentré et filiforme, s'accélère à la plus légère émotion, ainsi qu'à la moindre variation atmosphérique; l'appétit est faible et capricieux, la digestion lente, pénible, souvent incomplète; les urines sont claires, pâles et fréquentes; le sommeil est troublé par les rêves les plus chimériques.

La vivacité de leurs sensations, la volubilité de leur langage, la rapidité de leurs gestes, la promptitude, et surtout la variabilité de leurs déterminations, suffiraient pour les faire reconnaître. Peu aptes aux travaux qui exigent une certaine dépense de force musculaire,

ils éprouvent une fatigue excessive au moindre exercice ; mais, par compensation, le développement et l'activité de leur système nerveux coïncide avec beaucoup d'intelligence et une exquise sensibilité : on les voit réussir dans les beaux-arts et dans presque toutes les branches de la littérature.

Chez eux, l'amour est, avant tout, un besoin du cœur qu'ils ressentent ardemment ; l'affection, c'est leur vie ; mais s'ils cessent d'aimer avec tendresse, ils haïssent bientôt avec fureur. Enfin, leur irritabilité, non moins vive au moral qu'au physique, est pour eux un triste apanage en ce monde, où la somme des douleurs surpasse de beaucoup celle des plaisirs : aussi, impatients et jaloux, parce qu'ils sont faibles ; tristes et difficiles, parce qu'ils souffrent ; changeants et fantasques, parce qu'ils cherchent toujours une position meilleure, ces êtres, plus à plaindre qu'à blâmer, sont rarement heureux, et font peser sur les autres l'inquiétude et le besoin d'émotions qui les dévorent.

Constitution où prédomine l'appareil de la locomotion (tempérament musculaire ou athlétique).

Si, par une éducation physique convenablement dirigée, ou par des circonstances fortuites, les individus chez lesquels prédominent les appareils circulatoire et respiratoire se livrent à des travaux qui exercent beaucoup les organes du mouvement, un sang riche, incessamment projeté dans le système musculaire, en augmentera bientôt le volume et l'énergie. D'un autre côté, comme il faut des os solides pour former des points d'appui suffisants à des muscles vigoureux, et de forts ligaments pour unir les articulations, les systèmes osseux et fibreux acquerront un développement proportionné. La constitution sanguine, ainsi modifiée, pourra se transformer en prédominance musculaire ou athlétique. Cette prédominance, dont l'Hercule de Farnèse offre le prototype, se distingue par des caractères assez tranchés. La tête est proportionnément petite, et le front peu développé ; le cou, au contraire, est volumineux et renforcé, surtout en arrière ; les épaules, larges et arrondies, présentent des éminences et des dépressions ; la poitrine est remarquable par son ampleur et le développement des pectoraux ; les muscles du dos et des lombes sont également très-prononcés, et laissent dans leur intervalle un vaste sillon au fond duquel on voit se dessiner la colonne épinière. Quant aux poignets, aux genoux et aux malléoles, où l'on ne trouve que des ligaments et des tendons qui apparaissent en relief sous la peau, ces

diverses parties semblent grêles relativement au reste des membres, sur lesquels les muscles forment des saillies considérables. Ces individus ainsi constitués ne sont pas, en général, d'une haute stature; leur tissu cellulaire est peu chargé de graisse; leur peau est dure et basanée.

Chez eux la sensibilité est presque nulle, l'intelligence obtuse; la puissance de l'appareil locomoteur, la force prodigieuse dont ils sont doués, semblent diminuer d'autant l'activité du système nerveux : aussi leur peu d'aptitude aux travaux intellectuels se lit-elle sur leur physionomie, habituellement impassible. Patients, débonnaires même, ils sont difficiles à émouvoir; mais rien ne saurait leur résister quand une fois ils sont sortis de leur calme habituel. On croit vulgairement qu'ils sont très-aptes aux plaisirs de l'amour; c'est une erreur à laquelle la fabuleuse paternité d'Hercule a pu donner cours : les forts de la halle, dont la constitution se rapproche le plus de celle des athlètes, n'offrent rien de remarquable sous le rapport de cette aptitude. Les organes digestifs, au contraire, jouissent chez ces hommes d'une grande énergie, et c'est parmi eux qu'on a de tout temps rencontré les plus grands mangeurs. Tels furent, dans l'antiquité, Milon de Crotone et Vitellius; tel était, de nos jours, le grenadier Tarare.

Constitution dans laquelle prédomine l'appareil de la génération.

Cette constitution, qui coïncide presque toujours avec un développement remarquable du cervelet, se rencontre plus particulièrement chez les sanguins et les sanguins bilieux; on l'observe aussi plus fréquemment chez l'habitant des grandes villes que chez les gens de la campagne. Les individus qui l'ont reçue en partage ont, en général, le corps maigre; leurs membres sont peu volumineux, mais velus; leur barbe est noire et serrée, leur regard lascif, leur voix grave et sonore.

Les désirs érotiques qui les poursuivent pendant le sommeil comme pendant la veille ne tardent pas, s'ils les satisfont, à devenir de plus en plus exigeants et à les précipiter dans tous les écarts du libertinage. Ils ne sauraient donc s'appliquer trop tôt à modérer l'ardeur d'un penchant dont les excès épuisent le corps, abrutissent l'intelligence, et font oublier tous les devoirs pour quelques instants de plaisir.

Constitution atonique avec prédominance du tissu cellulaire (*tempérament pituiteux des anciens, tempérament lymphatique des modernes*).

La surabondance du tissu cellulaire, jointe à l'inertie de tous les appareils dont nous venons d'étudier la sur-activité, forme une dernière constitution dont l'influence sur le moral est très-remarquable.

Un embonpoint difforme, des chairs molles et bouffies, une peau lisse, décolorée, dépourvue de poils, des yeux ternes et sans expression, des lèvres volumineuses (la supérieure surtout), des cheveux plats, d'une couleur blonde ou cendrée, tels sont les signes extérieurs de la langueur des grandes fonctions. En effet, les personnes qui présentent ces caractères ont en même temps le pouls lent, mou, facile à déprimer; la respiration gênée, la digestion paresseuse, les mouvements tardifs et pénibles, le sommeil long et profond.

Au moral, même inertie : sans mémoire, sans pénétration, quoique douées d'un certain jugement, elles ne montrent aucun goût pour les sciences et les arts, qui font le charme de la vie; insensibles à l'aiguillon de l'amour comme à celui de la gloire, elles aiment à s'envelopper de leur paresse, et à rester solitaires dans un continuel repos; difficiles à mettre en colère, faciles à apaiser, oubliant aisément les injures, douces et bonnes enfin, autant par complexion que par habitude, elles n'éprouvent ni l'extrême joie, ni l'extrême douleur, et restent étrangères aux grands vices ainsi qu'aux grandes vertus.

Constitutions mixtes.

Les différentes constitutions dont je viens d'énumérer les caractères physiques et les influences morales se rencontrent rarement dessinées d'une manière aussi tranchée. Rien de plus commun que de les trouver combinées deux à deux, trois à trois, et formant ainsi les *constitutions mixtes*, connues naguère sous les noms de tempéraments sanguin, bilieux, ou bilioso-sanguin, bilioso-nerveux, etc. Il faut encore remarquer que, l'homme étant continuellement modifié par tout ce qui l'environne, sa constitution non-seulement ne saurait longtemps rester la même, mais encore qu'elle peut subir une entière métamorphose. Ainsi, sans parler des changements notables apportés par les différents âges, qu'un individu purement sanguin aille habiter les pays chauds, sa constitution deviendra plus ou moins bilioso-sanguine, et même quelquefois tout à fait bilieuse; qu'il séjourne,

au contraire, quelque temps dans un pays, ou seulement dans un local froid, humide et peu aéré, son corps, saturé des liquides ambiants, éprouvera une diminution marquée dans l'activité des principaux appareils, et finira même par s'étioler complétement, comme le végétal qui vit sous l'influence d'un air brumeux. Encore une fois, les constitutions simples, dont j'ai présenté les types dans le cours de cet article, sont très-rares, si on les compare aux constitutions mixtes que nous donne l'atmosphère physique et morale dans laquelle nous vivons.

On conçoit, du reste, que dans ces diverses combinaisons, le caractère des individus offrira des nuances qui varieront en raison de la nature des composants. Ainsi, qu'une constitution nerveuse bien prononcée se trouve associée à celle où domine fortement l'appareil digestif, on verra le système ganglionaire, vrai cerveau abdominal, communiquer à l'intelligence et aux passions une vivacité, une énergie, une opiniâtreté empreinte d'une tristesse maladive, et, suivant les hommes, il naîtra de cette alliance des tyrans soupçonneux et vindicatifs, tels que Tibère et Louis XI, ou des génies malheureux, passionnés pour l'indépendance et la solitude, tels que le Tasse, Pascal, Young, Gilbert, Zimmerman, J.-J. Rousseau et lord Byron.

· Nota O pag. 249.

Descuret de morbis qui a passionibus oriuntur.

« *Les maladies produites par les passions sont à elles seules incomparablement plus fréquentes que celles qui proviennent de tous les autres modificateurs de l'économie.* La moitié des phthisies, tant acquises qu'héréditaires, reconnaissent en effet pour cause l'amour ou le libertinage. La goutte et les phlegmasies aiguës du tube intestinal ne sont la plupart du temps que le fruit de l'intempérance, de la gourmandise surtout. Les maladies chroniques de l'estomac, des intestins, du foie, du pancréas et de la rate, sont plutôt dues à l'ambition, à la jalousie, à l'envie, ou à de longs et profonds chagrins. Sur 100 tumeurs cancéreuses, 90 au moins doivent leur principe à des affections morales tristes. On a vu aussi ces mêmes affections produire subitement les dartres les plus rebelles, entre autres le *lichen agrius*. L'épilepsie, la danse de Saint-Guy, les tremblements nerveux, les convulsions proviennent souvent d'une vive frayeur ou d'un violent

accès de colère. Lorsque la fièvre lente nerveuse et le marasme, auxquels succombent un si grand nombre d'enfants et d'adolescents, ne sont pas déterminés par la funeste habitude de l'onanisme, nous devons reporter nos soupçons sur la jalousie. La passion de l'étude, surexcitant sans cesse le cerveau au détriment des autres organes, n'amène-t-elle pas encore, chez les personnes qui s'y abandonnent, la dyspepsie, la gastralgie, l'insomnie, le flux hémorrhoïdal, et cette susceptibilité nerveuse qui les rend si malheureuses, en même temps qu'elle fait le tourment des êtres qui les entourent? D'un autre côté, les trois quarts des morts subites ne sont-elles pas occasionnées par l'ivrognerie, la gourmandise, le libertinage ou la colère? Le suicide, ce fléau que l'on voit régner épidémiquement aux époques de corruption et de perturbation sociales, n'est-il pas presque toujours la conséquence de quelque passion fougueuse, ou d'un chagrin secret? Enfin sur 8272 aliénés à Bicètre et à la Salpêtrière dans le cours de neuf années, on trouve, d'après le compte rendu de l'administration des hôpitaux, que la majeure partie de ces infortunés avaient aussi perdu la raison par suite de violentes passions ou de chagrins trop vivement sentis. Les causes morales du suicide se présentent dans l'ordre suivant de fréquence : abus des liqueurs alcooliques, chagrins domestiques, inconduite et libertinage, revers de fortune, ambition, frayeur, amour contrarié. » Ita Descuret, *La médecine des passions*, 1e p. ch. 7.

APPENDICIS NOTARUM FINIS.

INDEX.

PARS SYNTHETICA.

APPENDIX NOTARUM.

INDICIS FINIS.

